


JOSEPHI XAUPI
e nobilibus Perpinianen-
sibus, Canonici et Ar-
chidiaconi in ecclesiâ
Perpinianensi, Abbatis
de Jau, Sacræ facultatis
Parisiensis e regiâ socie-
tate doctoris et ab ineunte
anno 1765. Udexani.



Incluida en el Indice de libros prohibidos por decretos [illegible] XII-1702 y 13-VIII-[illegible]

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO

M DCC XX

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
&
THOMAM FRITSCHIUM.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. M DCC XX.



ACTA ERUDITORUM,


publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, Anno MDCCXX.

BIBLIOTHEQUE GENERALE DES AUteurs de France, Livre premier contenant la Bibliotheque Chartraine &c.

h. e.

R.P. DOMNI JOANNIS LIRONII, MONAchi Benedictini e Congregatione S. Mauri, Bibliotheca Carnutensis, sive Commentatio de Autoribus, Virisque illustribus antiquæ diœceseos Carnutensis, qui aliquod ingenii sui monumentum posteritati reliquerunt.

Parisiis, apud Jo. Mich. Garnier, 1719, 4.
Alph. 2 pl. 7.



Dederunt Seculo XVI exeunte Bibliothecas Gallicas Antonius Verderius Vauprivasius & Franciscus Grudeas Crucimanius: sed hi fere Gallos tantum in scriptis suis Gallica lingua loquentes sunt persecuti, & iis vixere temporibus, quæ abundantissima optimorum ingeniorum messis demum insecuta est, ut adeo consilium R.P. Lironii de condenda Generali Franciæ Bibliotheca non possit non dici fructuosum, nobis inprimis, qui etiam priorum illarum Bibliothecarum raritate laboramus, Gallico vero nomini omnino gloriosum: quod qua ratione illi subnatum sit, nostrum est explicare. Scilicet versabatur Reverendus Autor in conscribendis Commentariis ad historiam Episcoporum Carnutensium facientibus, brevi omnino in publicam pariter lucem protrudendis, cujus rei gratia cum varia monumenta eo pertinentia insigni cura evolverit, occurrerunt inter legendum varia de Viris illius regionis illustribus notatu apprime digna, & quæ sibi minime negligenda duxit, quod alios integram rerum Carnutensium Historiam scripturos insigniter juvare possent, quamvis illa

in Episcoporum Carnutensium Historia silentio essent involvenda. Ostendit illa, quæ collegerat, subinde Viris doctis, qui cum istud institutum impense probarent, ita quidem se eorum calculo incendi passus est, ut data opera Bibliothecam Carnutensem in hanc, quam videmus, speciem instruxerit, brevi daturus Turonensem, mox alias, amico etiam ascito socio, qui aliis in partibus non minus strenue elaborat. Hanc autem unicam Universalis Galliæ Bibliothecæ conficiendæ esse viam non sine causa arbitrantur doctissimi Collectores, quod ita laboris immensitas, cui Ludovicum Jacobum Carmelitam, & Philippum Labbeum e Jesu Societate succubuisse ferunt, minus sit metuenda, cum autoribus fato exstinctis in eundem laborem facile sint successuri per singulas regiones alii, unius etiam cujusque Provinciæ Viri clari a patriarum rerum studiosis in singulari Volumine lubentius legantur descripti.

Carnutes olim & Blesensem Agrum, & Aurelianenses complectebantur; verum enim vero cum doctissimus Autor Aureliano ab antiquissimis temporibus proprio Episcopatu nobili non defore confidat scriptores doctissimos, intra antiquos Carnutensis diœceseos limites, quibus & Blesæ continebantur, nostro demum ævo A. 1697 voluntate Ludovici XIV R. peculiari Episcopatu nobilitatæ, se in Bibliotheca sua continuit. Neque tamen superstitioso discrimine illos tantum suæ Bibliothecæ inseruit, qui id unice mereri videbantur ortu ac nativitate: sunt ipsi Carnutenses, ita mediis Seculis a domicilio appellati, licet eorum patria ignoretur: sunt Carnutenses Comites urbis, iidem licet Blesenses & Perticenses, sunt Episcopi, Abbates, Canonici, rerum Carnutensium scriptores, qui munere, quod gesserunt, aut meritis suis in res Carnutenses locum obtinent, quem natales iisdem negare videbantur. Viris doctis miscentur Viri Feminæque Principes, quorum nomen charta, diploma, aut epistola vetus præ se fert; miscentur & Perralti exemplo Viri arte pictoria, sculptoria, fusoria, architectonica similibusque illustres. Nec neglecta videbis Concilia in reliquis operis partibus; Carnutensia Commentariis Lironii nostri brevi edendis inserta leges. Ordo ubique Chronologicus, ratione inpri-

mis

mis habita annorum emortualium, si de iis constat, quo servato & quæ ad vitam Viri pertinent, & quæ ad notitiam scriptorum ejus faciunt, quanta fieri potuit, diligentia recensentur.

Diœcesin Carnutensem doctissimorum Virorum admodum fuisse feracem, hæc Bibliotheca abunde loquitur, & numero & præstantia ingeniorum superbiens, quæ inter eminere visa sunt: *Ivo*, Episcopus Carnutensis, Decreto consarcinato æternum nomen meritus, (p. 44.) *Joannes Salisberiensis*, Episcopus Carnutensis, Polycratici Autor, (74.) *Petrus Blesensis*, Seculo XII maximi ingenii & doctrinæ Vir, (85.) *Petrus de Riga*, Vindocinensis, Canonicus Rhemensis, Auroræ scriptor, (94.) *Guilielmus Bellajus*, Francisci I R. temporibus Pedemontii Prorex, arte & marte inclytus, (142.) *Jodocus Clicthoveus*, Noviportensis Flander, Theologus Ecclesiæ Cathedralis Carnutensis, e primis Lutheri adversariis, (144.) *Joannes Dampetrus*, Blesensis, Latina carmina, phaleucos inprimis, pangendi felicitate insignis, (146.) *Martinus Bellajus*, fratre Guilielmo non minor, (157. 162.) *Mathurinus Corderius*, Perticensis, Grammaticus non incelebris, (181.) *Remigius Bellæus*, Perticensis, Poeta Gallicus excellentissimus, (197.) *Petrus Ronsardus*, Poetarum Gallicorum Princeps, (209.) *Philippus Huraltus Chivernius*, Franciæ Cancellarius, (221.) *Regnerius*, Satyricorum Gallicorum ante Boilæum princeps, (223.) *Antonius Fayus*, Castellodunensis, Theologus Genevensis, (235.) *Ludovicus Russardus*, Carnutensis JCtus, (245.) *Florimundus Beaunius*, Blesensis, Mathematicus celeberrimus, (257.) *Joannes Morinus*, Blesensis, Presbyter Oratorii doctissimus, (263.) *Hieronymus Vignerius*, Blesensis, Oratorii Presbyter, variæ doctrinæ, historiæ inprimis patriæ peritissimus, (265.) *Guilielmus Riberius*, Blesensis, status Consiliarius, Historiæ Gallicæ scriptor non spernendus (270.) *Antonius Godæus*, Drocensis (*de Dreux*) Episcopus Venciensis (*de Vence*) inter Poetas Gallos non incelebre nomen nactus, (278.) *Renatus Charterius*, Vindocinensis, Medicus Regius, cui Hippocrates & Galenus multum debent, (290.) *Andreas Felibienus*, Carnutensis, Historicus Regius & Regiæ Societatis Architectonicæ Secretarius, (294) *Petrus Nicolius*, Carnutensis, celebris Theologus, Arnaldo amicissimus, (299.) *Joannes Bernerius*, Blesensis, Medicus insignis, de Patriæ pariter atque artis suæ historia bene meritus, (302.) *Sebastian Rufus* (*le Roux*) ani-

marum Andevillæ in diœcesi Carnutensi curam gerens, cujus Harmonia Evangelistarum exstat, *Joannes Baptista Thiersius*, Carnutensis, multis ingenii & pietatis monumentis relictis clarus, *Jacobus Gousſetius*, Blesensis, Professor Grœningensis, Domnus *Franciscus Lami*, Benedictinus, *Petrus Jurieus*, Theologus reformatus notissimus, *Joannes Franciscus Felibienus*, Historicus & Antiquarius Regius & Domnus *Michael Felibienus*, Benedictinus, Andreæ Filii, *Ludovicus* denique *Habertus*, Blesensis, Doctor Sorbonicus non incelebris. De his aliisque plurimis varia notatu digna congessit Clarissimus Autor, quamvis omnino fatendum sit, aliquando ei non diligentiam, quæ ubique elucet, sed monumenta & subsidia scriptionis, uti ipse conqueritur, defuisse.

p. 314. 316. 323. 328. 329. 331.

DELLE ANTICHE SIRACUSE VOLUME I e II &c.

i. e.

ANTIQUARUM SYRACUSARUM VOLUMINA duo, quorum Primo JACOBI BONANNI Syracus. illustrat. Libri II, Secundo VINCENTII MIRABELLÆ Explicatio delineationis antiqv. Syracus. tum & PHIL. CLUVERII, C. MARII ARETII, TH. FAZELLI & GEORGII GUALTERI nonnulla continentur.

Panormi, e typogr. Jo. Bapt. Aiccardi, 1717, fol. Alph. 8 pl. 8 & Tabb. æn. maj. 18.

NOn Italis modo & Siculis, sed & exteris egregie consuluit, quisquis recudendi Bonanni & Mirabellæ consilium cepit, quorum ille (cujus liber *l' Anticha Syracusa* Messanæ 1624, 4 excusus) in ipsa Sicilia, nedum nostris in oris, jam pridem inventu difficillimus, hic vero (cujus *Dichiarazione della pianta dell' antiche Siracuse*, Neap. 1612 in fol. prodiit) si quando apud nos prostaret, immani utique pretio venit. Autor hujus instituti præter alios præcipuus fuisse videtur Jo. Bapt. Caruso e Principibus Sanctæ Dominicæ, editis Panormi A. 1716 Commentariis de rebus Siculis (*Memorie historiche*) de quibus alio tem-

tempore dicemus, illustris, qui & in exornando hoc opere, cujus nova hæc editio priores & chartæ & typi elegantia multum antecellit, videtur imprimis fuisse occupatus. Huic enim, ni fallimur, debentur quæ accessere delineationes veterum ac novarum Syracusarum, quas ita instituit, ut & e Bonanno & e Mirabella fuerint passim suppletæ, tum Marmora seu Tabulæ Syracusanæ cum Animadversionibus Georgii Gualteri, ut & Numismata multa post Autorum ætatem demum reperta; ut taceamus, quæ e Libro XII Siciliæ Cluverianæ, Claudii Marii Aretii libro de situ Siciliæ & Fazelli Decade I de rebus Siculis Lib. 4 Cap. 1 huc transscripta leguntur. Quæ cum pleraque nova *non* sint, speciminibus excerpendis supersedere nos posse arbitramur.

S. JUSTINI, PHILOSOPHI ET MARTYRIS, cum Tryphone Judæo dialogus, cum Jo. Langi versione, & notis Rob. Stephani, Perionii, Sylburgii, Halloixii, Montacutii, Drusii, Colomesii, Cavii, Bulli, Grabii, pluribusque novis additis; annexis insuper ad calcem annotationibus Langi & Kortholti; edita a SAMUELE JEBB.

Londini, impensis Gul. & Joh. Innys, 1719, 8.

Alph. 1 pl. 4.

TErtium hoc Volumen est idemque ultimum genuinorum Justini Martyris Operum. Primum enim, quod *Apologiam primam* cum variorum notis exhibet, jam A. 1700 obstetricante Grabio prodierat in lucem, recensitum nobis A. 1701 p. 302. Alterum, quo brevior Apologia cum libello utroque adversus Græcos & libro de monarchia continentur, cura Cl. Hutchnii editum fuit A. 1703. Ultimo igitur hoc, quod in manu habemus, Volumine exhibetur celeberrimus ille cum Judæo dialogus, subjunctis Variorum notis non quidem admodum multis, sed iis perbonis multamque lucem dialogo affundentibus. Subjuncta sunt novem paginas complentia Fragmenta deperditorum Justini librorum, e Grabii Spicilegio Patrum huc

 trans-

translata. In vestibulo hujus Voluminis sistitur Langi dissertatio, qua hujus dialogi argumentum enarratur: quacum non inutiliter junxeris Jo. Clerici Επίκρισιν de hoc Dialogo, quæ inserta est ipsius Historiæ ecclesiasticæ Sæc. II p. 632--645. Ut e novi Editoris annotationibus nonnulla veluti gustus causa apponamus, in Præfatione recenset eruditorum opiniones de tempore, quo Justinus hunc dialogum conscripserit: ipse Caveo subscribit, habitum scilicet fuisse hunc dialogum an. 147. Porro p. 1 Caveo assentitur, *Tryphonem* esse celeberrimum illum Rabbinum, *Tarphonem*, R. Akibæ amicum: quam opinionem meminimus singulari dissertatione confutatam esse ab Hadr. Relando, inserta Bibliothecæ Bremensi T. I Fasc. II Diss. 3. Sed redimus ad Editorem nostrum, qui p. 43 exhibet varias appellationes baptismi, in scriptis Patrum Ecclesiæ obvias; p. 52 docet, Christianos olim atheismi fuisse accusatos; p. 69 & p. 215 contendit, Apostolos & omnes fere Patres Ecclesiæ eucharistiam pro novi Testamenti sacrificio habuisse, & sacra symbola panis & calicis Deo Patri in altari oblata docuisse. P. 127 pugnat, *τὸ* העלמה Jesaiæ VII, 14 omnino significare *virginem intactam*. P. 244 sq. observat, Patres Ecclesiæ statuisse, animas defunctorum non statim in cœlum emigrare, sed in locum certum deferri, ubi maneant usque ad diem supremi judicii. *Hæc* (ita concludit,) *serio secum reputent Pontificii, & de admissione animarum statim post mortem ad beatificam Dei visionem eadem fere statuentes hodierni Novatores.*

MONUMENTI AELIA LAELIA CRISPIS, sive celeberrimi ænigmatis Bononiensis, historica explicatio, fragmentum antiquum incerti auctoris. Bononiæ Senatui FRANCISCUS MASTRIUS additis aliquibus notis D. D. D.

Bononiæ, typis Constantini Pisarri, 1717, 4 maj.
Pl. 4.

HUnc ipsum libellum, Venetiis A. 1702 primum paulo minori forma editum, jam recensuimus in his *Actis* A. 1706 p. 88

P. 88, qui eodem de ænigmate Cl. Malvasiæ librum recensueramus A. 1684 p. 263. Priore loco p. 90 innuimus, non videri nobis antiquam illam inscriptionem, sed recentiori demum ævo concinnatam. Nunc addimus, non plane a vero absimile nobis videri, Cl. Mastrium ipsum esse verum historicæ hujus explicationis autorem, etsi lectoribus in titulo persuadere conatur, antiquum se in lucem edere fragmentum autoris incerti. Ceterum nova hæc editio a prima in eo differt, quod & notas historicæ explicationi statim a latere adjunctas habet, quæ antea separatim subjunctæ fuerant, & pleniorem exhibet ipsam explicationem historicam, quæ in priori editione p. 6 descriptoris incuria integram paginam desiderabat. Nihil igitur est, quod hic adjiciamus, nisi quod memores tot interpretationum, quas locis memoratis ipsi adduximus, non alienum putamus adscribere explicationem *Cl. Heumanni*, Collegæ nostri, quam in sua *de fato uxoris Loti* dissertatione, A. 1706 edita, & A. 1708 recusa, exhibuit. Is enim, quod cæteris interpretibus non venisse in mentem mirum est, existimat, autorem Bononiensis illius ænigmatis aliud nihil, quam *fatum uxoris Loti* describere voluisse. Sed antequam hanc audiamus ænigmatis *ἀνάλυσιν*, ipsam lubet, ut eam hac secunda editione Cl. Mastrius exhibet, oculis lectorum subjicere Inscriptionem:

D. M.
AELIA LAELIA CRISPIS
NEC VIR, NEC MVLIER,
NEC ANDROGYNA,
NEC PVELLA, NEC IVVENIS,
NEC ANVS,
NEC CASTA, NEC MERETRIX,
NEC PVDICA,
SED OMNIA,
SVBLATA
NEQVE FAME, NEQVE FERRO,
NEQVE VENENO,
SED OMNIBVS,

NEC

NEC COELO, NEC TERRIS,
NEC AQVIS,
SED VBIQVE IACET.
LVCIVS AGATHO PRISCIVS
NEC MARITVS, NEC AMATOR,
NEC NECESSARIVS,
NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS,
NEQVE FLENS,
HANC
NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,
NEC SEPVLCRVM,
SED OMNIA,
SCIT, ET NESCIT, CVI POSVERIT.

Jam audiamus Cl. Heumannum, ita hæc exponentem. Ex vulgari opinione Loti uxor, in ſtatuam quippe ſalis mutata, non amplius verus erat homo, adeoque *nec vir*, *nec mulier*, & quæ ſequuntur. Nihilominus tamen fuerat *omnia*. Nam ipſa fuit & *mulier* & *anus*, & ex ipſa quoque procreari potuerant *vir*, *androgyna*, *puella*, *juvenis*, *meretrix*, *pudica* : adeoque cum ipſa ſit horum omnium materia, merito dici poteſt *omnia* hæc fuiſſe. Fatum ejus porro indicatur, quod in uxorem Loti optime convenit. Namque hæc *nec fame*, *nec ferro*, *nec veneno* periit: quanquam non immerito dixeris, eam periiſſe hiſce *omnibus*, utpote quæ mortiferum hauſit *venenum*, demiſſo de cœlo ſulphureo imbre, & *fame* fuit vexata rerum Sodomis relictarum, quarum deſiderio reſpexit, reſpiciensque interiit. De *ferro* incertus adhuc ſum animi, quid ſentiam: niſi forte iniquum eſt, requirere, ut omnia hiſtoriæ exactiſſime reſpondeant. Fortaſſe tamen Autor hujus epitaphii reſpexit ad illam fabulam, qua traduntur viatores ſæpius aliquam partem ſalinæ illius ſtatuæ cultro gladiove reſecare, ſtatim tamen renaſcituram. Ceterum veriſſimum eſt, quod uxor Loti dicitur *nec cœlo jacere*, *nec aquis*, *nec terris*, ſeorſim ſcilicet, & tamen *ubique*. Sita eſt enim quaſi in aere, adeoque & *cœlo* jacere dici poteſt, nec minus, cum pluit, *aquis*, & ſimul, cui innititur, *terra*. Qui hoc

hoc monumentum posuit, DEUS fuit. Is rectissime *Lucius* appellatur, lux quippe ipsissima, & pater luminum, habitans in luce inaccessibili. *Agatho* idem summo vocatur jure: nemo est enim *bonus* præter DEUM. *Priscius* denique non inepte audit: est enim senex, ut qui maxime, & repræsentatur vocaturque senex apud Danielem vatem. De Deo autem porro dici potest, quod uxoris Loti *nec maritus, nec amator, nec necessarius* fuerit, cujusmodi homines alias defunctis monumenta curant fieri. Itaque nec mirum, quod *neque mœruisse, neque gavisus esse, neque flevisse* perhibetur. Hoc autem monumentum si quis *molem vel pyramidem vel sepulcrum* vocaverit, ab usu loquendi sane recedet longissime. Hæc tamen *omnia* non immerito fuisse videtur hæc salis statua. *Moles* utique fuit, & *pyramis* quoque dici potest, cum in aerem promineat pyramidum instar, nec non *sepulcrum*, quia hic continetur homo vitæ exsors. DEUS vero *scit* profecto, *quid posuerit*: sed & *nescire* dici argute potest, sitne hæc *moles*, an *pyramis*, an *sepulcrum*. Nam nihil horum statuere voluit præpotens Numen. Reliqua, quibus ab aliis finitur Epitaphium, (*Hoc est sepulcrum, intus cadaver non habens, hoc est cadaver sepulcrum extra non habens, sed cadaver idem est & sepulcrum sibi*) tam sunt perspicua, tamque concinne dicuntur de Loti uxore, ut otiosum sit futurum negotium, si & in his exponendis morari velim. Hactenus Cl. Heumannus.

Das Evangelische Lüneburg.

i. e.

HISTORIA REFORMATIONIS ECCLEsiastica Luneburgi, in qua Monasteria, Reformatio, Doctores Ecclesiæ, Colloquia Tripolitana & controversiæ Theologicæ ex Documentis, simul exhibitis, sistuntur a JOHANNE GEORGIO BERTRAM, Brunsuigensi ad D. Martini Pastore.

Brunsuigæ, apud Ludolphum Schrœdterum, 1719, 4.
Alph. 5 plag. 12.

MUlti laboris industriæque minime contemnendæ opus Autor admodum Reverendus, qui a se quoque Historiam Ecclesiasticam Luneburgensem, Hannoveranam, Hildesianam, Mindenamq; Evangelicam, tum vero & corpus, ut vocat, Rescriptorum Consistorialium, una cum descriptione Monasteriorum Luneburgensium, a Leznero non satis expositorum, expectare jubet, suscepit; opus insuper tale, quod ad amplificandum urbis antiquissimæ decus & gloriam, si quodquam aliud, accommodatum, exponendisque simul permultis, hac itidem occasione occurrentibus, Ecclesiæ purioris fatis & certaminibus, peropportunum est. Antiqua fata Ecclesiæ adversa in præfatione statim noluit intacta, ubi ex Carolo Scribanio & Hieronymo memorat, non tot mactatas in V. T. fuisse peccudes, quot sub persecutionibus Ecclesiæ Christiani fuerint cæsi, nec anni dies recolendæ Martyrum memoriæ suffecturos, si singulis diebus vel quingentis piis testibus justa persolverentur. Plura, quamvis, si numerum spectes, sat multa jam fuerint producta, hic monimenta comparuissent, nisi, quod conjicit Autor, antiquissima a Monachis, e Monasteriis ejectis, simul ablata, ut itaq; copia, de fundationibus, donationibus, reliquiis, Vicariis antiquis κ. τ. λ. fusius tradendi, fuerit adempta. Antiquitatem urbis Dittmarus Merseburgensis, Franciscus Ireneus, aliique loquuntur. Num ab Hermanno Stupkenshorn, qui periude templum A. C. CMLXXI exstruxit, fuerit condita, uti Petrus Bertius, Comment. rer. Germ. p. 599 innuit, alii dispiciant. Templa primum & monasteria diligentissime perquirit Noster, minora ne quidem præteriens, nec insuper habitis, quæ Pontificiorum sæpe tunc confinxerat ruditas, ubi v. g. non Schmidio tantum, sed vel ipso Gamansio Lojolita sic opinantibus, pro *Ximillia* XI millia virginum somniaverant. Lunæ idolum hic haud dubie quondam religiose cultum est, idque vel ad Caroli M. usque tempora, quod *Sagittarius* in origine & incrementis Luneburgi, tum vero & in memorabilibus Histor. Luneburgicæ, *Lossius* in Luneburga, *Meibomius* Sen. in Histor. Bardevici, cum *Leibnitio*, copiosius affirmant. Primordia emendationis Sacrorum Luneburgi postea, ubi facta fuerint, expromitur, anno Melanchthoni

Præf.

p. 15.

18.

31. seq.

thoni emortuali, in suggesto, quod scilicet annus 1560 fuerit, recte expresso, quandoquidem aliorum de anno 1559, quo expirasse creditur, sententiam monimenta fere omnia tum vero & illud facile consutat, quod A. 1560 ultimam adhuc in verba Davidis orationem: *Aspicis me in forma hominis*, conscripserit, & Testamentum à se factum ita inchoaverit: A. 1560 *die Aprilis decimo octavo scripsi hoc testamentum &c.* ut de colloquio cum Camerario ne quidem memoremus: quæ omnia, cum anno antecedente obiisse, obstant. Conf. Adami vit. Theol. p. 351 seq. Reformationis Luneburgensis negotium fuse persequitur Autor, cum vel hymnorum cantu pellerentur Pontificiorum Clerici, & Urbani inprimis Rhegii industria eluceret, qua cum Ecclesiæ Ministris singulis septimanis conferebat eosque sensum futuri Evangelii edocebat. *Commodati* scilicet, quod alii jam tum observarunt (D. Zeibich de Theol. commodat. p. 32, 34) Theologi hic Rhegius præstabat operam, ea sæpius severitate, ut Senatores male aliquando tergiversantes, vel sic compellaret: *Domini, Evangelii promovere cursum serio allaboratis minime, vestrum misereatur Deus, vosque in posterum amplius confirmet.* Vitæ insuper hic, si saltim extantiores notemus, recensentur *Henrici Rudebrockii*, *Pauli á Rhoda*, *Christophori Hegendorfini* (hominis scholæ dediti, Theologiæ tamen amantis, sed publicis etiam negotiis, ut JCtus ideo multis quoque salutetur, implicit, quamvis tamen, missa vocatione Juris Rostochiensi, Ephorus Luneburgensis tandem evaderet) *Frid. Henningii*, *Jo. Eckenbergii*, *Casp. Gœdemanni* (qua occasione promoti a schola ad ministerium, Ephorias cumprimis, recensentur) *Petri Ebelingii*, *Sigismundi Schererzii* (quem a malevola G. Arnoldi imputatione liberat Autor, insimul vero, quod Ducem Rudolphum Augustum, sextimestrem, qui baptizantem barba prehenderit, baptizarit, Paulique Felgenhaueri & complicum erroribus mascule obstiterit, memorat) *Petri Rebinderi*, (cui de Calvinismo irreconciliabili disputatio, Hulsemanno alias adscripta, secus, quam Pritius & Vhsenius fuerant opinati, tribuitur, simulque male morati Luneburgensis, Christiani Hohburgii, factæque propemodum, haud dubie per eum, B. Pfeifferi seda-

38. seqq.
42.
110.
22.
134. 137.
157.
159. 606 seqq.
216.
227.
289.

ctionis, mentio injicitur, multo in Arnoldum erronem zelo
p. 236. hinc inde ostenso) *Casparis Hermanni Sandhagenii* (qua simul occasione Jo. a Labadie, Duræi & Amersbachii molimina af-
242. feruntur, una cum Sandhagenii palinodia, ac Waltheri quere-
245 la, viros scilicet Politicos maximam partem sese habere ad in-
249. seq star materiæ primæ, quæ apta sit omnes Religionis recipere formas. Sine pompa funebri, more posthæc pluribus Theologis recepto, sepeliri volebat, Coccejum nimium fere in oculis ferebat, de secundo Babelis lapsu liberius aliquando con-
254. cionabatur, Doctoris alias & Ephori Luneburgensis Generalis axiomate, quod tamen illi a Zieroldo & Serpilio tribuitur u-
255. trumque, minime appellandus.) *Jo. Wilhelmi Petersenii*, de quo consulto hic tacemus, *Godofredi Weissii*, posteaque, saltu a typographo in paginis facto, p. 577 (pro 277)
277. *Henr. Jonathan Wehrenbergii*, & *Jo. Christ. Jauchenii*. Pars
591 seqq. operis tertia Pastores post emendata a Luthero Sacra, recenset, nec Diaconis, aliisque, quorum recensio saltim patriam habi-
646. tantibus non poterat evenire ingrata, omissis, quos inter Joannem etiam Mullerum deprehendimus. Additamenta Partis secundæ documenta numero CXLIIX exhibent, quibus ab anno 1530 ad 1581 gesta in Ecclesia, cui inprimis militandum fuit, egregie illustrantur.

PAPISMI LABEM ΓΝΗΣΙΩΣ *LUTHERANIS HAUD absque injuria adspersam, Epistolis ad Amicum datis eluit BALTHASAR MENZERUS Eccles. Augustanæ Londinensis Pastor.*

Londini, apud H. Clements, 1619, 8.

Alph. 1 Plag. 1.

NOn se continuit intra Saxoniæ terminos Secularis Sacri, quod in memoriam emendationis, per Lutherum factæ, festo celebravimus, ritu celebritas, cum & maria transvolaverit, & in Anglia quoque vel hinc piæ animæ exultaverint. Eadem quippe excitavit perinde Maxime Reverendum Apologiæ, quam diximus, Autorem, ut velut Epistolico ad amicum Medicum

com-

commercio usus, Jubilei Evangelici magna cum voluptate recordaretur, prorsusque in eam concesserit sententiam, vel in ipsa Johannis Apocalypsi *Jubileum* A. 1617 *primum* c. XIIX, 1, 2, *secundum* vero 1717 ibidem v. 3, *SECUNDO dixerunt Alleluja*, indicari. Crediderant nonnulli Britannis viciniores, parum distare a Religione Papæa Lutheranam; labem itaque isthanc detergit Noster, ostendendo, 1) Confessiones, quibus nitimur, publicas Papatum mire rejicere ac damnare; 2) Dogmata Lutherana a Papæis in immensum abhorrere; 3) Pontificiorum in Lutheranos odia & persecutiones dissensum mire eloqui & declarare. *Primum* ita ostendit, ut ex symbolis nostris, quam abhorreamus a Papatu, clarissimis inde allatis locis, manifeste doceat. Dogmata vero, *secundo*, eundo per singulos Articulos, tam dissentire inter se, ad oculum docet, ut cum intempestivis Conciliatoribus fungum stipitemque sit oporteat, qui discrimen, nunquam sufferendum, vel manibus palpare nolit. Absentem statuere Christum, cœlo includere, qua humanam naturam, Jesuitis, in quos illud Poetæ quadrare ait:

p. 2.

2 usque 26.

27 seqq.

31.

Tam procul a Jesu non iit ulla cohors,

ac Pontificiis aliis, ad Nestorianismum pronis, vel ideo arridebat, quod speciosius ita absenti substitui in terris Vicarius posset. Semper esse visibilem Ecclesiam, palmarium, cui adhærent Pontificii, caput est, dignumque adeo Autori visum, ut, quam absonum sit, strictim exponeret. Visibilis sæpe Ecclesia errat, Es. LVI, 10 latentibus piis, membrisque veris 1 Reg. XIX, 10. Catholicismum etiam alii crepant; at antiquitate se vel Ethnicismus tuetur una cum serpente antiquo; amplitudo in *lata* quoque conspicitur *via*; successio localis nulla, cum vel ex Ephesinis Presbyteris venerint lupi Act. XX, 17, XXVIII, 30. Harmoniam inter Pontificem, ejusque fidei addictos, quid probet? cum eadem vel Dæmones quandoque gaudeant Luc. XI, 18 &c. Eundem fuisse Johannis & Apostolorum baptismum; transsubstantiationem, judice vel ipso Scoto, ex Scriptura probari non posse; absonos plane esse Pontificios, Clericis quoque *non conficientibus* solum porrigentes panem, quia Apostoli sub utraque

125.

129. seq.

p. 157.

151.

158.

B 3 com-

communicantes, non fuerint *conficientes*, cum Corinthii totum sumentes Sacramentum, 1 Cor. XI, 26, omnes minime fuerint Sacerdotes; ad Missam respici, cum Apoc. XI, 8 Dominus *Roma* diceretur *crucifixus*; Missarum nundinationes vel ipsis Pontificiis nasutioribus esse exosas; vinum, aqua dilutum, in cœna admittentes, propria cædere vineta; infantibus dandam esse minime cœnam; impanationem, consubstantiationem, inclusionem localem, conjunctionem Physicam, unionem in cœna hypostaticam &c. nostris perperam tribui Theologis; vana esse de limbis infernalibus somnia &c. doctrinæ sunt ab Autore omnes non sine oleo excussæ. Legi tamen merentur præ reliquis quæ denique de odiis Pontificiorum & persecutionibus adversus nostrates, eundo per Germaniam, Daniam, Norvagiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, Galliam, Angliam, Scotiam, Italiamque, (in quo ordine Bellarmini, in nos invecti, sequitur vestigia) ut stupeat pia mens & exhorrescat, recenset. Minitatus fuerit A. 1539 Georgius Dux, *viderent Saxoniæ Elector ejusque fœderati, ubinam circa Pentecosten manerent*; illo ipso Pentecostes Festo, Georgio mortalium rebus exemto, Lutherus, Angelus Apocalypticus, vel ex ipsius Benjamini Woodrofii sententia, Lipsiæ concionatus, primordia emendationis Sacrorum, nuncio his regionibus auspicatissimo, dabat. Capto posthæc Septemviro, Joanne Friderico, Canonici Misenæ, decantato hymno, quem Ambrosianum vocant, læti equidem exultabant, gaudio tamen cœlitus interrupto, cum fulmen, semel saltim tonante cœlo, ædem incenderet, dejectis turribus tribus, campanisq; ac organis musicis igne liquefactis & consumtis, ipsumque adeo dura consilia improbaret. Landgrafius insuper Philippus, voce einige conversa in ewige, delusus, carceres evadere non poterat, consiliis Papæ iniquis undiquaque emergentibus. Crudelitatis Pontificiæ exempla insignia si requiras, hic sane evidentissima, compendio veluti comprehensa, habebis, adjectis simul iis, quæ, Lutheranos esse omnino Christianos, male quosdam dubitantes, odium vero Pontificiorum in eos esse implicabile, exactissime docere possunt.

[Margin: 164. 167. 173.76. 189. 190. 239. 241. 250. 264. 265. 278. 286. 288. 293. 307. 315. seqq. 321. 326. 333.]

GE-

GEORGII WOLFGANGI WEDELII Centuriæ secundæ Exercitationum Medico-Philologicarum sacrarum & profanarum Decas V.

Jenæ, sumtibus Jo. Fel. Bielckii, 1720, 4.

Plag. 8.

Decadi Wedelianæ quartæ, quam A. 1715 p. 174 recensuimus, quinta nunc succedit, cujus tres priores Exercitationes in *Elia Artista* contemplando versantur. Notat hic Celeb. Wedelius Lindenii & Mercliri errorem, *Heliam Artistam* inter auctores librorum Medicorum laudantium. Est autem nota Chymicorum fabula, Eliam quendam Artistam olim venturum hominesque edocturum artem metalla viliora in aurum transmutandi. Conf. Observat. Select. Halens. T. VI Obs. 23. Existimat Cl. Wedelius, Chymicum istum Eliam excogitatum fuisse imitatione Judæorum, adventum Eliæ exspectantium, planeque inter figmenta credulorum Alchymistarum esse referendum. *Exerc. IV* & *V* agit *de Cosmeticis in Sacris*. Speciatim illustrat locum *Esther. II, 12*, de purificatione & exornatione fœminarum illustrium, & alia S. Scripturæ de ornatu facierum muliebrium loca difficiliora. *Exerc. VI* & *VII* disputat *de morbo Jorami*, Regis Judæ, quem putat fuisse *lienteriam*, cujus naturam ex Hippocrate describit. *Exerc. VIII* de mutatione aeris disserit. *Exerc. IX* contemplatur fœminam in Historia Evangelica memoratam, quæ duodecim annorum profluvio sanguinis laboravit. Hac occasione meminit fœminæ suæ curæ subjectæ, quæ per quatuordecim annos fere perpetuo laborabat sanguinis profluvio: communicatque cum lectoribus remedia, quæ tum isti infirmitati opposuit. Ceterum ad Evangelicam illam mulierculam quod attinet, Cel. Medicus noster opinatur, eam non solo mensium fluxu immodico laborasse, sed cum eo conjunctum fuisse fluxum hæmorrhoidum. *Exerc. X* de hydropico divinitus curato agit ex *Luca XIV, 1.* Ostendit miserrimum hydropici hujus statum, indeque cognosci a Judæis debuisse docet divinam Jesu potestatem atque (liceat sic loqui) θεανθρωπίαν.

CA-

CATALOGI STIRPIUM AGRI BONONIensis Prodromus, Gramina ac hujusmodi affinia complectens; Autore JOSEPHO MONTI.

Bononiæ Studiorum, apud Constantinum Pisarri, 1719, 4.
Pl. 13 Tabb. æn. 3.

PRæter fossilium agri Bononiensis catalogum, cujus specimen mox exhibebimus, integrum plantarum agri Bononiensis Indicem aliquando editurus est patriæ historiæ naturalis diligentissimus scrutator, Josephus Montius, cujus de Graminibus prodromum emittere non dubitavit, ut inde cognoscant rei herbariæ periti, quid ab Autore in reliquis sperare liceat. In illis qui graminum species in ordines suos digesserunt, principes sunt nostræ ætatis Botanici, Joannes Rajus & Josephus Pitton Tournefortius, quos in multis sequi Autor sibi minime pudori ducit. Distribuit autem in duas classes omnium graminum species. Harum prima continentur omnia, quæ folio gramen referunt, & vulgo graminifolia appellantur, cereales omnes, cyperus, arundo, scirpus, juncus, tipha & similia, quæ omnia præter juncum & juncaginem florem ferunt apetalum. In his describendis per omnia servat celeb. Tournefortii methodum: tria tamen genera plantarum huic classi adjecit, quæ a docto illo Viro neglecta sunt. Altera classis est ipsorum graminum, in quibus digerendis propriam sibi eligit rationem, & differentiam petit vel a structura locustarum, quæ integram spicam, vel paniculam, componunt, & facile separari possunt, vel ab ipsis integris paniculis, aut spicis, quando nempe ita vel compactæ sunt in spicis locustæ, vel tam exiles, ut facile discerni nequeant, sicut in tabula descriptum est. Non vero anxie perquisivit Autor, quo minimum differunt vel paniculæ, vel locustæ ne crucem discentibus figat, & confusioni ansam præbeat, sed quod intuenti primum se offert, differentiæ notam constituit. Cujuscunque igitur generis gramina, quorum locustæ, separari queunt, distinguuntur, in paniculata, & spicata; spicata vero sunt, quorum locustæ pediculis carent, & coactæ scapo affixæ sunt; paniculata sunt, quorum locustæ pediculis, vel

vel brevibus, vel longis suffultæ scapo adhærent; locustæ istæ spicarum vel panicularum sunt portiunculæ, quæ calicum more flores & semina, in aliis, continent, & ex glumis squamosis componuntur, quæ iterum vel proprias aristas habent, vel iis destitutæ sunt. Hanc suam methodum pro omnino perfecta habendam non vult modestus Autor, sed difficultatibus eandem premi, non dissimulat, ideo tamen prolata est, ut aliis ad meliora incitamento sit, qualia sperari propediem jubet, cum a Petro Antonio Michaele, Magni Ducis Hetruriæ Botanico, tum a Sherardo, qui in Bauhini Pinace Botanica emaculanda occupatur, & a Joh. Scheuchzero in historia graminum, ad quorum præcepta suam methodum refingere non detrectabit. In ipsa vero graminum descriptione hunc tenuit Autor modum, ut primum plantæ nominis etymon, inde notam propriam, & demum vim medicam exponat. Nominum multitudo non raro confundit herbariæ studiosos, & offendit imperitos, hinc tribus saltem diversis sua gramina imprimis compellavit, reliqua ex Bauhinis supplenda relinquit, a novis etiam fingendis nominibus sedulo abstinuit, sed potius aliorum nomina suis applicat graminibus. Notas veras ab apparentibus, & minus constantibus distinguit, nam sæpe unius speciei graminibus accidit, ut paniculæ, spicæ, locustæ magis vel minus densæ, hirsutæ, longæ sint, vel colore differant, quamvis diversæ non sint; a quibus ergo ne decipiatur Botanicus, cavendum est, cum nec Autor se omne tulisse hac in re punctum asserere audeat. Per ætates etiam suas varias colligere gramina jubet, quo singula in illis dignoscantur rectius, radices etiam evellere, easque perquirere, atque specificas inde notas petere. Quatuor graminum icones, quas æri incidendas curavit Cl. Autor a perito artifice, specimen exhibent plenioris operis, quod de graminibus & graminifoliis adornare constituit, ad quod promovendum non invitos horum amantes suam collaturos esse symbolam, nulli dubitamus.

DE MONUMENTO DILUVIANO NUPER in agro Bononiensi detecto dissertatio, in qua permultæ ipsius inundationis vindiciæ a statu terræ antediluvianæ & postdiluvianæ desumtæ, exponuntur a JOSEPHO MONTI,

Bononiæ Studiorum, apud Rossi & Socios, 1719, 4.
Plag. 8 tab. æn. 1.

OPusculum partitur Cl. Autor in tria capita, quorum primum exhibet faciem terræ, quæ fuit ante universi diluvium; secundum effectus diluvii & statum terræ post illud fatum sistit; tertio de monumento diluviano nuper reperto in agro Bononiensi & hic exhibito agitur. Ex nihilo fecit Deus materiam cœli & terræ in immenso chao aquarum; ingens vero abyssus tenebris obducta fuit ad creationem usque luminis, ac divisionem, qua Deus aquas & materiam tenuiorem ad efformandum firmamentum, cœlum vocatum, distinxit & ex chao extraxit. Reliqua crassior materia in immani aquarum sphæra submersa remansit, unde collectæ fuerunt aquæ infra cœlum. Supposita autem aquarum sphæra una cum terræ materia, conceptu difficile est, quomodo reduci potuerit tam grandis aquarum copia in locum unum, nisi confugiatur ad vastum intra terram spacium aquis repletum in ipsius terræ solidæ cavo, quod ab Autore tanquam suæ hypotheseos principium constituitur. Materia itaque terrestris fluida fuit ante emanationem divinæ virtutis, & sua forma destituta, quæ introducta est variis excitatis motibus in diversis omnis generis minoribus partibus, quæ ad se varie delatæ & collectæ ex occursu diversas novas figuras nactæ sunt. Ex motuum autem varietate & productis inde variis corporibus salinis, sulphureis, bituminosis, metallicis, orti sunt ignes subterranei, quorum ope perfectæ fuerunt arcuatæ terræ expansiones, ut spacium in ea relinqueretur, & circa ipsum externa crusta globi solidaretur, includendo maximam aquarum partem, quæ ante materiam involverant. Hæ aquæ ingens hydrophylacium centrum telluris igneum ambiverunt, centrum vero infernus tormentorum locus impiorum est: reliquæ aquæ extra in maria collectæ sunt. Terra ex abysso aquarum emanans in media firmamenti regione sphæricam figuram nacta, ex æquali omnium ad centrum commune pressione in libero aere suspensa est. In montibus antediluvianis mineralia atque m[illegible]la e fluido producta sunt servatis gravitatis legibus

gibus, & tali ordine collocata, ut sine diversorum generum confusione propria metalla aliaque fossilia omnis generis, pura in stratis suis propriis subsiderent. Quo collocato rerum ordine facile licet cognoscere, quomodo ignis in centro universi suppositus, circumfusam & in hydrophylacio contentam aquam in vapores possit expandere & per quoscunque globi terrei meatus urgere & ad superficiem agere, ubi confluentes constituunt fontes, flumina, lacus, reliqua, quæ omnia in maria circumfusa se præcipitant, ex quibus per gravitatis vim propriam versus centrum denuo deprimuntur, pars vaporum forma tollitur per atmosphæram & rursum vel depluit, vel aliis modis delabitur, & sic rediit res in circulum, quamdiu mundus ante diluvium integer perstitit; qui vero totus immutatus est, & omnia quæ vivebant super terra destructa sunt, universi inundatione facta, qua fontes abyssi, id est, aquæ terra absconditæ & in hydrophylacio detentæ foras propulsæ sunt, & vapores in atmosphæram emiserunt, qui quadraginta dierum imbribus sufficerent, quibus dilata sunt in universo omnia, & accedente aquarum per ventos vehementiori quassatione, & motu, ignis centralis ac pressionis telluris pressioni contrario, in minimas partes dissoluta, ut in communem massam confluerent, iis saltem durantibus, quæ a subterraneis motibus longius distiterunt, quæ cum iis, quæ extra terram, animalibus & plantis confusæ massæ immersa & admixta sunt, & quadraginta dierum spatio jactata; quo exacto pluere desiit, hiantibus adhuc subterranearum aquarum fontibus per centum quinquaginta dies, quibus aquæ in sua diverticula remeare inceperunt. Unde mundus, idem post diluvium, qui fuerat ante, iterum conspectus est, per strata legibus gravitatis conformia quidem, sed minime, ut ante, sibi homogenea, verum tot agitationibus & jactationibus confusa, igneque centrali agente rapta, elevata & depressa, nec horizontali situ parallela, sed arcuata alia, alia inclinata, & varium positum obtinentia. Et tunc factæ sunt montium fissuræ & insularum a continente terra diruptiones. Illa vero, quæ inde terra effossa & nunc eruuntur, peregrina corpora, marina & terrestria, universali terræ dissolutione facta, aquæ immersa & stratis immix-

p. 7. 8. 9. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 20. 21.

mixta sunt, & varias mutationes passa a materia, in quam casu
p. 22. inciderant. Labefactare equidem hanc sententiam, sunt, qui
conantur, eo quod ex pluribus altæ molis montibus nihil harum
24. diluvii reliquiarum tollere datum sit: verum iis responsio datur, quod tales illorum montium occultis sinubus latere queant
erodentes partes minores, quæ exedant & dissolvant contenta
dura corpora, cum e contrario alii montes talibus referti possint esse corporibus, quæ cogant magis & indurent: quam rationem confirmant montes, in quibus rarius talia dispersa inveniuntur frusta & vix integra, sed corrosa & extrita corpora. Nec
rationi consentaneum est, aquam diluvio jactatam per univer-
25. sum æqualiter graviores integras moles secum abripuisse. Ex
hac vero plena universi solutione, metallorum, quæ nunc est,
generatio cognoscitur, nempe productæ in principio rerum partes, & confusæ per diluvium cum aliis sua gravitate depressæ
27. quidem ad suum modum sunt in stratum proprium, sed minus
puræ nec segregatæ ab aliis omnes, quæ ab igne subterraneo varie agitatæ inde in cristallos durari vel alio modo sibi accrescere
28. valent. Stalctites & ceteræ omnes aquarum productiones concretæ in cryptarum fornicibus & locis, per quos aquæ meant, ex
sale calcario coalescunt, & hoc sale referta sunt telluris strata
29. post diluvium, quæ partes ad se delatæ in glaream & saxa con-
30. crescunt, & in quoscunque lapides solidantur, & minimis admix-
32. tis partibus metallicis fiunt marmora, & versicolores lapides &
33. certis figuris impressis insignes: atque eodem sale imbuta sunt
marina & reliqua animalium & vegetabilium frusta terra effossa, & solutione universi per diluvium facta, submersa. Finita
autem inundationis terræ pœna, & exsiccata, defluentibus aquis,
terra, semina vegetabilium in superficie hæsisse, eorum credere
jubet levitas, & quod plantæ, quæ ante certis orbis regionibus
erant propriæ, nunc pluribus communes sunt, ex illa terræ diversarum partium confusione est. Quæ Autoris de statu telluris,
ante & post diluvium, asserta innixa esse iis, quæ a celeberrimis
Viris, in primis Woodvvardo, Scheuchzero, Baiero, Buttnero,
aliis adstructa sunt, non dissimulat, & inde pergit sui mo-
37. numenti diluviani rationem C. III reddere. Variæ autem in
col-

collibus montibusque Bononiæ reperiuntur animalium exuviæ, diluvii reliquiæ, quas collectas aſſervant in muſeis urbis proceres, & Autor noſter in ſuis ſcriniis. Id vero, de quo hic agitur, monumentum reperit ruſticus juxta montem Blancanum ex rupe delapſum, qua perfoſſa nihil amplius repertum eſt. Atque hoc lapidis fragmen longitudinis eſt ſemipedalis & unius digiti, latitudinis fere æqualis: quinque digitos craſſum eſt: totumque ex arenario lapide cœruleſcente in angulo luteſcente conſtat: commixtum eſt chamis pectunculisque marinis petrefactis: in ejus medio aſſurgit ſubſtantia nigra oſſea, atque nitida, quæ lapideſcente ſale infarcita oſſeam in terream mutavit naturam, ſervata oſſis facie, colore & poroſitate: in una parte in cuneum deſinit quatuor digitorum longitudine, qui ſuperiorem partem verſus digitos quatuor ſe extendit in duobus convexis ejusdem longitudinis fruſtis, quæ a cornibus alicujus quadrupedis expolitis non multum abludunt. Horum pars inferior contecta eſt eodem cœruleſcente lapide, qui circa medium pronæ partis arenam luteam non penitus induratam oſtendit, in qua cujusdam oſſeæ cartilaginis cernuntur veſtigia. Peripheria fragmentorum oſſeorum uncias octo non excedit, ac in ſingulis cernitur foramen terra oppletum. Fragmenta rotunda omnino non ſunt, ſed parumper compreſſa ſupina parte, ubi apparent dentium molarium in mandibulis duabus notæ, inſtar bubulorum, etiamnum oſſeam ſubſtantiam coloris, ex nigro livide cineraſcentis, ſervantium, quarum una trium digitorum longitudine conſtat, & ubi deſinit, conjungitur cum inferiori parte oſſea, quæ lapide obducta, pariter in cuneum abit. Ex qua effoſſi corporis deſcriptione Autor conjicit eſſe capitis & dentium equi marini, a variis varie appellati, & deſcripti, per diluvii undas in hunc locum delati, fragmen, quod veritatem factæ univerſi inundationis clare demonſtret, ad quod adeo explicandum divinæ gloriæ potiſſimum promovendæ ſtudio incitatus fuit.

p.41. 42. 43. 44. 46.

LECTURES OF EXPERIMENTAL PHILOSOPHY. h. e.

LECTIONES PHILOSOPHIÆ EXPERImentalis; Autore J. T. DESAGULIERS, Art. Mag. Societatis Regiæ Sodali.

Londini, apud W. Mears, B. Creake & J. Sackfield, 1719, 4.
Alph. 1 pl. 5 Tabb. æn 10.

Lectiones has edidit *Paulus Dawson*, *Desagulierii*, qui collegiis experimentalibus famam sibi Londini comparavit, in istis lectionibus auditor, inscio primum Magistro, sed institutum postea probante, cum ipsi a bibliopola satisfactum fuisset, ac sphalmata, quæ copiosa irrepserant, corrigente ac præfationem præfigente. Monet in præfatione *Desagulierius*, ante 16 circiter annos *Johannem Keilium*, hodie Astronomiæ Savilianæ Professorem, primum in Academia Oxoniensi lectionibus philosophiæ experimentalis vacasse ac in Auditorum gratiam nonnulla literis consignasse. Ultimo collegio se auditorem interfuisse, MSC. tamen ab eo non accepisse. Compellatum postea ab amicis, ut Philosophiam experimentalem interpretaretur, se Lectiones *Keilianas*, quæ MSC. circumferebantur, correxisse & nonnulla hinc inde addidisse: unde enatæ sunt, quas *Dawson* edidit, lectiones Philosophiæ experimentalis. Cum in iis non contineantur, nisi quæ hodie jam ubivis obvia sunt, nuda argumentorum recensio satisfaciet.

Præmissis Philosophiæ naturalis definitione, nonnullisque principiis, una cum explicatione nonnullorum terminorum in Mechanica atque Statica receptorum, de potentiis mechanicis differit, veluti libra & statera, vecte, trochleis, axe in peritrochio, cuneo, cochlea. Sequuntur ex principiis *Newtoni* leges, quas vocat, naturæ, ac inde motus ex conflictu corporum oriundus illustratur. Succedunt propositiones hydrostaticæ de pressione fluidorum & corporum in fluidis gravitatione, quæ ex libellis hydrostaticis passim prostantibus ac *Boylii* Paradoxis hydrostaticis notæ sunt. Subjungitur descriptio antliæ pnevmaticæ a *Guerickio* inventæ, sed in accidentalibus nonnullis a *Boylio* immutatæ: una cum Sylloge nonnullorum experimentorum,

quæ

quæ ope antliæ pnevmaticæ fieri solent. Cumque de aere condensando disseruisset, de barometris, thermometris & hygrometris tractat. *Quæ ex catoptricis & dioptricis afferuntur, ex opticis Lectionibus *Gregorii* translata esse, ipse in præfatione monet. Sed hac data occasione *Newtoni* quoque theoriam de diversis refrangibilitatis luminis gradibus experimento illustrat, & colophonis loco describit cum machinam ad aerem condensandum utilem, tum *Rowleyi* cujusdam Machinam, qua motus Lunæ circa Terram, Terræ, Veneris & Mercurii circa Solem exhibetur.

Neue und gründliche Anweisung, wie nach einer Universalen Methode grosse Sonnen-Uhren aus einem Arithmetischen und Geometrischen Fundament aufzuzeichnen,

i. e.

NOVA EXPOSITIO METHODI CUJUSDAM universalis horologiorum sciatericorum majorum praxi Arithmetica & Geometrica describendorum, &c. IV partibus absoluta; Autore JOH. GABRIELE DOPPELMAIR, Leopoldino-Car. Nat. Cur. & Regiæ Berolin. Societ. Membro, Math. Prof. Publ.

Noribergæ, impensis J. Christoph. Weigelii, 1719, fol.
Alph. 2 pl. 10 cum æn. Tabb. 20.

QUantum afferat utilitatis ejusdem problematis plures in promtu habere solutiones, quarum quævis suo loco & tempore adhiberi possit, cum una eademque praxis ob difficultates sæpenum[illegible] occurrentes non semper satisfaciat, eos saltem latet, qui superficiaria rerum cognitione sunt imbuti. Clarissimus vero Autor, cum pluribus editis insignibus speciminibus satis probasset, quantum in praxi theoriæ jungenda laboret, industriam suam etiam in perficiendis atque augendis praxibus horologiorum sciatericorum ponere constituit, nec adeo saltem illa, quæ in pridem notis methodis occurrebant, incommoda tolle-

tollere, quæque ad accuratiorem elaborationem faciliorem que conceptum facere experientia & ratione doctus erat, supplere, sed nova insuper praxi ac methodo adjecta disciplinæ hujus pomœria producere aggressus est. Adeoque in hujus operis prima parte ostendit, primo, qua ratione omnia horologia respectu positionis plani infinite variantia tanquam horizontalia tractari, hocque posito fundamento lineæ horariæ, hoc est, angulorum, quos eædem inter se faciunt, quantitates non Geometrica saltem enchiresi, sed & Arithmetico calculo determinari queant. Deinde docet, quomodo positio ipsius plani, in quo horologium designare convenit, accurate investigari, & declinatio magnetis, adeoque ejus ope meridiana linea ubique locorum inveniri possit. Circa prius rejecta praxi, quæ declinatorio magnete instructo utitur, utpote ob viciniam ferri cum magnete timendam variis erroribus obnoxia, commendat usum binorum horologiorum Horizontalium, quorum unum juxta meridianam lineam loco non longe a muro vel plano dissito disponitur, alterum ipsi muro vel plano applicatur, ita ut lucente Sole, & in utroque horologio eandem præcise lineam horariam indicante, angulus, quem meridiana horologii istius cum plano ipso facit, notari possit. Circa posterius suadet acum magneticam duabus pinnis instructam capsulæ quadratæ ex lateribus vitreis, adeoque transparenti includi, medium ejus punctum lineamque super meridiana alicubi descripta collocari, & collimando per duo dicta pinnacidia declinationis elongationem a meridiana & angulum quem cum ipsa facit eruere.

In secunda parte explicat binos modos Arithmeticos, quibus in vulgari methodo horologiorum ope lineæ æquinoctialis describendorum lineæ & anguli eorum investigari atque determinari possint; differuntque hi modi in eo, quod in eorum uno radius horologii æquinoctialis ad fundamentum descriptionis applicati, in altero indicis recti altitudo pro sinu toto assumitur.

Tertia tandem parte ex doctrina de projectionibus circulorum sphæræ in plano stereographicis ingeniosam depromit methodum Geometricam describendi quævis horologia itidem tanquam horizontalia spectata. Cujus fundamentum est, quod lineæ

lineæ horariæ ex centro horologii horizontalis ductæ transeant per intersectionem plani meridianorum (in quibus dato quovis tempore Sol moratur) & horizontis loci. Ex quo sane consequitur, quod si in projectione sphæræ, quæ vocari suevit stereographica, horizontem repræsentans circulus describatur, ipsique meridiani projiciantur horizontem projectum eodem plane puncto secantes, quo in ipso globo aut sphæra, tum per centrum projectionis & puncta illa intersectionis horariæ lineæ duci queant. Præmittit adeo explicationi hujus methodi succinctam institutionem projectionis stereographicæ, docetque deinde, quomodo ex descriptis in projectione tali meridianis & horizonte universum horologium absolvi possit. Ceterum quoniam horologii eo modo descripti horæ omnes eo quidem loco, ubi ipsummet actu horizontale existit, inservire possunt; alibi vero locorum, ubi beneficio saltem reductionis pro horizontalibus habentur, nequaquam, ob differentiam longitudinum sive meridianorum, quæ efficit, ut Sol prius sub horizonte posterioris hujus loci condatur, quam aliquam certam horariam lineam attigerit; ostendit, quomodo extremæ linearum horariarum utilium determinari possint.

Quarta parte de reliquis lineis, quæ horologiis inscribi & jungi solent, parallelis nempe Æquatoris, Tropicis, Azimuthorum, horarum Italicarum, Babylonicarum &c. agit, iterumque duplicem earum delineandarum modum describit, Arithmeticum nempe, in quo ex cognitis declinationibus altitudinibusque Solis cujusvis diei momento existentibus, angulisque adeo, quibus eodem momento Sol super horizontem elevatur, umbrarum longitudines determinare, Geometricum vero, in quo eadem absque calculo expedire licet.

En grundelig Anledning til Mathesin universalem och Algebram efter Heer And. Gabr. Duhres hulde Prælectiones sammanskrifwen af Georg. Brandt,

i. e.

D IN-

INTRODUCTIO ACCURATA IN MATHEsin universalem & Algebram: ex ANDREÆ GABR. DUHRII prælectionibus collegit GEORGIUS BRANDT.

Holmiæ, typis Jo. L. Horrn, 1718, 4.

Alph. 2 pl. 19.

SUblimioris Matheseos studia etsi per annos bene multos a variis gentibus Europæ certatim exculta sunt, paucos tamen in Suecia invenerunt, quos vel utilitate sua moverent, vel pulchritudine ac oblectatione mentis allicerent, certe qui tanti ea faceret, ut etiam patria lingua civibus suis commendaret, cultuque nobilissimæ artis rempublicam juvaret, ante Cl. Duhrium extitit nemo. Quid quod auditæ sunt voces eorum qui & intelligere Mathesin & alios docere debebant, satis tenuiter de exterorum profundis cogitatis sentientium, ac si hæc quidem commenta essent hominum, qui otio ac pecunia abundarent. Hæc talia tantum abest, ut animum Doctiss. Duhrii rei Mathematicæ semel dicatum alio flecterent, vel ab ulteriore arcanorum perscrutatione avocarent, ut potius, cum se a vivis doctoribus destitutum videret, mortuorum premeret vestigia, magnaque industria Mathematicos libros pervolveret. Quæ ipse didicerat, aliis suæ gentis hominibus invidere noluit, sed quod ante eum, vigente olim per Sueciam pace, libero cum exteris commercio parataque omnium rerum copia, haud quisquam suscepit, ipse tandem difficillimo patriæ tempore, connitente pererudito viro Georg. Brandtio, effectum dedit. Librum ipsum sex & viginti propositiones absolvunt. Initio quidem definitionem Matheseos variasque numerorum affectiones exponit, dataque occasione in consectariis & scholiis extractiones radicum ex æquationibus simplicibus & affectis, Vietæ ac Harriotto usitatas, præeunte Wallisio, demonstrat, deinde doctrinam proportionum evolvit, ac potiores demonstrationes Arithmeticæ vulgaris & logarithmorum nec non Arithmeticæ surdorum, una cum illius praxi, adjungit. Vigesima quinta propositione ejusque consectariis & scholiis artem exterminandi quotcunque incognitas quantitates demonstrat, aliaque ad propositarum quæsti-

ſtionum canones generatim inveniendos neceſſaria explicat. Tandem præcipuas quasdam propoſitiones ad ſummas ſerierum capiendas ex Walliſii Arithmetica infinitorum depromit.

C. G. SPECIMEN METHODI AD *ſummas Serierum.*

1. SEries omnes, modo certam progreſſionis legem ſervent, ad formulam aliquam ſeu terminum generalem revocari poſſunt. Terminum generalem illum voco, qui poſita, quam continet, quantitate variabili v. gr. $x=1$ det terminum primum; poſita $x=2$ terminum ſecundum & ſimiliter ceteros.

2. Terminorum generalium, veluti ipſarum ſerierum, duæ ſunt claſſes:

I. Ubi omnes exponentes in termino generali ſunt conſtantes, ut ſeriei $1+2+3+4$ &c. terminus generalis eſt x; ſeriei $\frac{1}{2}+\frac{1}{6}+\frac{1}{12}+\frac{1}{20}+$ &c. terminus generalis eſt $\frac{1}{x^2+x}$; ſeriei $\frac{2}{64}+\frac{11}{544}+\frac{26}{1972}+\frac{47}{5014}+$ &c. terminus generalis eſt $\frac{3x^2-1}{9x^4+36x^3+33x^2-6x-8}$. &c.

II. Ubi in formula generali datur exponens variabilis, h. e. ubi x quomodocunque affecta ingreditur exponentem, ut ſeriei $\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{16}+$ &c. terminus generalis eſt $\frac{1}{2^x}$; ſeriei $\frac{1}{3}+\frac{1}{81}+\frac{1}{19683}+\frac{1}{43046721}+$ &c. terminus generalis eſt $\frac{1}{3^{x^x}}$.

Nos nunc quidem primæ tantum claſſis ſeries perſequi earumque ſummas indagare conſtituimus.

3. Si quis vero difficile putet hujus classis series ad generalem terminum reducere, multum juvabitur hoc canone: $a + (x-1)\,b + \frac{(x^2-3x+2)\,c}{2} + \frac{(x^3-6x^2+11x-6)\,d}{6} + \frac{(x^4-10x^3+35x^2-50x+24)\,e}{24} +$ &c.

Si datæ seriei terminus primus (numerator seu denominator) vocetur a, differentia prima b, differentia differentiarum prima c, &c. donec perveniatur ad differentiam constantem, ipse canon dabit terminum generalem, quod exemplo declaramus.

Sit data series $\frac{1}{3} + \frac{1}{15} + \frac{1}{35} + \frac{1}{63} +$ &c.

Denominatores sic dispono.

Terminus primus a = 3.) 15. 35. 63.

Differentia prima b = 12.) 20. 28.

Differ. Diff. constans c = 8.) 8.

Nempe $a = 3.$

$(x-1)\,b = 12x-12.$

$\frac{(x^2-3x+2)}{2}\,c = 4x^2-12x+8$

$4x^2-1$

Ergo terminus generalis seriei datæ est $\frac{1}{4x^2-1}$.

4. Quod ad summas harum serierum inveniendas attinet, si termini sint integri, ponatur a=o, terminus primus =b, differentia prima =c, differentia differentiarum prima =d, &c. donec perveniatur ad differentiam constantem; aggregatum ex canone dabit summam seriei ad quemcunque terminum x exclusive. Sit data series 3 + 35 + 99 + 195 + &c. Terminos pro invenienda summa sic dispono.

a = o.

b = 3.) 35. 99. 195. c=2)

$c = 32.)\ 64.\ 96.$
$d = 32.)\ 32.$

Nempe $a = \quad 0$

$(x-1)\,b = \quad 3x-2$

$\frac{(x^2-3x+2)}{2}\,c = \quad 16x^2-48x+32$

$\frac{(x^3-6x^2+11x-6)}{6}\,d = \frac{16x^3}{3} - 32x^2 + \frac{176x}{3} - 32$

$\frac{16x^3}{3} - 16x^2 + \frac{41x}{3} - 3.$ erit summa feriei ad datum quemcunque terminum x exclusive (vel inclusive, si pro x substituatur $x+1$.)

5. Si fracti fuerint datæ feriei termini & numerator termini generalis constans, nec x in denominatore secundam potestatem superet (ultra enim progredi nunc non vacat) terminus generalis ad hanc formulam reduci poterit $\frac{e}{px^2.\,qx.\,r}$, ubi e, p, q, r, designare possunt quantitates quasvis constantes rationales & surdas (modo terminus primus sit realis, hoc est, si in termino generali ponatur $x=1$, denominator sit major nihilo) nec refert quo signo affectæ fuerint quantitates q & r.

An, inquam, hujusmodi data series sit summabilis, & quæ ejus summa, per sequentes regulas definio:

I. Prout in denominatore termini generalis fuerit $\pm$ r facio $(q^2 \mp 4pr)^{\frac{1}{2}} : p = f$ quæ f, si fracta sit vel surda, vel negativa, porro pergere non est opus, nec summa feriei aliter quam per continuam terminorum additionem videtur colligi posse; si vero f integra fuerit, indicabit feriem datam esse summabilem, quippe quæ conflata sit ex tot seriebus summabilibus, quot ipsa f continet unitates.

II. Ut has series seorsim inveniam, pro prima pono terminos excerptos ex datæ feriei locis.

$1.(1+f)\ (1+2f)\ (1+3f)$ &c.

pro secunda pono terminos excerptos ex datæ seriei locis

$2.(2+f)(2+2f)(2+3f)$ &c.

& ita porro donec tot series habeam, quot continet f unitates.

III. Harum serierum terminos generales (per §. 3. inventos) seorsim applico ad hunc canonem

$$\frac{am}{l^2x^2+(2lm-l^2)\ x+m^2-lm}$$

Unde determinatis quantitatibus a, l, m, habetur cujusvis seriei summa generalis ad quemvis terminum inclusive $\frac{ax}{lx+m}$.

IV. Denique inventas summas generales addo, quarum aggregatum exprimet summam generalem datæ seriei ad terminum quemvis fx inclusive.

Quas regulas unico exemplo, quod instar omnium erit, accommodamus. Sit data series $\frac{1}{4}+\frac{1}{10}+\frac{1}{18}+\frac{1}{28}+\frac{1}{40}+\frac{1}{54}+\frac{1}{70}+$ &c. cujus terminus generalis per §. 3. invenitur $\frac{1}{x^2+3x}$, ubi $p=1.\ q=3.\ r=0.$

Igitur I. per Regulam primam fit $f=3$.

Unde constat seriem datam compositam esse ex tribus summabilibus, quas ut inveniam

II. Pro prima pono terminos excerptos ex seriei datæ locis 1. 4. 7. 10. &c. qui sunt $\frac{1}{4}+\frac{1}{28}+\frac{1}{70}+\frac{1}{130}+$ &c. pro secunda pono terminos excerptos ex seriei datæ locis 2. 5. 8. 11. &c. qui sunt $\frac{1}{10}+\frac{1}{40}+\frac{1}{88}+\frac{1}{154}+$ &c. pro tertia pono terminos excerptos locis 3. 6. 9. 12. &c. qui sunt $\frac{1}{18}+\frac{1}{54}+\frac{1}{108}+\frac{1}{180}+$ &c.

(III.)

III. Seriei primæ terminum generalem per §. 3. invenio $= \frac{1}{9x^2-3x-2}$ ejusque summam generalem per canonem Regulæ tertiæ $\frac{x}{3x+1}$; seriei secundæ terminum generalem $\frac{1}{9x^2+3x-2}$, summam generalem $\frac{x:2}{3x+2} = \frac{x}{6x+4}$; tertiæ seriei terminum generalem $\frac{1}{9x^2+9x}$, cujus summa generalis est $\frac{x:3}{3x+3} = \frac{x}{9x+9}$.

IV. Inventas summas generales addo, quarum aggregatum $\frac{99x^3+144x^2+49x}{162x^3+324x^2+198x+36}$ exprimet summam seriei ad terminum quemcunque $fx = 3x$ inclusive, & pro x substituendo $\frac{x}{f} = \frac{x}{3}$, habebitur summa generalis datæ seriei ad singulos terminos $\frac{11x^3+48x^2+49x}{18x^3+108x^2+198x+108}$, summa vero maxima seu omnium terminorum (posita scilicet $x = \infty$, & ∞^2 evanescente præ ∞^3) $\frac{11}{18}$.

JOHANNIS MAURITII HOFFMANNI, Serenissimi Marchionis Onoldo-Brandenburgici Consiliarii Aulici & Archiatri Primarii, antehac Unversitatis Altdorfinæ Senioris & Facultatis Medicæ Profess. Publici &c. Acta Laboratorii Chemici Altdorfini.

Norimbergæ & Altdorf. ap. Heredes Joh. Dan. Tauberi, 1719, 4. Alph. 2 plag 9.

CHemiam non minori sedulitate, quam Anatomiam, ab Excellentiss. *Autore* in Noricorum Universitate antehac traditam

ditam fuisse, quæ hic sistimus, Acta Laboratorii Chemici Altdorfini luculentissimum perhibent testimonium. Postquam enim ille A. 1683 cum Anatomia, quam venerandi Parentis sui Successor cum plausu per sexennium jam docuerat, Pyrotechniam primus publice profiteri ab inclyto Senatu Norimbergensi esset jussus, non modo tunc Laboratorium chemicum magnifica laudati Senatus munificentia funditus extructum oratione doctissima de optima Chemiam addiscendi methodo solenniter dedicavit, sed & labores in eo pyrotechnicos, æque ac cadaverum sectiones & demonstrationes in Theatro anatomico, strenue plures exercuit annos. Acta tamen præsentia, literis insimul consignata, privatos intra parietes *Noster* adhuc detinuisset, nisi amicorum preces publicam ipsorum editionem merito sollicitassent, quod in *utraque* eorum, ex qua constant, *Sectione* sacris chemicis initiandi solida omnia fundamenta queant habere. In *priori* scilicet *Sectione*, 31 Capita comprehendente, Chemiæ tum definitio, objectum, finis, principia rerum constitutiva, summa operationum genera & instrumenta activa passivaque, tum singulæ operationes variaque horum ministerio producta ita recensentur, ut experientia & ratio perpetuo ubique nexu præluceant. In *posteriori* autem processus ducenti cum peculiaribus enchiresibus omniumque ætiologia, nec non usu medico atque dosi consueta promiscue quidem, tali tamen evidentia, exhibentur, ut philiatrorum memoriæ ac scientificæ doctrinæ non minus promte consulant, quam ipsos ad operationes æmulo studio suscipiendas perducant. Speciminis loco ex sectionis primæ Capite XIII de Sublimatione atque Cap. XXIX de Croceis, ex sectionis autem secundæ Processu XXX de Liquore ac Sale votatili Melissæ & Processu CXCII de Tinctura lumbricorum terrestrium anodyna insequentia sufficiet adduxisse. Sublimatio nempe, quemadmodum sicci exhalabilis, præcipue salini, sulphurei & mercurialis, ex corporibus ab igne facta ad sublime vasorum idoneorum asseritur propulsio & segregatio, hicque denuo sub schemate plus minus diverso in substantiam solidam eveniens collectio, ita sine negotio, pariter ostenditur, quomodo ea ad operationum generalium utramque Diacrisin & Syncrisin

crisin possit referri atque ratione objecti & formæ destillationi debeat contradistingui. Cum corpora tamen nec quævis, sed, quæ sicco exhalabili gaudent, nec uno eodemque modo sublimari valeant, inter mineralia, sulphur, antimonium, auripigmentum &c. nominantur, ob laxiorem sui compagem a motore igne facile in sublime propellenda, dum metalla e contra firmiorem partium constitutivarum combinationem nacta pondere suo subsident, nisi disjuncta alas allevantes ab additamentis suscipiant. Sic ferrum & cuprum a sale armoniaco, veluti aquila, in altum educi, sic aurum a *Rob. Boyle* parva cujusdam salinæ substantiæ ab ipso paratæ copia in rubicundiorum crystallorum mediocris longitudinis formam fuisse sublimatum, simileq; experimentum a Cassio erudito orbi communicatum. Ignis quidem externus, tanquam causa movens, pro objecti particularum facilius aut difficilius segregandarum diversitate, nunc remissior, nunc intensior, requiritur, aliquando tamen solum ignem internum, per fermentationem aut putrefactionem excitatum, salibus volatilibus in sublime evehendis sufficere, exemplo globulorum glasti cum celeberrimo *Wedelio* demonstratur. Vasa hinc, sublimationi perficiendæ apta, ubi indigitata fuerunt, enchiresium loco, præter diversos ignis gradus, denuo annotatur, corpora quædam sola sublimationi exponi, quædam vero cum adjectis aliis, iisdemque vel fusionem materiæ sublimandæ per particularum, quam præstant, discontinuationem præcaventibus, vel exhalabili sua aptitudine moleculas in sublime secum ducentibus & elevantibus, vel obstacula ascensum particularum remorantia tollentibus aut enervantibus, quædam denique pro faciliori sublimatione præviam digestionem vel solutionem requirere. Usus demum sublimationis expenditur in floribus & sulphuribus producendis, salibus volatilibus a terrestriori fæce, phlegmate, acido ligante vel oleoso spissamento impuriori secernendis, iisdemque non minus cum oleosis æthereis particulis maritandis, mercurio item vivo cum sulphure in cinnabarim, vel cum salibus corrosivis in sublimatum crystalliniforme redigendo. Ast Croci a colore, croco vegetabili subinde simili, nomen adepti, calces dicuntur corporum mineralium fixæ a particulis eorum sul-

E phu-

phur[illegible]eis, vel ignis, vel ſalium ſolventium beneficio extra verſis provenientes, & vel pulveris formam jamjam habentes, vel promte recipientes. Subjectum tamen, ex quo tales parari ſoleant, ſicuti aurum, ferrum & antimonium omnium cenſentur aptiſſima, ita & varii ſubjiciuntur modi crocum ex ſingulis obtinendi, quos nihilominus, ceu notos, æque tranſilire liceat ac vires medicamentoſas ipſis adſcriptas & potius ad præparationem, tum liquoris & ſalis volatilis Meliſſæ, tum Tincturæ lumbricorum terreſtrium anodynæ, pergere. Ut *Noſter* namque ex Meliſſa viridi ſal volatile per fermentationem & putrefactionem ad exemplum *Cox* atque *Wedelii* eliceret, menſe Auguſto folia ejus a caulibus ſeparata cucurbitæ vitreæ ampliori injecit, hancque ultra medietatem repletam & exacte clauſam ventri equino per menſes circiter tres ec effectu commiſit, ut meliſſa poſt marcorem & ſitum in pultis tandem formam redigeretur. Hæc ex retorta in arena deſtillata liquorem primum gravem empyrevmaticum, ſed ultimo igne admoto oleum nigrum fœtidum inſtar lamellarum tenuiſſimarum liquori innatans ſubminiſtrabat, remanente in fundo retortæ capite mortuo nigro, quod prunis injectum fumum tabaci exquiſite æmulum ſpargebat. Quamvis autem in prima hac deſtillatione ſal volatile nondum compareret, placuit tamen partem aliquam liquoris diverſimode examinare atque lingua ſaporem acrem, naribus odorem fracidum empyrevmatico urinoſum, & admiſcela Spiritus vitrioli rectific nullam, fuliginis autem & cornu cervi, itemque ſalis tartari aliqualem, efferveſcentiam obſervare. Reſiduus hinc liquor ex phiola oblonga poſt alembici impoſitionem per arenam rectificatus ſpiritum præbebat ſtriis oblongis, aliquantum intortis, per alembici capitulum depluentem, non tam ſapore, quam odore urinoſo priorem liquorem ſuperantem & cum ſpiritus vitrioli, non autem cum ſpiritus fuliginis, guttulis efferveſcentem. Qui ipſe ſpiritus altera vice rectificatus ſal demum volatile album exhibebat, ſtriis cryſtallinis nitidiſſimis collo phiolæ adhæreſcens, quod tamen ab inſequente ſpiritu ſolutum atque elevatum in excipulum ſtillabat. Quemadmodum ergo ex proceſſu iſto fermentationis & putrefactionis neceſſitas patuit, ut particulæ ſalinæ volatiles aqueis & aci-

acidis terreisque immersæ explicarentur, ita liquor primum destillatus ratione phlegmatis aciduli non tam cum acidis, quam cum urinosis spiritibus & sale lixivo ebulliit, cum e diverso in rectificatione ab acido magis liberatus ebullitionem cum acido, neutiquam vero cum urinoso spiritu susciperet. Quod autem in secunda demum rectificatione repetita sal volatile distincte sese conspiciendum præbuerit, ideo factum conjicitur, quod tunc demum ab aquearum particularum, quibus immersum erat, consortio citius liberari potuerit, quam ut hæ ipsæ in sublime simul raperentur. Neque silentio prætereundem, in ultima rectificatione oleum æthereum satis penetrans & colore citrino præditum simul prodiisse. Ceterum ab utroque Melissæ liquore humores acido-viscosos in corpore nocivos incidi & attemperari, obstructiones inde natas expediri, & consequenter virtutem cordialem exerceri posse, haud temere conjicitur, dum oleum essentiale alterius oleiætherei vires vero similiter æmulatur. Pro Tinctura denique lumbricorum terrestrium anodyna obtinenda, lumbricis terrestribus, mense verno vel æstivo collectis, siccatis & pulverisatis oleum tartari per deliquium affunditur, ut fiat mixtura instar pulticulæ, cui per 24 horas digestæ Spiritus vini ad trium digitorum eminentiam superfunditur, crocique austriaci drachma dimidia & Castorei drachma una adjectis, relinquitur post biduum vel triduum ad usum filtrandus. Quod si autem talis magis sedatina Archei & opiata expetatur, jubentur lumbricorum terrestrium vino lotorum unciæ duæ, Radicis cynogloss. uncia una, Castorei drachmæ duæ, Croci austriac. drachma semis, Opii soluti cum phlegmate acidi ab sale tartari abstracti drachma una recipi, grossoque modo pulverisatis & contusis Spiritus vini rectificati quantitas sufficiens affundi & post aliquot dierum digestionem leviter fortiter exprimi, sub finem Spiritus cochleariæ drachmas sex addendo. In priori descriptione lumbricis terrestribus oleum tartari per deliquium præcipitur affundi, quod hoc optime non solum compagem illorum insectorum recludat, sed aditum quoque spiritui vivi ad intimiorem pandat solutionem; prout crocus & castoreum recipiuntur, quia ille sulphure suo

vaporoso cum sale volatili expanso, hoc autem sale suo volatili oleoso anodynam virtutem adjuvet. In altera vero Radix cynogloss. assumitur ob mucaginem suam sulphureo-salino-terream graveolentem, spirituum sensilium vim elasticam coercentem, imprimis si opio vis narcotica ulterius intendatur, cui refrænandæ castoreum inserviret. Utraque Tinctura singularis prædicatur efficaciæ in doloribus arthriticis & spasmodicis compescendis, in cancri occulti ad exulcerationem vergentis rosionibus & lancinationibus demulcendis, in abigendo ictero, in asthmate convulsivo solvendo, priorem a guttis 40 ad 60, posteriorem vero ad guttas 15 vel 25 assumendo, nec minus externe cum aqua arthritica Augustan. sambuci & vermicularis confusa cruciatus arthriticos mitigare dicitur. De cetero chymicos inter processus varia pariter tentamina curiosa occurrunt. v. g. Repræsentatio 4 elementorum, Atramentum sympatheticum, experimenta circa colorum mutationes, Scrutinium aquarum medicamentosarum, Liquores balsamici ad varia corpuscula conservanda &c. cuncta cum chymicis promtissime reperiunda in *Rerum Indice*, qui præter *Sectionis primæ Auctarium, Programma chymicum inaugurale ac Monumentum ad memoriam posteritatis publice erectum* prostat cum *Auctarii Indice* subjunctus.

HISTORIA ECCLESIASTICA DUCATUS Geldriæ; Autore JOANNE KNIPPENBERGH, Gelro-Heldensi.

Bruxellis, typis Franc. Foppens, 1719, 4.

Alph. 1 pl. 19.

CAusæ, quæ Cl. Autorem induxerunt, ut historiæ Ecclesiasticæ Ducatus Geldriæ adornandæ manus admoveret, in præfatione recensentur. Equidem jam ante ipsum non solum Henricus Aquilius compendium quoddam Chronici seu catalogum potius Præfectorum, Comitum ac Ducum Geldriæ concinnaverat, usque ad initia Philippi II Hispaniarum Regis: verum etiam Pontanus, Hardervici Medicus, postquam Geldriæ inferioris tetrarchiæ tres se Reip. Batavicæ junxerant, eandem telam

telam exorsus est, publico sumtu ad hoc constitutus ab Ordinibus inferioris Geldriæ ac suprema curia Arnhemiensi, adjunctis qui operam hac in re ei subsidiariam ferrent duobus Collegis; quem in finem cuncta, quæ in publicis aut oppidorum etiam Archivis monimenta supererant, ei subministrata sunt. Attamen uti Aquilius arcte nimis, ita Pontanus ea latitudine unius Geldriæ historiam digessit, ut non Belgii duntaxat, & quæ in vicino sunt, ditionum historias, sed & totius ferme Romani Imperii acta suis narratis interseruerit, unde in tantam ejus librum molem excrevisse Cl. Autor ait, ut primo statim intuitu lectorem terreat. Et quamvis huic malo medelam afferre conatus fuerit Slichtenhorst, Jurisconsultus, utpote qui contractis nonnihil velis anno 1654 Pontanum in linguam vernaculam Dialecto Batavica converterit, utriusque tamen narrationem non ultra annum 1581 id est, usque ad initia Reipublicæ Batavicæ perductam esse; hinc reliqua, quæ in Ducatu Geldriæ usque ad nostra tempora acciderint, memoratu digna desiderari, quæ ex vicinis idcirco historiis hinc inde non absque labore quærenda sint. Quo accedat, quod Pontanus æque ac Slichtenhorst, utpote Religioni novatæ, juxta Autoris sententiam, addicti, in decursu historiæ ea quæ Catholicam cumprimis ac avitam fidem propius concernant, leviter aut transierint, aut, quæ per leges historiæ omittere haud licuit, narratiunculis acatholicis ac sarcasticis aspergant, qua in re Slichtenhorstius quidem sit Pontano immodestior: utroque tamen temperantior Wernerus Teschenmacher, verbi Reformati Minister, qui Annalibus Cliviæ, Juliæ ac Montium subjunxerit Leonem Gelricum, anno 1637, id est, Gelriacæ Historiæ quoddam compendium, quod etiam ultra Reip. Fœderatæ primordia non progrediatur. Cum igitur res Ecclesiasticæ maxime superioris Geldriæ, nimirum Catholicæ fidei origo, ac propagatio ibidem, Monasteriorum initia, Cathedra Episcopalis Ruræmundæ collocata, Episcoporum acta atque successio, aliaque complura huc pertinentia in tenebris jacerent, quorum exactiorem notitiam multi desiderabant: horum desiderio Cl. Autor satisfacturus, jam aliquot abhinc annis vernacule succinctam historiæ ideam ediderat, quam ubi obviis manibus

susceptam vidit, mox subiit cogitatio, ut cœptam historiam prolixiori stylo exequeretur. Quapropter hanc Historiam, quam ob primariam narratorum partem Ecclesiasticam dicit, ex monimentis partim publicis partim privatis non absq; labore ac sumtu concinnavit: quem in finem patuerunt ipsi Archiva ac Cartophylacia publica, ut Episcopale, Ecclesiæ Cathedralis Ruræmund. Civitatum itidem Ruræmundensis, Venlonensis, Ercklinensis, Echtensis &c. Monasteriorum scrinia, varia insuper Manuscripta, maxime Nicolai Biese, Vice-Cancellarii Ruræmundensis, Patris Godefridi Litt. Ord. S. Crucis; Antonii Meo, Episcopatus Ruræmund. quondam Secretarii &c. Ut adeo hic collecta habeant Geldriæ cives, ejusque historiæ amantes, quæ sparsim alias per libros de patria sua inquirunt: habeant insuper, quibus Apostolis Patres ipsorum a Gentilismo ad Christi Ecclesiam ducti sint, quæ in Geldria olim religio, quæ avita fides, & qua fuerit ratione propagata. Historicorum testimonio eo delectu utitur Cl. Autor, ut eos, qui rei narrandæ aut ipsi interfuerint, aut ejus tempori proxime accesserint, reliquis præferat, eapropter in historiæ vestibulo Romanis usus est testibus, ut Julio Cæsare, Tacito, Ammiano &c. in decursu autem circa mediam ætatem testes adhibet scriptores de gestis Francorum, ut S. Gregorium Turonensem, Adonem Archiepiscopum Viennensem, Sigebertum Gemblacensem, Reginonem Prumiensem, Lambertum Schafnaburgensem, præ reliquis tamen Annales Leodienses ac Ultrajectinos; Miræum insuper & Molanum in sacra antiquitate Belgii admodum versatos; tum demum, qui de rebus Gelricis quidquam figuarunt, Pontanum cumprimis, Aquilium &c. ubi autem hi Autorem deserunt, ad alios Belgii scriptores declinat, Stradam, Grotium, Meerbecium, Havensium, aliosque, quos ad marginem notatos lector reperit; quæ autem circa finem Historiæ profert Autor, aut usu ipse didicit, aut a fide dignis accepit. In Prodromo ipsi Historiæ Ecclesiasticæ Ducatus Geldriæ præmisso præliminarem quandam Gelrici Ducatus notitiam Cl Autor Lectori exhibet, quis nempe hodie & quis olim Geldriæ populus, quæque populi nomina, qui mores, quæ denique lingua ac Domini, ut hac veluti

man-

manuductione fultus ea, quæ in decursu luculentius exponuntur, assequi facilius queat atque cognoscere. Ipsa autem Historia libris octo absolvitur, quorum primus complectitur primordia Catholicæ fidei in Ducatu Geldriæ ac vicinis circum ditionibus, tum primos harum regionum Apostolos, Maternum, Willibrordum, Wironem, Plechelmum ceterosque, a quibus Ecclesiæ in his terris conditæ fuerint, idque sub Francorum Regibus, quorum regnum a Merovingis per Pipinum ad Caroli Magni stirpem translatum Nortmanni crebris irruptionibus depopulati sunt. Libro secundo recensentur primordia Gelricæ ditionis, tum Præfectorum Comitumque series (aucta exinde eorum potentia) Catholicæ insuper religionis cultus, conditis hinc inde religiosis domibus, admodum per eos propagatus. Liber tertius sistit Comites Geldriæ postquam opibus atque Dominiis aucti sint, creatos Duces, Geldriam itidem bellis civilibus attritam, ac Nassoviis extinctis ad Duces Juliacenses, inde pari jure ad Egmondanos translatam. Liber quartus enarrat, quo pacto Geldria ab Egmondanis ad Burgundos, inde ad Austriacos transierit, & quis sub iis Ecclesiæ status extiterit. Liber quintus historiam cathedræ Episcopalis Ruremundæ recens constitutæ delineat, nec non primi ejusdem Episcopi ordinati Wilhelmi Lindani res gestas exponit, utpote qui ejusdem Ecclesiæ statum, Decanatus, Limitesque constituerit, atque in Geldria per Belgicos tumultus varie turbata Catholicam religionem pro virili tuitus sit. Libro sexto recensentur Acta Henrici Cuyckii, secundi, nec non Jacobi a Castro, tertii Ruremundæ Episcoporum; tum quæ sub Alberto Austrio XII Geldriæ Duce acciderunt memoratu digna. Liber septimus exponit acta Crusenii, IV, & post eum Eugenii d'Allamont, V Ruræmundensium Episcopi, varia quoque Religiosorum cœnobia recens condita commemorat, & statum Ecclesiæ redditum in Geldria pacatiorem describit, ex quo Batavi pace cum Hispanis inita in Remp. liberam emerserint. Liber tandem octavus ea complectitur, quæ in utroque Regimine acta sunt, tum Ecclesiastico sub Lancelloto de Gottignies sexto, & Reginaldo Cools septimo, Ruræmundanis Episcopis, tum Politico usque ad mortem Caroli II Hispaniarum Regis,

SPE-

SPECIMEN LINGUÆ PUNICÆ IN HODIerna Melitensium superstitis, orbi erudito offert JO. HENR. MAJUS, Antiquit. Græc. & OO. LL. Professor Giessensis.

Marburgi Cattorum, 1718, 8.

Plag. 3.

PAucissima sunt, quæ de antiqua Pœnorum memoria linguaque ad nostram pervenere aut ætatem aut regionem, digna tamen semper habita, quibus excutiendis operam suam eruditi destinarent. Cl. Majus, paucis quidem plagulis, linguæ Punicæ in sermone Melitensium hodierno λείψανα restare probatum ivit. Ab ovo, ut ajunt, rem exorditur, & de Melita Insula, linguæ istius sede, ante omnia breviter disputat, Africam inter & Siciliam sita, sed potiore jure ad Europam, quam Africam referenda. Prima illius incunabula repetit Noster a Phœnicibus, qui in Atticam, Italiam, Epirum, Insulas Baleares aliaque loca suas deduxerint colonias, quæ huic insulæ urbique principi ob commodas portuum aliasq; opportunitates imposuere nomen: quod ab Ebræorum voce מלט descendit, vel etiam a voce מֶלֶט argilla, cœmento, eo quod albario opere splendide ornata fuerit insula, vel denique a Venere Cœlesti, Assyriis seu Phœnicibus Mylitta dicta, quia sicuti Mylitta rerum omnium mater, genitrix est atque obstetrix, ita prorsus Melita Insula, Carthaginensium colonia, ab his nata quasi & in lucem edita fuerit. Numina quoque cum Phœnicibus communia, Herculem, Junonem; nec non antiquam satis vestimenta & linteamenta pretiosissima mollissimaque tapetesque pectine & radio texendi artem habuerunt. Neque desunt vocabula Melitensibus usitata, quæ cum lingua Punica affinitatem quandam habent, quorum turbam heic collectam originis suæ Punicæ testimonium perhibere Noster putat, in quibus e. g. Edom, Pœnis sanguis, Melitensibus abjecto primo elemento, sive illud א fuerit sive ה demonstrativum, vocatur *Demm.* Idem probatur ex concordia & consensu numerorum, quos dicunt, cardinalium, qui Melitensibus hodie amice conspirant cum Pœnarum antiquis. Additur denique formula

tula orationis Dominicæ Melitensium sermone confecta, quæ omnino rationes loquendi Punicas redolere asseritur.

הלכות שקלים:
id est,
R. MOSIS MAIMONIDIS CONSTITUTIONES de Siclis, quas Latinitate donavit & Notis illustravit JO. ESGERS, Amstelo-Batavus.

Lugduni Bat. apud Petrum van der Aa, 1718, 4.

Plag. 20.

Specimen profectuum Rabbinicorum edit Autor doctissimus, quod studiorum genus auspicio ac ductu Celeb. Surenhusii, cui propterea opusculum hoc inscriptum est, tractaverat. Tractatum ergo hunc Maimonidis Latinitate donavit ac notis illustravit, in quo quid contineatur, ipsis verbis Editoris ex præfatione monebimus. Agit autem Maimonides de illa lege, qua summus Rex Israelis per legatum Mosen præcepit, ut singulis annis singuli Israelitæ, ad justam ætatem qui pervenerant, dimidium sicli in usum sacrum persolverent. De ea docet, quantum singulis dandum fuerit; quinam ad hanc legem fuerint obstricti; quamdiu hoc præceptum obtinuerit; quomodo hoc tributum exactum; quænam pœna immorigeris infligenda; qua ratione & ubi locorum collecti nummi & servati; quo modo, quo tempore & a cujusmodi viro ex collectis undique siclis separatio facta fuerit in usum sacrum; quam vario denique usui hi nummi inservire debuerint, &c.

In Annotationibus ex Mischna & Gemara Raschio, Bartenora, R. Joseph Karo in כסף משנה aliisque hujuscemodi auctoribus proferuntur, quæ ad illustrandas Judæorum δευτερώσεις & tricas faciunt. Nos illis missis alia quædam, prout se nobis offerent, excerpemus. Auctorem libelli *de variis Siclis & Talentis Hebræorum*, quem Erfurti A. 1676 (mendose enim apud Nostrum legitur 1670) edidit Henr. Guntherus Thulemarius, Stanislaum Grsepsium, Polonum, esse, idque indicio Cl,

Schalbruchii, docet. De eodem tamen antea quoque egerat Crenius Animadverſ. Part. 2 p. 231, 232. Miramur vero, Celeb. Fabricium in Bibliographia Antiquaria Thulemarium libelli autorem vocare, quum tamen ex ipſo titulo & præfatione contrarium pateat. Cur Deo placuerit ex animantibus boves, oves & capras ex volucribus autem turtures & columbarum pullos ad ſacrificia eligere, Autor ex mente Judæorum has rationes profert: 1 quia hæc genera natura, habitu, & pabulo præſtantiſſima ſunt, 2 quia inventu facilia, 3 quia repræſentarunt tres Patriarchas, cum Moſe & Aarone, 4 quia ipſis aſſimilantur in Sacris Iſraelitæ. Refellitur quoque Cl. H. J. van Bashuyſen, qui in uſum Siclorum duo templi conclavia adhibita fuiſſe docet. Autor enim noſter unum tantum conclave fuiſſe oſtendit, diſtinctionem autem ex Talmude Hieroſolymitano & Maimonide inter *ciſtas magnas* & *parvas* inculcat & tribus argumentis probat. In atrio templi ſedebant שולחנים τραπεζῖται, qui Judæis peregre advenientibus dimidios ſiclos, quales ſanctuario offerendi erant, pro alia pecunia permutabant. Pecunia quam lucri loco ipſis ſolvebant, dicebatur קולבון, κόλλυβος: inde illi menſarii κολλυβισαί. Et hos Servator ſcutica ex templo ejecit. In fine additur index triplex, locorum Scripturæ S. vocum Hebraicarum, & rerum denique præcipuarum in textu & notis occurrentium.

p. 35. 38. 39. 86.

WERNERI JACOBI CLAUSII ANGELUS POLITIANUS, ſive de ejus vita, ſcriptis & moribus Liber.

Magdeburgi, typis viduæ Chriſt. Salfeldii, 1718, 8.

Plag. 6.

NEmo facile eruditorum eſt, cui nomen Angeli Politiani ignotum ſit, dignum proinde exiſtimavit Cl. Autor, ſcholæ Mauritianæ apud Magdeburgenſes Rector, quem ſingulari libello deſcriberet. Integrum viri nomen erat *Angelus Baſſus Politianus*: e quibus nominibus medium, quod a familia obtinuit,

p. 2.

fuit, ob illius obscuritatem, omisit, & a patria *Monte Pulciano* Politianus vocari maluit. Præceptores præcipui fuerunt Christ. Landinus, Argyropylus Byzantinus, Marsilius Ficinus, Domitius Calderinus, quem tamen aliquanto indignius postea habuit. Linguam Latinam, Græcam & patriam præcipue coluit. Stylus ejus a quibusdam ob solœcismos reprehenditur, a pluribus vero laudatur. Ad honores ejus quod attinet, primo humaniorum literarum Professor in Academia Florentina constitutus, postea juventuti Petri Medicis formandæ admotus, tandem Canonicis ad templum S. Pauli Florentiæ adscriptus est. Discipulos habuit Baccium Ugolinum, Varinum, Raphaelem Volaterranum, Scipionem Carteromachum, Franc. Puccium & alios plures. De libris ab ipso editis, qui & conjunctim prodierunt, prolixe dicere nihil attinet : de ineditis Autor c. 24 consulendus. Multi sunt, qui cum Lud. Vive & Phil. Melanchthone impietatis eum arguunt, quod sacras literas adspernatus tempusque in ea legenda male collocasse conquestus sit. Verum Autor noster eum defendit, quod neminem autorem, præter Dionysium quendam Capnionem, ejus fabulæ proferre possunt. Affert autem ex ipsius scriptis loca, unde constet, eum sacras literas non legisse solum & citasse, sed publice quoque enarrasse, ædes sacras quotidie frequentasse & quæ sunt alia. Sunt quoque viri summi, Vossius, Barthius, J. A. Fabricius, & Theoph. Spizelius, quibus id parum videtur verisimile. Patroni ipsius fuere Innocentius IIX P. M. Laurentius Medices, Ludovicus Maria Sfortia, Dux Mediolanensis, Jo. Picus Mirandulanus, Franc. Piccolomineus, Cardinalis Senensis, Hermolaus Barbarus, Patriarcha Aquilejensis & alii. Adversarios nactus est in primis Barth. Scalam & Georg. Merulam. Inter nævos ipsius adulatio & ambitio præcipue ponuntur. Obiit denique A. M CCCC XCIV mense Sept. quadragenarius: natus enim erat M CCCC LIV. Subjicitur Programma A. 1712 conscriptum, in quo Politianus præcipue ab atheismo absolvitur.

p. 6. 7. 8. 9. 10-23. 25. 26. 27. 29. 30. 32. 33.

DANIELIS FRIDERICI JANI DE FATIS *Dedicationum librorum Dissertatio historica & literaria.*

Vitembergæ, apud Samuelem Hannauerum, 1718, 4.

Plag. 8.

AUctor hujus Dissertationis doctissimus modos indicat, quibus eruditi & nostro & superiori ævo in dedicationibus librorum usi fuerunt. Primum eos nominat ex historia literaria, qui nullis pollicitationibus pecuniæ, honoris, eo adduci potuerunt, ut ingenii sui monumenta aliis consecrarent: quo facto ad Jo. Wovverum transit, cujus rationes de non dedicandis libris examinat; & potius cum Celeb. Morhofio censet, eum operæ pretium esse facturum, qui clarorum in republica virorum dedicationes, quæ memoratu cum primis dignæ essent, in corpus colligeret, easque cum orbe literato communicaret. Mentionem inde eorum facit, qui pecuniæ fuerunt cupidi: contra alii præmia impetrarunt, quibus non fuerunt contenti: fraudulenter egerunt alii, dum titulos librorum immutarunt. Alios ex adverso præmiorum opinio fefellit; ita Erasmus quoque Roterodamus præmiis excidit apud Reginam Hungariæ Mariam, quod *mentem* typographus vertisset in *mentulam*. Porro ut eruditi Principum sæpe munificentiam vix sperantes experti sunt, honoris divinitatem impetrarunt, etiam nobilitate donati; ita Principes sua subinde manu per literas autoribus gratias egisse memorat, integramque epistolam Caroli Ludovici, Electoris Palatini, pag. 23 exhibet. Alii fata tristia subierunt, multisque dedicationes & libri fuerunt remissi. Deinde sermonem instituit de nonnullis, qui suos ingenii fœtus viris in re publica literaria celeberrimis consecrant, quod emergere & nominis claritatem consequi cupiant. Adeunt & nonnunquam typographum, ut ipsis autoribus suos libros nuncupent. Aliter procedunt, qui autori ipsi monumenta ingenii consecrant, quæ antea in lucem ediderunt. Præterea non pauci sunt, qui in dedicationibus multum gloriantur de labore ac opera, quam

quam libris impenderunt; cum alii vicissim ingenue fateantur, quorum ope in conficiendis libris profecerint. Dedicationes vero, quæ amicitiæ causa fiunt, Cl. Autor laudat, easque non vulgarem usum habere dicit, in quibus alter alterum ad edenda scripta excitat: quæ singula illustrat ex historia litteraria. Recenset quoque eos, qui dedicationibus adversarios ad certamen provocarunt. Nominat item Principes, qui Principibus libros nuncuparunt, ac illustre affert exemplum Friderici Guilielmi, Duc. Sax. & Administratoris Electoratus, qui Principibus, Christiano, Jo. Georgio & Augusto F. F. F. A. CIↃ IↃXCVIII exercitationes hor. subcisiv. dedicavit. De hoc laudatissimo Principe pag. 43 observat, tantum fuisse artis typographicæ æstimatorem, ut typos argenteos Torgaviæ in arce Hartenfelsensi cudendos curaverit. Dedicantur & fœminis libri: imo liberos parentibus, parentes liberis, conjuges conjugibus, præceptores alumnis disciplinæ suæ, vivos mortuis consecrasse scripta sua, Noster declarat. Pag. 53 eorum dedicationes notat, qui nimia assentatione Pontifici Rom. adulantur. Miratur C. Schottum, qui dedicationem ad genium suum tutelarem direxit. Quakerorum quoque mos dicandi libros recensetur; simulque ratio affertur, cur non nemo cani, alius carnifici librum dicaverit. Postremo hæc commentatio finitur exemplo cujusdam nobilis, qui ex dedicationis formula evincere voluit, Senecam tempore Henrici IV Galliarum Regis vixisse.

JO. CASP. LOESCHERI, S. THEOL. DOCT. Superint. & Pastoris Rochlit. prim. Parergorum Sacrorum Exercitatio IV, V, VI, VII & VIII.

Rochlitii, typis J. P. Langii, 1717 & 1718, 8.
Plag. 14.

PRimordia hujus laboris in Actis A. 1718 pag. 143 recensita fuisse recordamur, cujus continuationem quinque Dissertationibus sacri argumenti sanctiorum literarum studiosis aliisque Lectoribus offerre atque adeo, quam dederat olim,

fidem liberare, S.R. Autor suarum esse partium duxit. *Prima* Exercitatione, quæ alias *quarta* est Parergorum, & *Jubilæa* inscribitur, disserit *de Ecclesiæ Augustanæ confessionis nomine* peculiari, quo *Evangelica* salutatur. In fronte Dissertationis commemorat, se tempore, quo hæc scribebat, *Jubilæo* Ecclesiæ purioris, cui in fine Exercitationis gratulatur, invitatum, hoc argumenti sibi tractandum sumpsisse, postea vero Cap. I singularia hujus Ecclesiæ repurgatæ nomina enumerat, eamque *Christianam*, *Apostolicam*, *Catholicam*, *Protestantem*, *Augustanæ confessioni addictam* apposite nominari, nec non æquo jure *Lutheranam*, *Evangelico - Lutheranam*, *Orthodoxam* & *Evangelicam* vocari probat. De hujus vero nominis origine & jure in *Capite II* exponit, inque causas maxime inquirit, quæ, id nominis Ecclesiæ Lutheranæ deberi, facile efficiunt. In *Capite III*, quod reliquum erat causarum, partim annectit, partim nomen hoc ab abusu vindicat, planumque facit, cœtum Reformatorum, Pontificiorum, Arminianorum &c. injuria, nec sine gravi, vel aliquo tamen pulcherrimi nominis abusu, Evangelicum, nuncupari. Pergimus ad *quintam Exercitationem*, cujus argumentum in hoc versatur, ut singularia de gravissimis Pontific. abusibus non ubivis obvia colligat, ubi, ut alia prætermittamus, non pauca de *divinitate Papæ*, cultu Mariæ, auctoritate Romani Pontificis, hujusque potestate seculari, de interdicta sacri codicis lectione, de revelationibus, memorabilia leguntur. Excipit hanc *Exercitatio VI*, in qua de eo disputatur, *utrum fœminæ ad divinam imaginem sint creatæ?* aut, quod eodem redit, num Eva, prima fœminarum, æque ac Adam, ad divinam condita sit imaginem? Cum in Proœmio de his, in quibus fœminæ deteriori, quam masculinus sexus, conditione sunt, dixisset, atque errorem, sive potius dementiam illorum, qui mulieres non esse homines somniarunt, explosisset Autor, in Capite I eos statim in medium adducit, qui in negante versati sunt sententia, *Pseudo - Ambrosium in Comment. ad Epist. Paulinas* & *Autorem Anonymum in Quæst. Vet. & Novi Testamenti*, quos alii

alii quidam secuti sunt, adversus quos affirmans sententia idoneis argumentis confirmatur, quibus expeditis, ad illa quæ veriori sententiæ opponuntur, aut certe obstare posse videntur, respondet. In *Exerc. VII* de eo disquirit Autor: *An Papam Ecclesiæ sponsum* (quod in more positum est Romanam religionem profitentibus) *dicere par sit?* quod jure inficiatur. In capite I viam sibi ad caput rei muniturus, de vero Ecclesiæ sponso, ejusque in sponsam beneficiis, desponsatione, arrha &c. nonnulla præmittit, & cap. II argumentis gravibus ostendit, Pontifices Romanos nec esse sponsos Ecclesiæ, nec esse posse, nisi adulterinos, quæ hic repetere nostri non est instituti. Tandem Cap. III, quæ Pontificii ad errorem suum excusandum objiciunt, refellit, & absurda, quæ ex illo proficiscuntur, elicit. Ut de *Exercitatione VIII* quoque pauca tradamus, Autor in hac ipsa *recentiores de inferno controversias ac somnia* evolvit, & his ad duas classes revocatis, primo loco eos confutat, qui infernum nullibi, nisi in ipso homine, esse commenti sunt, & Marcionem hæreticum, quod non nemo asseveravit, non esse inferni autorem ostendit. Deinde cum illis, qui de loco inferni hactenus monstrosa perhibuerunt, disputat, & *Chiliastarum Arnhemensium*, *Gualteri Harrisii*, *Arnoldi Bachimii*, somnia examinat. Potissimum vero in *Anonymi Angli*, qui nuper infernum in Sole quæsivit, errore diluendo multus est, & ultimo loco in Henrici Mori figmento, ejusque confutatione rivos claudit.

Curiöses Verzeichnis Durchl. Personen, welche sich in Theologischen Wissenschafften mit Schrifften hervor gethan.

i. e.

JOANNIS CASPARI LOESCHERI, S. TH. Doct. & Superint. Rochlitiani, Index curiosus Sereniss. Principum, qui Theologiam scriptis illustrarunt, vel in hac se exercuerunt. Editio II, nova collectione auctior.

Rochlitii, typis J. P. Langii, 1719, 8.

Pl. 8. 9.

DE

De prima libelli hujus editione, quæ A. 1713 prodiit, in Actis Tomo VI Supplementorum pag. 331 more consueto pauca in literas retulimus, quæ jam repetere ab instituti nostri ratione alienum est. Cum vero nova collectione auctior iterum in lucem prodierit, pauca de his accessionibus, ne morem nostrum migremus, dixisse sufficiat. Sistit autem in his exempla XXI, quæ hactenus desiderari potuerunt, inque his Ericum XIV Sueciæ Regem, Eudociam, Theodosii II Augusti conjugem, Johannem Fridericum II Saxoniæ Ducem, Margaretham Valesiam, Navarræ Reginam, Mariam Eleonoram Princip. de Rohan, de quibus libellum ipsum evolvere præstat. Dum desinit Autor, ut observatu dignum haud injuria Ben. Lectori in mentem revocat, X exempla Theologorum Sereniss. in hoc indice ejusque augmento recensitorum, ex Serenissima Saxonum familia petita esse, quorum pleraque Ernestinæ lineæ fuisse, ex collatione haud erit obscurum.

HISTORIA NATURALIS DE VERITATE Scripturæ S. Testimonium perhibens, brevi specimine demonstrata a M. SIGISMUNDO JACOBO APINO.

Altdorfi, sumtibus Kohlesii, 1718, 8.

Plag. 6.

Cl. Autor occupatus est in eo, ut contra hostes Scripturæ S. ostendat, naturalem historiam haud minori & numero & pondere argumentorum divinam Scripturæ originem ac veritatem docere, quam ceteras disciplinas. Idque probat 1) ex conditi hujus universi historia Genes. I & II; 2) ex historia diluvii Gen. VII; 3) ex reliquiis arcæ Noæ Gen. VIII; 4) ex iis quæ de excidio Sodomæ Gen. XIX Moses recenset; 5) ex historia de statua salis uxoris Loti Gen. XIX, ubi Clerici imprimis sententia examinatur & refutatur; 6) ex historia locustarum Exod. X. Positis his speciminibus ad consensum naturalis & sacræ historiæ directe monstrandum, ostendit porro, quomodo idem ex Gentilium scriptis, si quis ea perlustrare velit, possit probari, utpote qui commentis suis limpidissimos fontes Israelis turbarunt quidem, sed simul hoc ipso egregiam veritatis divinæ testimonium, licet erroribus interpolatum, dederunt. Optandum, ut simile specimen ex N. T. quod promittit, proxime sequatur.

✻):(o):(✻

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Februarii, Anno MDCCXX.

NOUVELLE HISTOIRE DE FRANCE &c.

h. e.

NOVA FRANCIÆ HISTORIA AB INITIO Monarchiæ ad mortem usque Ludovici XIII; Autore LUDOVICO LE GENDRE, Canonico Ecclesiæ Parisiensis.

Tomi III.

Parisiis, apud Claudium Robustelum, 1718, f.

Alph. 20.

FRanci & rerum gestarum magnitudine sunt illustres, & scriptorum omnis generis, omniumque seculorum copia abundant; quem vero cum Veterum nobilissimis comparare possint, habent neminem, aut sane paucos. Scilicet arduum est opus, omnes boni Historici partes adimplere; quo inprimis pertinet, ut ipse rebus gestis interfuerit, aut in antiquioribus genuinos fontes adeat, latentes negociorum publicorum caussas felici studio indaget, eventus maxime notatu dignos justo ordine digerat, & decenti verborum apparatu eloquatur, ita ut ex universo corpore rerum veritas, & civilis prudentia, varietas etiam, cum nitore, concinnitate, atque elegantia quapiam conjuncta, ubique eluceant. Ad hanc laudem, nec, ut putamus, infeliciter, aspirasse videtur Reverendus Autor *Ludovicus de Gendre*, dudum ejusmodi conatibus inclytus, qui omnem Historiam Francicam, ex monumentis fide dignis, ordine non contemnendo congestam, tribus istis Tomis complexus est.

Tomo primo, quo Reges ex Merovingica & Carolingica stirpe oriundi continentur, Historicorum Francicorum catalogum ordine alphabetico concinnatum præfixit, ut, per quos ipse in rebus a nostra memoria longissime remotis profecerit, simul quæ uniuscujusque ætas, ingenium, & in historiam patriam merita sint, cuilibet pateat. Neminem sane pœnitebit, illum quoque indicem fugitivo perlustrasse oculo, cum inserta passim judicia, illaque a partium studio, ut videtur, aliena exteros inprimis dimissura sint doctiores. Hi, ut exemplis nonnullis id confirmemus, relatum legent, Antonium Varillasium, quem fabulis suis, antequam fucus deprehenderetur, magno assensu creditis, stylique facilitate nomen & famam adeptum, gloriæ suæ supervixisse constat, multum boni atque veri scriptis suis adspersisse, accuratius rem pensitantibus facile a spurio falsoque secernendum; Mezerajum Historiam Henrici IV, sub Harduini Perefixii nomine editam sæpius in virorum doctorum præsentia & publiee sibi vindicasse, quamvis stylus purus & facilis, qui in Perefixiano opere ubique regnat, a dicendi genere Mezerajano immensum distet; Petrum Bourdalium Brantomium, hoc quidem nominis ab Abbatia quapiam, cujus reditus ad ipsum pertinebant, nactum, suspectæ esse fidei & quamvis fœminarum illustrium & virtutes & vitia prodat astutus homo, caute tamen legi debere; Petri Jeannini, primi in Parliamento Burgundico Præsidis, qui maximum opus, inducias belli Belgici, stupente orbe, effecit, Commentarios illis, qui ex difficilibus & sentibus suis obsitis negotiis sese expedire volunt, admodum esse profuturos; Philippum vero Huraltum Chivernium, Franciæ Cancellarium, excellentium Instructionum Autorem, Memorias reliquisse momenti exigui; timiditati tanti Viri eximiæ id esse tribuendum, qui chartis in penetrali suo reconditis mandare noluit ea quæ ullo modo olim sibi suisque nocere potuissent.

Reges priorum linearum Tomo primo tradi diximus; altero reliqui, Capeti posteri, Ludovico XIV excepto, percensentur: cujus historiæ universæ compendium exhibere, prolixum nimis esset nec nostri instituti, maxime cum prioris Tomi specimina nonnulla allata jam sint in Actis nostris A. 1701 pag.

pag.109, ubi Historiæ Francicæ ab Autore tribus Voll. in 8 editæ uberior mentio facta est. Est enim idem opus, & illud dudum editum & quod nunc in manibus habemus, sed posterioribus curis sæpenumero interpolatum, immutatum, & omni illa Capetingicorum Regum serie, altera nempe sui parte, adauctum: cui ordinem, elegantiam, veritatis etiam atque æquitatis studium adhibitum esse, nemo facile negabit. Consulat, qui volet, de Ampulla Rhemensi fabulam, quæ de Columbano, Sanctis in Romana Ecclesia adscripto, habet, & ubi Conradini Suevici tristia fata narrat, & deprehendet, neque miraculorum fulgur præstrinxisse Nostri oculos, neque ordinis aut gentis favore a vero aberrasse. Gratis equidem asserit, Imperatores Suevicos ingratissimo animo in Pontifices beneficos fuisse, & illud pene ridiculum est, Artesiæ Comitem, Ludovici IX fratrem, Imperiale fastigium, a Gregorio Papa, Friderico II imperante, contra jus & fas oblatum, ea de causa respuisse, quod se satis honoratum crederet, fratrem Monarchæ, qui ortu & nativitate Rex, Imperatorem, qui eligentibus Statibus suam majestatem deberet, dignitate longe antecederet. Tam difficile est, viris etiam prudentibus, ab insito genti vitio prorsus sibi cavere.

T. I. p. 14. 91.

T. II. p. 425 414.

Sed ad Tertium Tomum properamus, quem Libellus de Moribus Gallorum, Genealogia domus Regiæ a gentis primordio ad nostram usque ætatem jugi feria deducta, & de magnis Regni & status Administris Tractatio constituunt. Ex primo nonnulla hic pro more nostro delibabimus. Franci, Germaniæ magnæ progenies non degener, rei militaris longe studiosissimi fuerunt, virtutemque suam omni tempore cum in præliis bellisque, tum in illis certaminibus privatis, sive ludicris, sive serio cum magno nobilissimæ gentis dedecore & detrimento initis, abunde comprobarunt. Emblematibus, quibus equites illi cataphracti, ut a suis internoscerentur, clypeos suos galeasque in hastiludiis exornare solebant, Artis Heraldicæ primas origines adscribendas esse, haud abs re contendit noster Autor, quamvis illæ magnam etiam partem expeditionibus cruciatis acceptæ ferendæ sint; cum in ingentibus illis exercitibus, e diversissimis gentibus conflatis, ordo militaris sine ejusmodi insignibus vix consistere rite potuerit. Sane Ludovicum

24. 28.

32.

p. 34. VII, quem Juniorem vocant, in expeditione sua, quam Palæstinæ recuperandæ causa suscipiebat, primum Liliis, quæ alii framearum cuspides interpretantur, vexilla sua signasse, veri admodum simile est. Forte equestrium clypeorum ortum in Torneamentis, regiorum & ducalium origines in fatilibus
35. illis bellis quæras. Neque in studiis colendis eadem gens cuipiam cessit. Ut antiquiora taceamus, quem latent magna in Theologicis ista tempestate nomina, Berengarius, Lanfrancus, Abelardus, Gilbertus Porretanus, & Petrus Lombardus, Theologiæ Scholasticæ conditor? Jus Civile ab Irnerio, ut vulgo creditur, in occidente restitutum primus Galliæ intulit ejus discipulus Placentinus, cui cum Reges Galliarum non admodum faverent, ne ex illius Juris receptione jus aliquod Imperatori Romano in Gallias nasceretur, tandem hoc metu evanescente illud tanto applausu exceptum est, ut Philippus IV Pulcher A. 1321 Aureliani scholam unius illius Juris docendi causa conderet. Quamvis enim Parisiis & in Provinciis Regni, quibus suæ sunt Consuetudines, legis vim non obtineat, sed præjudicatæ rei loco censeatur, ea tamen illius est autoritas, ut Magistratum quis capessere prius nequeat, quam ex illo jure interrogatus responderit. Canones fata adeo benigna non habuere. Quamvis enim Pontifices illos, uti reliquo orbi, ita Galliæ quoque commendarint, dissidiis tamen inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII, Pragmatica Sanctione Avarici Biturigum a Carolo VII 1438 condita, Concordatis inter Leonem X & Franciscum I initis, Constitutionibus denique regiis celeberrimis, Cremiacensi A. 1536, Aurelianensi A. 1560, Molinensi A. 1566, & Blæsensi A. 1579, factum est, ut nulla Canonici juris sit autoritas in Galliis, nisi quatenus cum Regiis Edictis illi convenit. Medici suæ artis ipsi fata legant, qui Joannem inprimis Fernelium, A. 1506 Claromontii in Bellovacis natum, Galliæ debent.

40. Urbibus, quæ antiquissimis temporibus Galliam ornarunt, vel a Romanis vel a Francis destructis, primi Reges validissimo exercitu se satis munitos arbitrabantur; si quem locum opifices nonnulli cum uno alterove Sacerdote conjunctim incolebant, vix fossa cinctus erat. Hæ fuere illorum temporum urbes. Nobiles

biles, five quod idem eft, ingenui homines, iidemque milites, ruri degebant; ditiores ex his potentioresque quandam Aulæ fpeciem effingebant; reliqui omnes, militibus ecclefiafticisque perfonis exceptis, fervorum numero cenfebantur. Neque tamen hi unius erant generis; alii erant glebæ adfcripti, vera mancipia, cum fundis poffideri vendique folita; alii melioris conditionis, ad certa vectigalia, ad determinatas operas obligati, vernaculo iftius gentis fermone *Hommes de Poete* appellati. Urbium Gallicarum libertas, & inde enata incrementa, ad Ludovicum VII referenda funt, quo tempore Domini ære alieno, maxime bellorum, fi diis placet, Sacrorum, plenarum, quas vocabant, Curiarum & fplendidiffimorum torneamentorum gratia contracto, Burgenfibus libertatem certatim vendiderunt, & onerofo titulo fimul Jus fuos fibi Magiftros, fuos Scabinos eligendi permiferunt. Urbes libertinæ mox peculiares leges a domino flagitarunt, unde illa Confuetudinum multitudo in Galliis enata eft; commercia inde inftituerunt, artes excoluerunt, & ad eam potentiam, opulentiam, atque dignitatem pervenerunt, ut tandem fub Tertii Status (*Tiers Eftat*) nomine ad publica regni comitia vocarentur, cum duo antea effent Regni ordines, Militaris & Ecclefiafticus.

Ad Regios reditus quod attinet, Merovingici & Carolingici Terrarum Palatiorumque Regiorum proventibus fumtus publicos tolerabant; ubi peregrinabantur, hofpitio ab Abbatibus & Principibus regni fatis fplendido ubique excipiebantur, nec nifi donati dimittebantur, quæ res, ubi Reges vitæ illius erraticæ tæduit, in vectigalis fpeciem, quam Giftum appellarunt, converfa eft. Carolus Martellus bona Clericorum invafit, & hoc fuo exemplo effecit, ut reditus Ecclefiaftici iftis temporibus in commercio Laicorum effe cœperint, fæpiffime fane dono dati, emti, venditi, in dotem oblati, cujus moris quanta fub Carolingis fuerit vis, ex eo elucet, quod Hugo Capetus & ejus Pater S. Dionyfii, S. Germani in Pratis, S. Martini Turonenfis, Corbienfis & Majoris Monafterii in Turonibus Abbates fuerint. Sed quod Reges & Principes ea tempeftate admodum locupletavit, fucceffu temporis egeftatis caufa iisdem exftitit, cum fub Roberto

p. 146.

 Rege

Rege & Filio Henrico I bonorum Ecclesiasticorum restitutio imprudentibus Laicis a Pontificibus & Episcopis persuaderetur, neglectis nempe, & in illa opulentia pessundatis priorum temporum reditibus. Quando itaque bella, imprimis perniciosissimæ in Terram sanctam expeditiones, erant suscipienda, decimæ colligendæ erant, quæ Ludovici VII tempore universo populo, Philippo Augusto regnante Clero imperatæ sunt; quæ exactio inde sæpius, & a Francisco I quotannis repetita, Anno vero 1561 in annuos reditus 1600000 librarum Regi a Clero Francico in Curia urbis Parisiensis solvendos conversa est. Varia etiam emolumenta Regibus ultimæ lineæ prioribus accessere, Judæorum ejectione & restitutione sæpissime iterata, monetæque in augmentum fisci regii multiplici immutatione. Neque tamen hæc extraordinaria commoda sufficiebant ad toleranda externa bella; itaque in eorum locum successere ordinaria & magis lauta, Joanne Rege *Vectigal Salinarium*, & eodem Rege in captivitatem Anglicam abrepto, *subsidia*, & Carolo VII regnante *Capitis census*, quos Galli *la Gabelle*, *les Aydes*, *la Taille* vocant. Subsidia olim a Vasallis domino solvebantur, quando Filium natu maximum Equestri ordine dignabatur, filiam natu maximam elocabat, ipse bello legitimo erat captus, Terram quampiam erat empturus, aut cruciatam expeditionem sequebatur, quod rem faciendi genus imitati inde sunt Reges vectigali quodam vino potulentisque aliis, mercibusque iis quæ e regno exportabantur, imposito. Olim isti quoque reditus, exigente necessitate, a Statibus regni Regi & concedebantur & ipsorum nomine collecti solvebantur: sed id Carolus VII immutavit, & propria autoritate istos reditus colligi jussit; populo, cui perinde erat, cui solveret, id ferente, Clericis equidem & nobilibus indignantibus, sed quibus, milite dudum destitutis, vana erat sine viribus ira.

Causæ olim ultimo loco decidebantur in Parliamentis, sive, quod idem est, in publicis regni Comitiis; quod nomen inde facile ad supremum illum Senatum translatum, in quo hodie privatorum lites tanquam in suprema Curia dijudicantur. Tale Parliamentum antiqui illius, hoc est, publici Regni Conventus quan-

quandam quasi imaginem referebat. Præses ipse Rex, Assessores Regni Prælati & Barones: Juris periti non nisi consulendi gratia nonnunquam admittebantur. Sed hi Regno Philippi Valesii exeunte demum deliberandi & decidendi potestatem adepti sunt. Intulerunt inde JCti illi æqui bonique judicio voces Juridicas, judiciorumque ordinem, difficillimasque causas, iis præsidiis instructi, sibi vindicarunt; iidem ad Præsidum inferiorum primorumque dignitatem sæpissime adspirarunt. Quod cum ægre ferrent Regni Barones, viderentque perpetuis istis judiciis fieri, ut neque suis rebus præesse, neque Regi in bellis adesse possint, sponte sua Parliamento excesserunt: Regni autem Archiepiscopi & Episcopi a Philippo V, eo colore, quod Prælatum in sua ecclesia commorari deceat, ejecti sunt: omnisque judicandi potestas ad Juris Civilis Doctores, doctrinæ excellentia, integritate, & morum sanctitate isto tempore admodum conspicuos, ita translata est. Sed subsistamus; jam enim longius, quam par erat, in jucundissimarum rerum narratione sumus provecti.

De Genealogiis Regiis non est, quod dicamus. Parte Tomi Tertii ultima illi exponuntur qui Exercitibus Gallicis supremo imperio terra marique, tum & qui aulæ & legibus præfuerunt. Sunt illi Majores domus sub Merovingis, Seneschalli, qui Magistratus maximus a Philippo Augusto abolitus est, Comites stabuli, quorum postremus fuit Franciscus Lediguierius, Cancellarii supremique Sigilli Custodes, Mareschalli Franciæ, & Præfecti Maris.

HISTOIRE DE HENRY DE LA TOUR d'Auvergne, Duc de Bouillon.

hoc est,

HISTORIA HENRICI, DUCIS BULLIONII, Autore MARSOLLIERIO, Canonico & Præposito Ecclesiæ Cathedralis Ucetiensis.

Tomi III.

Lutæ-

Lutetiæ, apud Franciscum Barois, 1719, 12.
Alph. 2 pl. 9.

CUm A. 1710 p. 179 recensuerimus *Historiam genealogicam domus Alvernensis*, a Baluzio conscriptam, nunc merito istud Marsollierii opus perlustramus, quo maxima illius familiæ gloria *Henricus*, *Dux Bullionius*, æternitati commendatur. Discimus hinc, Henricum illum A. 1555 d. 28 Sept. fuisse natum, parentibus Francisco, Vicecomite Turennio, & Elisabetha, filia Momorantii, Comestabilis Franciæ. Postquam primo statim ætatis anno matrem, altero patrem amiserat, avus Mommorantius ejus educationi præesse dignatus est. Ceterum cum in literis mirabiles faceret progressus, avia eum orbavit præceptore, metuens, ne hac occasione fieret Calvinianus. Habitam enim tum temporis fuisse religionem Calvinianam pro religione eruditorum ac meliorum ingeniorum, testatur Historicus noster. Nec repugnabat uxori Comestabilis, quippe qui ipse nec legendi nec scribendi artem didicerat. Hic nepotem illum suum admodum tenera ætate deduxit in aulam regiam, in qua gratiosus fuit non solum regnante Henrico II, sed & sub sequentibus Regibus. Interfuit adolescentulus obsidioni Rupellensi. Ex eo tempore semper secutus est partes Ducis Alenconii, eique fidelissimam præstitit amicitiam. Regnante Henrico III, rebellibus se adjunxit socium, qui partim erant Catholici vocabanturque *Politici*, partim Calviniani, quorum religionem paulo post amplexatus est Turennius noster. Horum in exercitu summæ imperii præfuit, postea simul factus Gubernator Occitaniæ superioris. Postea cum Duci Andegavensi (is idem est, quem antea appellabant Alenconium,) oblatum fuisset imperium in Belgas, una cum hoc Turennius Belgium petiit, ubi captus ab hostibus tres prope annos libertate caruit. Hinc, mortuo Andegavensi, se addixit Henrico, Navarræ Regi, qui postea Galliæ tenuit imperium. Is nihil fecit non consulto Turennio, ejusque consilia semper est secutus. Turennius quoque maximas res gessit in bellis internis, quæ fuerunt sub Henrico III. Cui cum succederet Henricus IV, ei Turennius

nius summa præstitit officia, profectus in Belgium, Angliam & Germaniam ad auxilia novo Regi comparanda. Tantorum haud immemor officiorum Rex Turennio nuptias conciliavit cum expetita tot illustrissimis procis Charlotta, Ducatus Bullionensis herede. Anno post etiam Mareschallum Franciæ eum, Calvinianum licet, Rex creavit. Paulo post exstincta sine liberis uxore Turennius ex testamento fit Dux Bullionensis. Bullionius igitur postea dictus alteram sibi adjungit uxorem, Elisabetham Nassoviam, Guilielmi, Principis Auriaci, filiam. In bello, quod Henricus IV gessit cum Hispaniæ Rege, Bullionius præstantissimi ducis munia explevit, simulque artibus suis effecit, ut Rex Calvinianorum in gratiam ederet Edictum illud Nannetense: quod quidem revocabile fuisse, Historicus noster censet, idemque sentientem adducit Grotium in discussione Apologetici Rivetiani p. 22. Tandem excidit Regis gratia Bullionius, quem inimici ipsius Regi suspectum fecerant, quasi particeps esset conjurationis Bironianæ. Metuens igitur, ne succumberet insidiis inimicorum, in aulam, licet arcessitus, venire noluit, imo regno plane excessit. Cum vero Rex Bullionii sedem, Sedanum, occuparet, supplex hic ei factus & gratiam Regis & Sedanum suum recepit. Occiso hoc Rege, Bullionius in aula functus est munere Consiliarii Regii, missusque in Angliam hac occasione Electori Palatino sponsam conciliavit Regis Britanniæ filiam. Docet etiam nos Historicus noster, Bullionii potissimum instinctu & artibus factum esse, ut postea Palatinus ille Elector a Bohemis Rex eligeretur. Ceterum regnante in Gallia Maria, Ludovici XIII matre, Bullionius accessit ad partes Condei, rebellique exercitui præfuit. Reconciliatus tandem Regi aulæ valedixit, reversusque Sedanum ibi mansit ad mortem usque, quæ incidit in diem 25 Martii anni 1623. Ceterum cum in theatro Gallico inter præcipuas personas semper fuerit habitus Bullionius noster, Autor hujus operis fuse exponit, quæ gesta sint in Gallia per omnem vitam Bullionii, hoc est, sub Rege Carolo IX & successoribus usque ad Ludovicum XIII, ut adeo non tam Bullionii, quam Galliæ historia hoc opere lectoribus exhibeatur. Fatendumque nobis est, histo-

riam hanc perscriptam esse non solum admodum eleganter, sed etiam πολιτικώτατα. Ac fide dignum esse Historicum nostrum, cum ex eo patet, quod libere notat, quæ censet vituperanda, nec heroi quidem suo, cujus vitam describit, semper se præbens patronum; tum inde, quod fidelissimis usus est Commentariis MSS. ipsius Bullionii, quos ei dedit inspiciendos Cardinalis Bullionius, cujus rogatu Autor ad scribendum hoc Opus se accinxit. Præter hos Commentarios consuluisse etiam se dicit Thuanum aliosque fide dignos illius ætatis historicos. Inter hæc libro III p. 406 nos docet, non esse Memoriis (*Memoires*) Sullianis fidem habendam in rebus Turennii. Sullium enim ejus fuisse inimicum, & multa de eo tradidisse falsa, multa vera silentio præteriisse. Ut ex præclaro hoc opere nonnulla insuper decerpamus in Lectorum gratiam, libro II (octo enim libris hoc opus constat) docemur, Henricum III, imprudentissimum fuisse regni sui rectorem. Ibidem p. 217 Autor hanc affert causam, cur Turennius omnes alios suæ ætatis præcesserit sapientia, quod quotidie certas horas destinarit colloquio cum viris doctis de argumentis philosophicis, theologicis, ac politicis, imo quod ne iter quidem fecerit sine comite erudito. P. 246 refert, Calvinianos in Gallia instituere voluisse Remp. liberam exemplo Belgarum, eumque in finem in synodo, quam in Fano S. Fidei, quod oppidum est in provincia Petrocoriensi, A. 1578 habuerunt, constituisse concordiam inire cum Lutheranis: eo consilio misisse quosdam ad Francofurtanam synodum, eisque potestatem dedisse faciendi, quicquid aptum esset ad Lutheranos cum Calvinianis in concordiam redigendos. Quæ res cum vix credibilis videatur, Historicus noster lectores delegat ad Tabularium Sorbonicum, in quo extare ait literas Calvinianæ Synodi authenticas. At non est, quod Sorbonam ideo petamus: Exstant enim Acta synodi in Fano S. Fidei habitæ in Corpore Conciliorum nationalium a Reformatis in Gallia habitarum (quod opus recensuimus in *Suppl. T. V p. 375*) p. 126 sqq. Redimus ad Autorem nostrum, qui lib. III p. 367 & p. 398 ita describit ingenium Henrici IV, Galliæ Regis, quod, quoties esset in periculo, nemo eo fuerit vigilantior ac laborio-

sior;

sior; depulso autem periculo rursus se dederit voluptatibus, quæ eum æque, ac olim Hannibalem, sæpius impedierint, quo minus recte uteretur victoriis suis. Libro quarto lectu dignissima est Turennii negotiatio in aulis Principum Germaniæ pro Rege suo, Henrico IV, quam fusius describit Autor, simul judicans, eam fuisse *un des chefs-d'oeuvre de la Politique*, hoc est, eminentissimum prudentiæ politicæ specimen. Libro VIII refert Autor, Bullionium nostrum non solum condidisse Academiam Sedanensem, eamque instruxisse Professoribus præstantissimis, verum etiam Bibliothecam comparasse præstantissimam, librorumque typis expressorum numero vix ulli secundam. Eam conditoris nepos Cardinalis Bullionius A. 1671 ab Rege impetravit, atque ita auxit, ut Bullionia Bibliotheca inter Parisienses habeatur secundum regiam illam præstantissima. Antequam Ducem Bullionium mittamus, observamus cum Historico nostro, eum fuisse summum sui ævi virum, maximam patriæ suæ gloriam, præstantissimum belli ducem, incomparabilem politicum, singularem & literarum & literatorum patronum. Hoc unum reprehendendum videtur Historico, quod Bullionius Catholicis natus parentibus in Calvinianorum castra transiit, eorumque religioni ad finem usque vitæ addictus permansit. E contrario laudat duos ipsius filios, (octo enim liberos habuit Bullionius, inter quos sex femellæ,) qui Calviniani nati Catholicæ Ecclesiæ se subjecerint, Fridericum Mauritium, Ducem Bullionium, (cujus fata non ita pridem descripsimus in his Actis A. 1719 p. 144 sqq.) & celeberrimum illum Turennium, quem summam Gallicarum copiarum ducem post res præclarissime gestas ictu tormenti in Germania occubuisse constat. Ad ultimum nolumus prætermittere ridiculum errorem, quem Historicus noster p. 180, 306, 389 & 427 ignorantia linguæ Germanicæ commisit, scribens, Germanos Galliæ Regi auxilio misisse aliquot millia *Reitres* & *Lansquenets*. Scilicet innuit equites & pedites, quorum illi nostratibus vocantur Reuter, u. Landsknechte.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS DE LA Republique Romaine,

 hoc

hoc eſt,

HISTORIA REIP. ROMANÆ; AUTORE ABBATE DE VERTOT, Collega Academiæ Regiæ Inſcriptionum & politiorum literarum.

Tomi III.

Hagæ, apud Henr. Scheurleer, 1720, 12 maj.
Alph. 1 pl. 21.

DOctiſſimus Autor ſecundum ordinem annorum hoc opere exponit hiſtoriam Romanam, quatuordecim libris comprehenſam, idque dicendi genere politiſſimo. Orditur a Romulo, deſinens in Auguſto, cujus tamen hiſtoriam non longius producit, quam ad id tempus, quo is monarchia Romæ potitus eſt. Nihil eſt, quod hinc excerpi poſſit. Omnia enim lectoribus hiſtoriæ Romanæ peritis cognitiſſima ſunt, & hæc una laus doctiſſimo Abbati debetur, quod in gratiam popularium ſuorum totam hiſtoriam Romanam in elegantiſſimum hoc corpus redegit. Nec lectu indigna eſt Præfatio, in qua exponitur, quanto ſtudio Romani veteres libertati Reip proſpexerint. Obſervat hic, potiſſimum libertatis Romanæ fundamentum fuiſſe frugalitatem, pluribus ſtabilitam legibus: cui poſtquam ſucceſſerit luxuria & magnificentia, virtutem Romanam decreviſſe, tandemque libertatem fuiſſe exſtinctam.

JUGEMENT DES SS. PERES SUR LA MORale de la Philoſophie payenne.

hoc eſt,

PATRUM ECCLESIÆ SENTENTIA DE Doctrina morali Philoſophorum ethnicorum.

Argentorati, apud I. R. Dulſſeckerum, 1719, 4.
Alph. 3 pl. 7.

CL. *Baltus*, e Societate Jeſu, cujus *Defenſionem Patrum Eccleſiæ ab accuſatione Platoniſmi* A. 1711 p. 250 recenſuimus, præſenti opere excutere conatur, qui multorum inſedit animis, immodicum erga ethnicorum Philoſophiam moralem favo-

rem,

rem, impulsus potissimum, uti docet Præfatio, Dacerii scriptis, quippe qui & in *Dissertatione de Platone*, & in *Præfationibus ad M. Antonini Opera*, atque *ad Symbola Pythagorica*, nimis magnifice de morali ethnicorum Philosophia sentit, æquiparare eam doctrinæ Christianæ haud veritus. Tres autem in libros dispertiri hoc opus placuit doctissimo Autori, quorum prima fundamenta Philosophiæ moralis ethnicæ, duces sequens Ecclesiæ Patres, contemplatur; altero ipsa Philosophorum præcepta moralia repræsentat, & cum Christianis vitæ regulis contendit; tertio de abusu pariter ac recto usu librorum moralium ab ethnicis conscriptorum disputat. Statim igitur *primo Libri primi Capite* docet, moralem doctrinam esse solidam non posse, nisi veritatibus quibusdam speculativis tanquam fundamentis innitatur, e quibus & præcepta vivendi ducantur, & mentes exstimulentur ad præcepta illa promte sequenda. Inter fundamenta illa eminere ait veram de providentia Dei atque de animorum immortalitate doctrinam. *Cap. III*, Philosophos habuisse quidem cognitionem Dei, at obscuram admodum & imperfectam, potissimum Clementis Alexandrini testimoniis probat, quem vulgo injuste ait accusari nimii favoris erga Philosophiam ethnicam. Cap. IV simile de ethnicorum Philosophorum notitia Dei judicium profert e Tertulliano, & Cap. V e Lactantio, quem unum omnium Patrum Ecclesiæ vividissime judicat repræsentasse Philosophiæ moralis ethnicæ miseriam. Philosophos elementis tribuisse divinitatem, Cap. VI docet. Cap. VII polytheismum Philosophis tribuit, idque tum exordio Aurei Carminis, tum locis aliquot Platonis aliorumque demonstrat. Quod quidam dicunt, eos metu pœne deterritos fuisse, quo minus unitatem Dei publice traderent & τὴν πολυθεότητα oppugnarent, id Noster non vult credere de omnibus. Addit, Philosophos de cultu Dei nihil tradere suis in scriptis, eaque ex re putat apparere eorum obscuram Dei notitiam. Cap. VIII Patrum Ecclesiæ ductum sequens ostendit, Philosophos esse injurios in divinam omnipotentiam, statuentes, mundum non potuisse a Deo creari nisi e materia præexistente. Cap. IX docet, Platonicos creationem mundi inferioris & hominum tribuisse

Diis ſupremo Deo inferioribus; eosdem creationem habuiſſe pro effectu Dei non libero, ſed naturaliter neceſſario: quem errorem non leviorem judicat errore Epicuri & Ariſtotelis, quorum ille mundum caſu prodiiſſe, hic ab æterno exſtitiſſe docebat. Cap. X, quantopere corrupta a Philoſophis fuerit doctrina de DEI providentia, Stoicorum exemplo oſtendit, fatalem ſtatuentium neceſſitatem, atque ita non ſolum hominibus libertatem agendi adimentium, ſed & omnem peccatorum culpam in Deum conferentium. Ceterum cum Cl. Dacerius, doctrinam Platonis de divina providentia chriſtianiſſimam eſſe, contendat, Noſter Cap. XI obſervat, eum & minus fideliter opinionem Platonis expoſuiſſe, & intermiſta ejus dogmata minus chriſtiana prætermiſiſſe. Ipſe Platonem docuiſſe docet, trium generum Deos providentiam ita inter ſe diſpertiiſſe, ut ſupremum Numen curam quaſi generalem gerat hujus univerſi; ſecundum genus Deorum cura ſua complectatur animalia & ſtirpes; tertium actiones hominum & eventus ſpecialiſſimos. Addit ineptam Platonis opinionem de fato. Cap. XII Ariſtotelem docet negaſſe Dei providentiam circa ſublunaria, ideoque ab omnibus Eccleſiæ Patribus fuiſſe reprehenſum. Recte autem iſtam doctrinam Ariſtoteli tribui, non ſolum Laertii & Attici Platonici teſtimonio probat, ſed etiam ipſius Ariſtotelis verbis, addens, hac doctrina ſubrui omnis pietatis ac probitatis fundamenta. Cap. XIII Platonicorum atque Stoicorum de pœnis ac præmiis poſthumis ineptias profert. Cap. XIV oſtendit, quam longe dogmata Philoſophorum de miſericordia Dei recedant a veritate chriſtiana, aliis miſericordiam inter vitia referentibus, aliis Deos ſtatuentibus inexorabiles. Cap. XV Philoſophorum de origine hominum opiniones conſiderat. Qui mundum & homines ab æterno exſtitiſſe crediderunt, eos ait non ſolum per ſummam injuriam communicaſſe æternitatem Dei cum mundo & cum genere humano, verum etiam hoc ipſo evertiſſe hominum a Deo dependentiam, adeoque fundamentum officiorum hominis erga Deum deſtruxiſſe. Hinc eos inſectatur, qui æternitatem mundi negantes docuerunt, forte e terra fungorum inſtar editos fuiſſe homines, vel ex igne divi-

divino genitos. Cap. XVI inepta Platonis dogmata de productione hominum recitat. Cap. XVII demonſtrat ſummam Philoſophorum incertitudinem de eſſentia animæ, ut & Cicero lib. I. Quæſt. Tuſc. ſcripſerit: *Harum* (de eſſentia mentis humanæ) *ſententiarum quæ vera ſit, Deus aliquis viderit: imo, quæ veriſſima ſit, magna quæſtio eſt.* Ab Ariſtotele negatam fuiſſe immortalitatem animæ, concors eſt Patrum ſententia. Noſter hic obſervat, eos, qui recentiori ævo hac in parte defenſum iverunt Ariſtotelem, metuiſſe, ne religioni Chriſtianæ fraudi ſit, ſi Ariſtoteles, tam venerabile in ſcholis Chriſtianorum nomen, ſtatuiſſe credatur, animam una cum corpore exſtingui. Pergit hinc ad Stoicos, animam non quidem ſtatim cum corpore, ſed tamen aliquo tempore poſt exſtinctum iri, ratos. Solis Platonicis cum placuerit ſtatuere animæ immortalitatem, Noſter tamen Cap. XVIII oſtendit, Platonis pariter ac Socratis opinionem de immortalitate animæ obnoxiam fuiſſe multæ dubitationi, & utriusque hac in re patrocinium ſuſcepiſſe Dacerium, (cujus & ſocerum, Tanaquillum Fabrum graviter notat p. 129,) non miratur ſolum, ſed plane indignatur. Cap. XIX notat incertitudinem & varias opiniones Philoſophorum de ſummo bono, quos univerſos duobus ait fuiſſe implicitos erroribus, dum ſtatuerunt primo, ſummam felicitatem quæri debere & acquiri poſſe hac in vita, deinde ſumma felicitate hominem poſſe potiri ſuis ſolius viribus. Hinc fluxiſſe errorem Philoſophorum, non eſſe Deum precandum, nobis ut largiatur virtutem. Notat etiam ex Auguſtino contradictionem Stoicorum, ſtatuentium, ſapientem in ſummis calamitatibus eſſe beatum, & tamen eundem ad finiendas calamitates ſibi ipſi poſſe mortem conſciſcere. Cap. XX notat cum Patribus Eccleſiæ, quorum veſtigia ubique ſequitur, Philoſophos, quod originem peccati ignorantes alii pravam hominis naturam retulerint ad communem rerum Naturam, quæ hic ſe novercam præbuerit; alii fabulati ſint, mentes ob admiſſa crimina prioris vitæ detruſas eſſe in corpora tanquam in carcerem. Qua occaſione tollit mendum in omnibus editionibus adhuc hærens ex Longiniani Philoſophi epiſtola ad Auguſtinum, quæ inter Auguſtini epiſto-

las

las eſt vigeſima prima, pro *Ageticis* erudite reſcribens *Tageticis*. Cap. XXI obſervat, Platonicos, dum originem mali tribuerunt materiæ æternæ, cujus vitia Deus corrigere non potuerit, non ſolum omnipotentiæ Dei facere injuriam, ſed duos quoque Deos inducere, alterum boni, alterum mali fontem. Hinc Stoicos exagitat, qui in alia omnia euntes ſummam integritatem naturæ humanæ tribuerunt, naturamque ſequi juſſerunt. Hinc jure concluſiſſe Patres Cap. XXII exiſtimat, Philoſophis ignota fuiſſe vera fundamenta religionis ac doctrinæ moralis. Addit, eosdem ſtatuere, ignorantiæ hujus cauſam eſſe ſuperbiam Philoſophorum. Cap. XXIII Auguſtinum Steuchum Eugubinum refellit, qui in opere ſuo *de perenni Philoſophia* contendit, Philoſophis perſpectas fuiſſe omnes veritates religionis Chriſtianæ. Reſpondet huic, etſi hinc inde e Philoſophis ſententiæ quædam cum S. Scriptura concordantes eruantur, tamen alibi eos & quidem conſtantius docuiſſe contrarium, ut vel hinc eorum incertitudo eluceat: adeoque ſanas illas doctrinas in Philoſophorum ſcriptis occurrentes eſſe margaritas in ſterquilinio. Addit, Steuchum contradicere Paulo Apoſtolo, ſapientes hujus mundi pronuntianti ſtultos. Denique ita inutilem putat ſtatui adventum Chriſti in hunc mundum: cum enim ob id ipſum veniſſe, ut everteret Philoſophiam ethnicam, & veram traderet ſapientiam. Hinc Cap. XXIV, quod ultimum hujus libri eſt, gratias decernit Chriſto, cujus beneficio ab iſtis erroribus liberati ad liquidiſſimam veritatis lucem pervenimus.

Sequitur *ſecundus Liber*, quo Autor præcepta Philoſophorum ethnicorum moralia perſequitur. Hic Cap. I docet, Patres agnoviſſe, multa in ſcriptis Philoſophorum reperiri egregia morum præcepta, tanquam divinæ imaginis reliquias; item, a Philoſophis patratas fuiſſe multas actiones virtutis plenas ac proinde laude dignas. Eosdem tamen tres ſtatuiſſe differentias inter Philoſophicam & Chriſtianam virtutem. Primam Cap. II perſequitur, e Patribus demonſtrans, Philoſophos virtutem referre ſolum ad vitam præſentem, Chriſtianos ad æternam. Hic etiam iis reſpondet, qui Platonicos hic volunt exceptos, quippe qui vitam ſtatuerint æternam. Alterum diſcrimen

men Cap. III exponit. Scilicet Philoſophi tantum externos mores dirigunt, atque cavent, ne malitia animi in actus erumpat externos: at Chriſtiana Philoſophia interiora animi colit, nec minus cogitationibus ac deſideriis, quam actionibus pravis, homines interdicit. Cap. IV tertium diſcrimen proponitur, ac docetur, Philoſophorum virtuti operantium finem fuiſſe vanam gloriam, quam Chriſtiani ſummo ſtudio fugiant: adeoque Philoſophos, & in his maxime Stoicos, ſimiles fuiſſe Pharisæis. Cap. V pergit Autor ad ſpeciales virtutes, notatque Dacerium, ſcribentem, Philoſophiam ethnicam tradere quam optime officia hominis erga Deum, proximum & ſemet ipſum, eorumque præcepta accuratiſſime congruere cum præceptis religionis Chriſtianæ; adeoque, ceſſantibus in Judæa Prophetis, Deum ſuſcitaſſe Philoſophos ad docendas gentes & tradendas iis doctrinas Evangelicas. Noſter e contrario docet, Philoſophos non potuiſſe de amore erga Deum recte præcipere, deſtitutos quippe ſtimulis illis, quibus Chriſtiani incitantur ad Deum ardentiſſime amandum. Imo Cap. VI docet, Philoſophos nullam coluiſſe neque commendaſſe virtutem, quæ Deum immediate ſpectat. idque primo probat de pœnitentia, virtute ethnicis incognita, imo ab iis rejecta. Quod ad charitatem proximi attinet, Cap. VII ediſſerit, Philoſophos amorem erga naturæ humanæ ſocios, maxime erga pauperes, non coluiſſe, imo miſericordiam in vitiis poſuiſſe. Addit, id prono alveo ſecutum eſſe ex ipſorum principiis theoreticis. Hic p. 221 ſcribit, in omnibus Philoſophorum libris moralibus ac politicis nihil reperiri præceptorum de pauperibus conſilio opeque juvandis. Eadem tamen pagina recitat præceptum Senecæ, jubentis *dari manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem.* Simul oſtendit, quam diligenter Patres eccleſiaſtici demonſtrarint, miſericordiam eſſe virtutem Chriſtianam. Hic p. 226 obſervat, in paganiſmo nulla fuiſſe orphanotrophia, noſocomia, xenodochia, ſed horum originem deberi Chriſtianis, eorumque æmulatione incenſum Julianum Apoſtatam juſſiſſe condi xenodochia inter ethnicos. Cap. VIII & IX illuſtribus aliquot exemplis manifeſtum facit, quam benignos ſe veteres Chriſtiani

ni præbuerint erga calamitosos,& contra quam duri & inhumani erga miseros fuerint ethnici. Iis, qui in Ciceronis Officiis præclara putant præcepta tradi de benignitate, Cap. X respondet e Lactantio & Ambrosio, in ista Ciceronis doctrina notantibus errores aliquot gravissimos. Addit, Platonem & Aristotelem justissime a Patribus fuisse reprehensos, quod commendarint expositionem infantum & procurationem abortus. Cap. XI contendit, ethnicos nihil præcepisse de amandis inimicis, Patresque sequitur, hoc potissimum statuentes discrimen inter Philosophos ethnicos & Christianos. Porro cum Philosophi licitum interdum censuerint, falsum dicere, Noster Cap. XII docet, Christianos omne omnino mendacium damnasse & fugisse. Cap. XIII progreditur ad virtutes hominis erga se ipsum, fortitudinem ac temperantiam, fortitudinem ac patientiam Philosophorum tantum simulatam & hypocriticam fuisse, Patrum testimoniis comprobans. Contra Cap. XIV docet, quam admirabilia patientiæ exempla ediderint olim Christiani, maxime Martyres. Cap. XV examinat Philosophorum rationes, quibus permoti fuerunt ad patienter ferendas calamitates, quamque infirma sint, e Patribus ostendit. Cap. XVI ad temperantiam venit, ostendens, Philosophos turpissimis libidinibus indulsisse, & adducens loca Patrum, quibus castitatem Christianorum opponunt moribus Philosophorum. Cap. XVII comparat Vestalium virginum cœlibatum cum virginitatis studio inter Christianos, quamque longe illæ a vera & germana castitate abfuerint, e Patribus luculenter docet. Cap. XVIII & XIX ostendit, Philosophos ethnicos fovisse dogmata politica Reip. damnosa, cum contra doctrinæ Christianæ summam tranquillitatem felicitatemque inferant civitatibus. Cap. XX præeunte Patrum choro docet, maximum eum esse nævum præceptorum & moralium & politicorum, quæ Philosophi dederunt, quod ea nitantur auctoritate humana, Christianis præceptis auctoritate DEI & Filii ejus munitis. Addit Cap. XXI alterum nævum, quod Philosophiæ studium non omnibus pateat, cum e contrario Christiana sapientia nec mulieres, imo ne vilissimos quidem servos excludat, sed omnibus obvia sit & exposita. Tandem Cap. XXII

XXII & XXIII exponit, quantum valuerit religio Christiana ad mutandos in melius mores hominum, & tollendam e civitatibus superstitionem, barbariem, & omnis generis flagitia, ac totum caput quartum ex primo libro Præparationis Eusebianæ hanc in rem recitat, addens, Philosophorum doctrinam parem vim haud habuisse.

Succedit *Liber tertius*, cujus quatuor prioribus Capitibus Autor e Patribus Ecclesiæ docet, quis fructus e lectione ethnicorum Philosophorum capi queat. Scilicet *primus* ethnicæ Philosophiæ usus est, ut ea præparet animos ad Christianam religionem & ad studium Theologiæ. Hoc fine tradebatur Philosophia in celebri illa schola Christianorum Alexandrina. Ac proinde graviter invectus est Gregorius Nazianzenus in eos, qui tanquam Christiano homine indignum damnabant Philosophiæ studium. *Alter* illius Philosophiæ usus est, ut religio Christiana defendi possit contra ethnicos. Exemplo sunt tot doctissimæ apologiæ veterum Christianorum, in quibus, ut cum Hieronymo loquamur, nescias, utrum magis admirari debeas eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum. *Tertio*, Patres e librorum ethnicorum lectione sibi comparabant insignem eloquentiam, cujus ope multos perducebant in castra Christi. Qua in re prudenter se accommodarunt genio ethnicorum, qui non erant libros Christianorum lecturi, nisi conditos multa eruditione seculari. *Quarto* comparando Philosophiam ethnicam, tum theoreticam, tum practicam, cum Philosophia Christiana luculentius cognoscimus hujus excellentiam, majorique amore & admiratione ejus perfundimur. Quo in genere maxime elaborarunt Eusebius, Theodoretus & Augustinus. *Quinto* discimus miserrimum humani generis statum ante adventum Christi. *Sexto* denique eruere debemus e Philosophorum libris bona præcepta, iisque uti ad confirmandam religionem Christianam, item præclara exempla virtutum ad stimulum subdendum Christianis. Capite quinto & sex consequentibus Autor eos refutandos suscipit, qui omnia Philosophorum opera statuunt peccata fuisse. Hic in primis annititur his eripere suffragium Augustini, contendentis, Deum, uti Judæis gratiam dedit ad

 Mosaicas

Mosaicas leges servandas necessariam, sic ethnicis largitum esse gratiam ad servandam legem naturalem, adeoque ethnicos divinæ gratiæ auxiliis usos omnino fecisse opera vere bona. Eandem sententiam stabilire conatur Traditione Ecclesiæ, adducens consentientes e Latinis Hieronymum, Ambrosium & Lactantium, e Græcis Basilium, Gregorium Nazianzenum, Clementem Alexandrinum, & Justinum Martyrem. Cap. XII & sex sequentibus adducit Cl. Dacerii (quem ab Autore nostro eandem ob causam jam olim notari meminimus in his Actis A. 1711 p. 255) elogia moralis Philosophiæ ethnicæ, cum Stoicæ, tum Platonicæ ac Pythagoricæ, justo magnificentiora, quibus permotum se fuisse fatetur ad totum hoc Opus contexendum. Annectit ad hæc Daceriana elogia breves ἐπικρίσεις. Maxime Cap. XVIII docte refellit Dacerianum elogium Hieroelis, quamque tenui sapientia præditus fuerit hic Philosophus, luculenter demonstrat. Cap. XIX & XX exhibet atque illustrat duas regulas prudentiæ, quas Patres Ecclesiæ præscripserunt in lectione librorum ethnicorum observandas. Prima hæc est: Legendi sunt isti libri cum judicio, & adhibito discrimine, cum ibi bona mixta sint malis. Imo quosdam plane non legendos censuerunt, ut lascivos Poetas, Sophistas veritatem adulterantes, Philosophos providentiam DEI oppugnantes. Secunda hæc est regula, ne nimium studii ac temporis tribuamus scriptis ethnicorum. Capitibus sequentibus tribus, quibus operi colophonem imponit Autor, exponitur damnum, quod lectoribus Christianis afferre potest inconsulta ethnicorum lectio. Scilicet primo facile hinc excitatur fastidium sacræ Scripturæ, quasi minus polito stylo conscriptæ: id quod accidisse sibi, testatur Hieronymus, testatur Augustinus. Deinde ita fit, ut errores nonnullos imbibamus: id quod mu[illegible] accidit, qui Platonis vel Aristotelis errores invexerunt in Ecclesiam. Ad primum genus Autor Pomponatium refert & Cæsalpinum; ad alterum, Marsilium Ficinum & Diacetium: approbans dictum Ludovici Vivis, quod Aristotelis amor multos Christianos converterit in atheos ac libertinos, Platonis amor multos in enthusiastas & magos. Ex eodem fonte derivat Autor ethnicas lo-

quendi

quendi formulas in multorum Christianorum scriptis hodie obvias, e. g. cum Naturæ, Fato, Fortunæ, Astris tribuunt plerosque eventus.

JOH. ALBERTI FABRICII, SS. TH. D. ET Prof. Publici, Bibliothecæ Græcæ Volumen IX seu Libri V Pars V & ultima.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1719, 4.
Alph. 4 pl. 11.

QUæ jam dudum laus quasi propria fuit Cl. Fabricio, & plane domestica, ut perpetuis laboribus rei literariæ utilem navaret operam, illam strenue adhuc tuetur, quando post editam nuper Banduri Bibliothecam numismaticam, multis accessionibus ab ipso locupletatam, nunc Bibliothecæ Græcæ, quam in his Actis aliquoties laudavimus, novum Volumen, & quidem Libri V Partem V & ultimam promulgat. Connectitur autem hoc volumen cum octavo, quod anno 1717 mense Septembri p. 392 in eruditorum conspectum produximus, & cap. XXXII, quod priore loco comparet, *de Palladio Galata* Episcopo Helenopolitano tractat, qui a. C. 367 natus, monasticam amplexus est vitam, & propterea quod contractam cum Evagrio præceptore suo amicitiam constantissime coluit, Origenis erroribus favere visus est, cujus tamen rei nulla in scriptis ejus vestigia occurrunt. Inter scripta ejus merito eminet λαυσαϊκὸν, sive *Historia Lausiaca*, qua stilo simplici ac terso de vita Monachorum, & mulierum, quæ singularis sanctimoniæ laude fuerunt conspicuæ, ad Lausum Πραιποσιτον τῦ κοιτῶνος sive præfectum cubiculi Imp. Theodosii jun. perscribit, & quomodo incredibili propemodum austeritate vitæ sanctitatem præ se ferre studuerint Monachi, luculenter exponit. Qui autem nomine Palladii insignitus est *dialogus de vita S. Chrysostomi*, & *Historia de gentibus Indiæ & Bragmanibus*, ad alios pertinent Palladios, quorum plures quam quinquaginta heic enumerantur. Neque actorum disputationis, quam per quinq; dies coram Rege Abramio Gregentius Archi-episcopus Taphrensis cum Judæo Herbano habuit, Palladius Alexandrinus autor est, quæ Barthii olim

fuit ſententia, ſed ut ex codice manu exarato Slavonico, qui in Bibliotheca Berolinenſi aſſervatur, oppido manifeſtum eſt, ſcripta fuit iſthæc diſputatio ab Epiſcopo quodam urbis Negran in Homeritarum regione, quæ martyrum civitas olim dicta fuit. Quibus expoſitis *Heraclides Cyprius* in Scetenſi eremo ſectator Evagrii producitur, qui initio Conſtantinopoli a Chryſoſtomo Diaconus creatus, poſt Antonio Epiſcopo Eph. ſucceſſit in officio, quo tamen vix anni ſpatio interjecto ob Origeniſmum in ſynodo ad Quercum multatus, & Nicomediæ in carcerem conjectus eſt. Scripſit librum *Paradiſi* titulo inſcriptum, quem tanti æſtimavit Vincentius Bellovacenſis, ut propterea hunc Heraclidem in Sanctorum numero collocaret. Atque hoc loco non tantum varii Heraclidæ adducuntur, ſed etiam *Joannis Moſchi*, cui Εὐκρατᾶς cognomen inditum, λειμὼν ſeu λειμωνάριον & νέος παράδεισος, *pratum, viridarium, novus paradiſus* excutitur, quod opus Nicephorus Sophronio Hieroſolymitano quondam attribuit. Sequitur *anonymi* ἀνδρῶν ἁγίων βίβλος Photio olim codice CXCVIII lectus, qui in XXII capita diviſus, ſub ſingulis, totidem velut titulis virtutum, varias narrationes ex magno λειμωναρίῳ continet. Et ſane admodum probabile eſt, quamplura olim extitiſſe volumina, quæ μοναχικῶν, γεροντικῶν, πατερικῶν titulo commemorari ſolent, & a monachis deſcripta, atque ad menſam lecta fuerunt, quorum in cenſum *Johannis Geometræ* παράδεισος νέος verſibus conſcriptus, *Maximi Margunii* Cytherorum Epiſcopi νέον λειμάριον, *Agapii Cretenſis* νέος παράδεισος ſine dubio referri debent. Et quia *Heriberti Rosweidi* præclarum opus, quod *Vitæ Patrum* inſcribitur, complura ejusmodi ſcripta complectitur, id Cl. Fabricius hoc loco ſtudioſe recenſuit, ac eidem comitem dedit *Hiſtoriam Chriſtianam veterum Patrum*, quam ante Rosweidum *Renatus Laurentius de la Barre* in lucem emiſerat. Poſt hæc conſpiciuntur aliquot ſcriptores de vitis Patrum, monachorum, dubii, Manuſcripti, & deperditi, Græci Latinique; ſcripta de ſanctis, Menologia, Menæa Eccleſiarum Orientalium, Kalendaria, Martyrologia Eccleſiarum occidentalium, Hagiologia, Kalendaria Eccleſiaſtica, Elogia Sanctorum, Martyrologia Proteſtantium,

& ſi

& si qua alia sunt, quæ Patrum, & Sanctorum vitis cognoscendis inserviunt. In fine capitis Catalogus, qui vitas, Martyria, & encomia Sanctorum Græce scripta continet, & volumine VI hujus Biblioth. p. 510 legitur, nunc multo auctior atque emendatior exhibetur. Cap. XXXIII *Theodorum Mopsvestenum* sistit, Antiochiæ parentibus maxime illustribus, & opulentis natum, cujus plurima olim ingenii extitere monimenta, quorum tamen admodum tenues reliquiæ ad ætatem nostram pervenerunt. Fratrem habuit *Polychronium*, asceten Cyrensem, & deinde Apameensem in Syria Episcopum, qui in quosdam sacri codicis libros ἐξηγήσεις conscripsit. Huic Theodoro plus quam centum alii *Theodori*, qui Græce scripserunt, adjunguntur, quorum primus est *Theodorus Abbas*, ex cujus ore Leontius Byzantinus se accepisse testatur, quæ libro de sectis tradiderit, qua occasione Cl. Fabricius satis prolixum contexuit indicem scriptorum, & hæreticorum, quorum apud jam nominatum Leontium fit mentio. Inter ceteros *Theodoros* commemorari merentur *Theodorus Abucara*, *Theodorus Balsamon*, *Theodorus Gaza*, & *Theodorus Meliteniota*, cujus *procemium in Astronomiam Græce & Latine*, & quidem cum Isaaci Bullialdi versione integrum exhibetur; *Theodorus Metochita*, ex cujus opere, quod *capita philosophica, & historica Miscellanea CXX* complectitur, & in quibusdam bibliothecis adhuc latet, tituli capitum Græce & Latine afferuntur; *Theodorus Rhaithuensis*; *Theodorus Studites*, cujus scripta edita pariter, ac nondum edita recensentur, & *index* simul eorum adjicitur, ad quos suas epistolas Theodorus exaravit. Cap. XXXIV nonnulli scriptores seculi V qui prioribus bibliothecæ libris præteriti fuerunt, adducuntur, inter quos agmen ducit *Philo Carpasius*, scriptor haut adeo nobilis, & commentario saltem in Canticum Canticorum, cujus Latinam tantum versionem a Steph. Salutato seu Salviato concinnatam habemus, inprimis cognitus. Paullo clarior nobiliorque *Isidorus Pelusiota* merito perhibetur, monachorum in Ægypti monte Pelusio Abbas, & tempore concilii Ephesini a. C. 431 habiti celebris, cujus ingenii monimenta accurate describuntur, & plures alii Isidori nomine conspicui memorantur. Iis succedit Antiochus Syrus, Ptole-

Ptolemaidis in Palæſtina Epiſcopus, cui eloquentia Chryſoſtomi cognomen peperit, etiamſi præcipuis Johannis Chryſoſtomi inimicis a Palladio annumeratur, qui ſynodo ad Quercum contra Chryſoſtomum congregatæ interfuit, & imperante Arcadio mortuus eſt. Alius ab hoc *Antiochus* eſt monachus Lauræ ſ. Monaſterii S. Sabæ, qui librum de conflagratione S. urbis Hieroſolymæ, & Crucis ſanctæ Chriſti DEI noſtri translatione in Perſidem ſcripſit, & opus lectu digniſſimum, quod πανδέκτης τῆς ἁγίας γραφῆς inſcribitur, poſteris reliquit, in quo multa theologiæ moralis capita egregie tractantur. Ex hujus operis capite CXXX catalogum hæreſium, quas deteſtari & rejicere ſe fatetur Antiochus, heic Græce & Latine adſcriptum vides a Cl. Fabricio, qui & more ſuo alios Antiochos ſcriptis claros adducit. Poſt agit de *Severiano Gabalorum Epiſcopo, Theodoto Ancyrano, Antipatro Boſtrenſi, Candido Iſauro, Simeone Stylite*, qui & *Cionita* dicitur, propterea quod vitam ſolitariam amplexus εἰς ϛύλον ſeu κίονα *in columnam* adſcendit & ab a. C. 429 ad annum usque 460 ſolus in ea vixit: *Johanne Hieroſolymitano, Neſtorio hæretico* ejusque ſcriptis, ubi ſcriptores antiqui juxta & recentiores, qui de Neſtorii hæreſi expoſuerunt, longa ſerie commemorantur, ſcriptores illis ὁμώνυμοι diligenter adducuntur, & index tandem ſcriptorum, & epiſtolarum, qui in actis concilii Epheſini, & Chalcedonenſis, de quibus Volum. VII Bibliothecæ Græc. p. 416 pluribus actum eſt, tum & in codice, ut vocatur, Encyclico, & in ſynodico Caſinenſi occurrunt, copioſius enarrantur. Caput XXXV *Anaſtaſius Sinaita*, qui ab aliis hujus nominis ſollicite diſtinguitur, & Græcis Μωσῆς νέος dictus eſt, ſibi vindicat, qui inprimis propter ὁδηγὸν, quem adverſus Acephalos, Severianos, & Theodoſianos, qui unam tantum in Chriſto naturam admittebant, ſcripſit, laude dignus habetur. Cum Anaſtaſio alius *Anaſtaſ. Antiochiæ Epiſcopus* conjungitur, cujus, quemadmodum & aliorum Anaſtaſiorum, ſcripta ſuo loco adferuntur. C. XXXVI *Severo Sozopolitano* adſignatur, qui ex Cauſidico Berytenſi monachus, & paullo poſt Epiſcopus Antiochenus factus eſt, a quo tamen officio, quod Eutychianis partibus favebat, & ſynodo Chalcedonenſi adverſabatur, dejectus fuit, & quum Aphthar-

Aphthardocetas acerrime impugnaret, in contrariam hæresin prolapsus est, & Severianis sive corrupticolis nomen dedit, *Olympiodorus*, qui post eum collocatur, seculo VII medio vixisse perhibetur, & scriptis, si *scholia in Ecclesiasten* exceperis, haud ita celebris fuit. *Zacharias Scholasticus historiam Ecclesiasticam* ab imperio Marciani usque ad Anastasium scripsit, in qua tamen partium studium, quo favor erga Nestorianos Zachariam abripuit, alii merito damnant. Cap. XXXVII *Johannes Alexandrinus* producitur, qui propter insignem scriptorum copiam, & incredibilem industriam *Philoponi* cognomen tulit, & Grammaticum se esse, ipsemet professus est. In Philosophia Ammonium Hermeam præceptorem habuit, cujus pleraque dogmata Philoponus in suos commentarios transtulisse videtur. Cum a. C. 641 Amrus Saracenorum dux cepisset Alexandriam, Johannes Philoponus eum rogavit, ut libros Philosophicos, qui in Bibliothecis urbis reperirentur, sibi concederet, qui autem injussu Omari Caliphæ id fieri posse negavit. Omarus autem homo barbarus ab Amro interrogatus, respondit: *quod ad libros, quorum mentionem fecisti, si in illis contineatur, quod cum libro Dei*(Alcorano)*conveniat, in libro Dei est, quod sufficiat absque illis; quod si in illis fuerit, quod libro Dei repugnat, neutiquam est illis opus, jube igitur e medio tolli.* Quo responso Amrus contentus, omnes libros per balnea dispergi jussit, quibus calefaciendis per spatium semestre consumti sunt. Is autem Philoponus inprimis contra Proclum disputat, cujus tamen liber, quo mundi æternitatem contra eum destruit, & ad duodeviginti Procli argumenta respondet, initio & fine mutilus est. Cap. XXXVIII agit *de Photio CPlitano Patriarcha*, de quo Baronius, Hanckius, Frid. Spanhemius fil. & Ant. Pagi prolixe disputarunt. Commemorantur heic *Synodi in causa Photii celebratæ*, & de Photii Bibliotheca, quam Hœschelius Aug. Vindel. 1601 primum edidit, differitur, quæ meritis mactatur laudibus, etiamsi ordinis rationem haud immerito Viri docti in ea desiderant, & Photio magnopere vitio vertunt, quod scriptores diversos interdum confuderit, &, ut ex p. 212 & 278 liquido apparet, eadem ejusdem libri proposuerit excerpta paucissimis

cissimis verbis immutatis. Qua re Henricus Valesius permotus Bibliothecam Photii non unius scriptoris, & plurimis in locis interpolatam fuisse contendit, quod tamen cum veritate minus congruere videtur. Scriptores, quos Photius recenset, Cl. Fabricius ad unum omnes adducit, & quum variis eos observationibus illustrat, novam quasi Bibliothecam recludit, vario eruditionis genere conspicuam. *Himmerii Sophistæ oratio ad Julianum Imp. in Panathenais dicta*, nunc primum Græce exhibetur, quemadmodum & *Xenocratis*, Galeno sæpius laudati, *lucubratio de alimentis ex aquatilibus*, quam Gesnerus mutilam olim ediderat, nunc beneficio Paulli Vindingii cum versione Jo. Baptistæ Rasurii integra conspicitur, ut variorum scriptorum indices allatos silentio prætereamus. Cap. XXXIX *Maximi Alexandrini Sophistæ* commentatio *περὶ ἀλύτων ἀντιθέσεων*, *de objectionibus insolubilibus ab oratore declinandis & eludendis*, cum versione Latina Cl. Fabricii reperitur; cui Prolegomena rhetorica incerti scriptoris, quem Troilum Sophistam Langbænius in not. ad Longinum vocat, ordine succedunt: tum *de artium & disciplinarum inventoribus* ex codice. Coisliniano CCCLXXXVIII *ἀποσπασμάτιον* affertur, & *indice scriptorum, qui in Philopono de mundi æternitate commemorantur*, huic capiti imponitur finis. Cap. XL *de Suida*, *Etymologo, aliisque Lexicis Græcis* inscribitur, ubi postquam de Suida ejusque prioribus editionibus dictum est, *Ludolphi Kusteri dissertatio*, quam suæ Cantabrigiensi, quæ anno 1705 prodiit, editioni præposuerat, integra transscribitur, & variis observationibus a Cl. Fabricio illustratur. Per quadriennium & amplius quatuordecim singulis diebus horas expoliendo Suidæ Kusterus consecraverat, qui & eum longe pulchriorem, & quamplurimis locis emendatiorem cum publico communicavit. Est tamen quod doctiores a Kustero factum nollent; nam, ut Lambertus Bos in suis ad Suidam observationibus Franequ. 1715, 8 editis animadvertit, perperam & inconsulto egit Kusterus, quod hinc inde loca quædam in sua editione omisit, quæ in prioribus editionibus legebantur, etiamsi illa ab alio quodam adscripta existimaret. Id quidem Kusterus minus consulto a se factum agnovit, & in peculiari Supplemento sive secundis ad Suidam

curis

curis resarcire hoc damnum pollicitus est, sed mors intervenit coeptis, & destinata evertit. Epitome Suidæ a Thoma Cretensi conscripta in Bibliotheca Dresdensi aliisque invenitur, quæ tamen, ut pleraque ejusmodi Ἐπιτομῶν farrago, nullius pretii habetur. Cetera, quæ de *Suida, Etymologo, scriptoribus, quos Suida commemoravit*, notatu digniora sunt, literarum Græcarum studiosi ex ipsa Bibliotheca Græca Cl. Fabricii omnium optime cognoscere poterunt.

SYNOPSIS UNIVERSÆ MEDICINÆ PRActicæ, sive Doctissimorum Virorum de Morbis eorumque Causis ac Remediis Judicia; Autore JO. ALLEN, Med. Doct.

Londini, ap. R. Knaplock, J. Tonson, G. & J. Innys, 1719, 8 maj. Alph. 1 plag. 5.

MEdicina quidem quoad Theoriam progressus non contemnendos, & incrementa admiranda ultimis annis fecit, Praxis vero, pars ejus longe utilissima, non pari passu processit, siquidem hypotheses novæ quotannis ad nauseam usque obtruduntur, quæ ostentationis multum, utilitatis parum habent. Hinc defectui consulturus Autor Clarissimus, Praxin legitimam & laudabilem undecunque desumtam vel mutuatam omni opera, sed compendiose exhibere, optimorumque scriptorum autoritate stabilire constituit. Morbos enim omnes ex præstantissimis Autoribus ad vivum depingit, præcipuas eorum causas & de eorundem eventu judicia tradit, indicationes curativas exponit, remedia nonnulla, præstantiora saltem, breviter attingit, & concinnas aliquot subdit formulas. Autores, quorum sententias allegat, sunt Sydenhamius, Baglivus, Willisius, Ettmullerus, Boerhave, & Cœlius Aurelianus, ita tamen, ut nec obliviscatur eorum, qui unum alterumque morborum in specie exposuerunt. Et ne plane sit ἀσύμβολος, de proprio penu quædam ex adversariis suis depromsit. De morborum ætiologiis non nisi paucissima profert, cum origines & causæ proximæ eorum plerumque longe abstrusiores sint, quam quas mentis nostræ

acies exhaurire queat, prout in Præfatione ingenue fatetur. Totam Synopsin in XVI Capita seu Fasciculos colligit, quorum ultimum caput remediorum compositionem complectitur, quorum in antecedentibus mentio facta fuit.

GULIELMI TASWELL, S. T. P. PHYSICA Aristotelica modernæ accommodatior, in usum juventutis Academicæ.

Londini, impensis Innysiorum, 1718, 8.
Plag. $10\frac{1}{2}$.

IN Anglicanis Academiis nondum eviluisse Aristotelis ac Philosophiæ Aristotelico-Scholasticæ autoritatem, cum ex hoc libello, quem annis abhinc triginta quinque se composuisse meminit Autor Lib. III cap. 3 p. 78, tum ex Statutis Academiæ Oxoniensis, A. 1705 recusis, & adhuc vigentibus, discimus. Hic enim Tit. VI Sect. 2 §. 9 p. 36 hæc lex exstat: *Aristotelis summa sit autoritas*; & altera: *Aristotelem totamque Peripateticorum doctrinam defendere teneantur, sub pœna, quod, si quis secus fecerit, ejus Responsio minime sibi cedat pro Forma.* Sciant igitur lectores nostri, a Taswello exhiberi Physicam γνησίως Aristotelico-Scholasticam. Hanc in rem unum sufficiat alterumque adduxisse specimen. En ipsum totius Operis exordium Lib. I cap. 1: *Physica est scientia corporis naturalis, quatenus est naturale. Hanc esse bonam definitionem, sic probamus. Ea est bona definitio, quæ habet verum genus & veram differentiam. Sed scientia est verum genus, & corpus naturale, quatenus naturale, est vera differentia Physicæ. Ergo. Probatur ad partes, primo scientiam esse genus Physicæ. Quod habet vera Principia & proprias Affectiones, per ea Principia demonstrabiles, est Scientia. Sed Physica habet vera Principia & proprias Affectiones per ea Principia demonstrabiles. Ergo. Minor ex dicendis patebit. Jam Corpus naturale, quatenus naturale, veram esse Physicæ Differentiam, sic probamus. Differentia disciplinarum omnium sumitur ab Objecto, sive Subjecto adæquato, circa quod versantur. Corpus autem naturale, quatenus naturale, est adæquatum Physicæ objectum. Ergo est vera Phy-*

Physica Differentia. Hactenus Philosophus noster. Iterum is nos doceat Cap. III p. 6 tria esse Principia corporum naturalium, Materiam, Formam, & Privationem: *Privatio,* inquit, *est absentia formæ introducendæ. Vulgo dicitur Materia prima esse nec Quid, nec Quale, nec Quantum, sed pura Potentia. Hoc non ita intelligendum est, quasi materia sit in potentia ad suum esse, sed ad esse hoc tale. Ex se enim habet actum entitativum, licet non formalem.* Sed nolumus pluribus hujus generis apponendis tædium creare lectoribus huic Philosophiæ non adsuetis. Nondum tamen e manu librum deponimus, sed observamus, Lib. II cap. 1 Aristotelis opinionem, quod mundus creatus sit ab æterno, in æternum duraturus, si non omni modo defendendam, excusandam saltem videri Autori nostro. Idem Lib. eodem cap. 2 docet, errare vulgus eruditorum, cum mundum putat sensim ad deteriorem statum declinare atque ad senium devergere, eaque in re rursus Aristotelem suum se ducem sequi profitetur. Præcipuum ejus argumentum est, quod Deus sit anima Mundi intime omnibus corporis immistus, quam sententiam firmat suffragio Judæorum ac Stoicorum. Capitibus duobus, quæ subsequuntur, erudite docet, inde a diluvio nec vitæ spatium nec staturam hominis decrevisse. Cap. V & VI ostendit, Aristotelem suam de æternitate mundi sententiam amplexum esse non contemnendis ductum rationibus: ac ad ultimum concludit, non nisi ex divina revelatione sciri posse, quod mundus non fuerit ab æterno a Deo productus: eamque in rem producit suffragium divi Thomæ. Lib. III Parte I cap. 14 dicit, plumbum non magis transmutari posse in aurum, quam equum in asinum. Lib. III Parte II cap. 16 & 17 nonnullis argumentis pugnat, animam humanam esse ex traduce, hoc est, animam simul cum corpore a parentibus traduci, eamque opinionem judicat non solum esse Aristotelicam, verum etiam Biblicam.

ANTONII A LEEUWENHOEK, REGIÆ, quæ Londini est, Societatis Collegæ, Epistolæ Physiologicæ super compluribus naturæ arcanis.

Delphis, apud Adrianum Beman, 1719. 4.
Alph. 2 plag. 16 Tabb. æn. 27.

IN nova hac epistolarum industrii *Leewenhoekii* sylloge continentur epistolæ 46. Earum *prima* scripta est ad nobilissimum *Heinsium* d. 8 Nov. 1712 & in ea caro balænæ describitur. Fibrillas quaslibet carneas ex aliis minoribus valde exiguis compositas & membranulis vestitas reperit: id quod etiam in quavis carne alia locum habere monet, ac in subsequentibus peculiaribus observationibus illustrat. *Epist. 2* ad eundem *Heinsium* d. 17 Dec. 1712 data partes pisculentas squillæ gibbæ examinat: ubi etiam observationes singulares de sanguine squillarum exhibet. Notatu dignum est, quod in eo ingentem salium copiam deprehenderit, qualia etiam observavit in humore aselli majoris per breve aliquod tempus in vasis vitreis asservato. Figura salium utrobique particularum nitrosarum figuram æmulabatur. Fibrillas aselli majoris etiam membranula circum amiciri observavit. Gemina notavit in apua & squilla, itidemque in scombro & perca. Fibrillas percæ junioris & minoris octuplo minores vidit, quam majoris, unde infert, eas non augeri numero, sed tantum magnitudine, quando animalia & pisces adolescunt. *Epist. 3* ad *Joh. Meermannum*, Consulem Delphensem, membranas describit, quibus globuli farinacei in hordeo, tritico, faseolis, castaneis &c. inclusi jacent, in fasces veluti collecti. Similes observavit etiam in seminibus arborum, globulis oppido exiguis turgentes. Monet in nucleo inprimis avellanæ apparere, quod alias docuit, pleraque plantarum & arborum semina tantum nutriri & incrementum capere ex funiculo. In avellana enim funiculum longitudine comparem esse ipsi nuci ejusque cavitati includi, cum in amygdala, malo Persico, malo Armenio &c. maxima ejus pars occultetur duro cortice. Vocat autem funiculum radiculam plantulæ. *Epist. 4* ad eundem Consulem d. 14 Mart. 1713 data oculi balænæ anatomia exhibetur. *Epist. 5* d. 25 Mart. 1713 data *Adriano ab Assendelft*, Senatori Delphensi, pilos murium, cervorum, alcium, talparum, felis, cuniculi, ursorum &c. depingit. Crines murinos non glabros ac lævis, uti crines alio-

rum

rum animantium, sed prope corpus compluribus nodulis præditos advertit. Addit descriptionem persubtilium partium plumearum, quæ alcium cuti infixæ sunt. *Epist. 6* d. 27 Mart. 1713 ad *Heinsium* data prosequitur fibrillarum carnearum descriptionem, eadem confirmans novis observationibus in aliis animantibus sumtis, quæ supra retulimus. Monet inter alia, non singulas fibrillas carneas peculiari simplicique amiciri membranula; sed membranulas esse veluti reticulum, cujus quovis foramine contineatur fibrilla carnea, ut musculi inter se connectantur. Fibrillas muris crassitudine æquales deprehendit fibrillis ovis, porci, bovis, immo murinæ bovillas fere superasse notat. Pilos mento abrasos sexdecies crassiores esse fibrillis carneis didicit. *Epist. 7* ad Societatem Regiam Londinensem d. 28 Jun. data describit animalculum in theca quadam lenti aquatili hospitans: ubi inprimis notatu dignum occurrit, quod peculiari organo rotario atque denticulato instructum sit, quo pernicissime circumvoluto motus in aqua excitatur, ut, cum loco suo egredi nequeat, alimentum ad ipsum hoc pacto deferatur. Provocat sub initium epistolæ præsentis ad aliam d. 4 Nov. A. 1704 ad Societatem Regiam perscriptam, in qua fabricam istius animalculi admirandam vivis depinxit coloribus, sed ignorato tunc temporis machinæ, quam vocat, rotariæ usu. *Epist. 8* d. 30 Junii A. 1713 ad *Heinsium* data inquirit in modum, quo oculi cancri in acetum agunt. Statuit, acetum acore suo exui, salibus ex oculis & chelis cancrorum per macerationem extractis cum salibus aceti concrescentibus. Etenim in aqua pluviali maceratis chelis, quas carboni candenti impositas calcinaverat, salia concrevere copiosa: quod idem experimentum etiam in oculis cancrorum successit. *Epist. 9* d. 24 Octobr. A. 1713 ad *Antonium Cinck*, Philosophiæ apud Grudios Professorem, data, de Salvia observationes producit microscopicas. Notat, salviæ foliis insidere particulas quasdam capillares denso agmine, quas *Kircherus* perperam pro telis aranearum habuit. Monet, *Kircherum* in Mundo subterraneo multa a veritate aliena memoriæ prodidisse, ut eum credulum temerariumque appellare non vereatur. Refert, vermiculos in superficie casei hospitantes &

a leo

adeo exiguos, ut visus acies effugiant, coire & ova deponere, ex quibus post aliquot dies fœtus excludatur. Disputat contra *Kircherum* generationem æquivocam defendentem. Observat, exiguas muscas, quæ tiliarum, cerasorum, ribesiorum, prunorum, avellanarum folia numeroso agmine pererrant, viventes pullos in lucem edere, refutaturus *Kircherum*, qui asseruerat, nulla animalia volatilia fœtus viventes parere. Addit tandem, capillamenta in salvia geniculis tribus distingui instar straminis. *Epist. 10, 11, 12, 14, 15* d. 22 Jun. 21 Aug. 26 Octobr. 9 Nov. & 20 Nov. A. 1714 ad Societatem Regiam Londinensem & *Epist. 13* d. 4 Nov. ej. anni ad *Adrianum ab Assendelft*, itemque *Epist. 16* d. 36 Martii A. 1715 & *Epist. 17* d. 7 Jul. 1715 datis fibras carnosas ac tendineas novis observationibus illustrare pergit. Observat, fibrillas carneas bovis, gallinæ, muris ac tenuia tendinum stamina in muscis atque balænis crassitudine nihil differre; easdem fibrillas carneas non modo in animantibus quadrupedibus verum etiam in insectis perinde ac tendinum filamenta spiræ vel cochleæ figuram habere, in his tamen ductus spirales magis conspicuos esse quam in istis. Atque ideo statuit, tendines extendi atque contrahi in modum spiræ & hanc assertionem simili a filo cupreo, quod calamo scriptorio circumvolutum, petito illustrat. Eadem repetit epist. 18 d. 28 Sept. A. 1715 ad *Leibnitium* data, ubi etiam observationes nonnullas de animalculis in semine masculino pisciculorum existentibus invenerit. De *Hartsœkero* scribit se accepisse, quod non magno apud eruditos loco habeatur & se a lectione scriptorum ipsius abstinuisse ait, quod illum (propria Autoris verba recitamus) inter scribendum falsitatibus indulgere & arrogantia efferri videret. Statuit etiam, pulsum venæ, non arteriæ tribuendum esse. Epist. 9 d. 18 Nov. 1715 ad eundem *Leibnitium* data, quem perperam Professorem Hanoviensem & Bibliothecæ Brunswicensis Præfectum vocat, observationes singulares circa pyrum exhibet. Detexit in semine pyri vascula & in vasculis valvulas tam prope sibi adjacentes, ut spatium non amplius lato capillo plures contineat, ne succi iterum ferantur retrorsum, sole occidente vel calore imminuto. Structuram pyri his tandem verbis delineat:


Ex


Ex pyri pediculo quasdam exoriri venulas, quæ eo loci conveniunt, ubi formanda est theca seminalis sive valvula pyri: ibi vero ex paucis venulis complures propagari ramulos; qui mox iterum in novos venularum ramulos luxuriant. - - - Denique ex hisce vasculis, item ex succis vesiculas replentibus, ipsam effici magnitudinem pyri. Cuticulam extimam impedire judicat succorum ex venis & vesiculis exhalationem. Neque tendines neq; fibrillas musculorum cavitatibus pervias statuit, quibus alimentum accipiunt, nec ullum dari, præter venam cavam, vasculum sanguineum, quod finiatur. De iisdem argumentis ulterius tractat epist. 20 d. 13 Mart. 1716 ad *Leibnitium* data. Monet inter alia, dubio procul ad consilium quoddam *Leibnitii* respondens, sibi nunquam libuisse quenquam instituere, ne ad aliorum servitutem se adstringat, cum retinendæ libertatis sit percupidus. Epist. 21 ad *H. C. Poot.* d. 10 Maji 1716 data describit semen & folliculos seminales Vincæ Pervincæ, quæ seminis expers esse vulgo creditur. Epist. 22 d. 16 Maji 1716 ad *Gerardum van Loon* data examinat foliola lupuli, quæ cistulam seminalem componunt, atque semen in ea contentum. Foliola ista obsita vidit perexiguis globulis eleganti flavoque colore rutilantibus atque oleum limpidum & flavedine coruscans continentibus. Detexit in oleo salia, quæ amaritudinis causam allegat, ostenditque lupulum esse capsulam seminariam, plurium seminum feracem. Epist. 23 d. 28 Sept. A. 1715 ad *Leibnitium* data denuo de tendinibus agit atque de animalculis in semine masculo. Notat se complures cuniculos & nonnullos catulos absoluto coitu aperuisse & in matricibus quidem animalcula, eaque vivida & vegeta, nunquam tamen in Tubis *Fallopianis* ovula reperisse, quæ ideo fictitia & imaginaria appellat. Immo non veretur asserere, quod nihil sibi insulsius occurrerit hac opinione, quæ ovum in generatione ex ovario delibari & per Tubas *Fallopianas* ad uterum usque devolvi contendit. Epist. 24 d. 22 Maji A. 1716 ad *Cornelium Spiering* data observationes circa squamas cyprini exhibet. Observat, quotannis novam squamam senioribus accrescere, ita ut inde ætas piscis colligatur. Sunt autem squamæ sibi mutuo superstratæ atque superiores indenti-

 dem

dem majores inferioribus. Epiſt. 25 d. 12 Jun. 1716 ad *Cinckium,Narrezium,Regam* & ceteros Collegii Porcenſis Profeſſores data obſervationes quasdam de hordeo recenſet. Dum plantulam perveſtigavit,ipſum etiam ſpicæ rudimentum jam obſervavit. Epiſt. 26 d. 22 Jun. A. 1716 ad *Keckberderum* data de farina diſſerit, quæ tritici, hordei &c. granis includitur. Monet, eam conſtare ex globulis pellucidis : id quod etiam annotatum eſt ab aliis. Primus tamen obſervavit,ſingulos globulos membranula veſtiri, nec figuram eſſe perfecte ſphæricam ſed ſæpius tortuoſam. Perquiſivit deinde ſtercus gallinarum hordeo veſcentium, ut inveſtigaret, quo pacto farinulæ in corporibus animalium reſolvantur, & præter ingentia corticularum hordeacearum fruſta nihil ſingulare reperit,in ſtercore tamen columbarum magnam invenit farinularum copiam permultasque membranulas farinulis ſuis vacantes. Epiſt. 27 d. 17 Sept. 1716 ad *Abrahamum van Bleiswyk* data ſtatum morbi, in quem inciderat, deſcribit. Epiſt. 28 d. 28 Sept. 1716 ad *Bœrhavium* data de palma coccifera & cocco ipſo diſſerit. Epiſt. 29 vero d. 5 Nov. A. 1716 ad eundem data de animalculis in ſemine maris. Non ſine inſigni voluptate advertit, in ſemine arietis animalcula omnia eundem natando curſum tenere, ita ut poſteriora ſequantur priora tanquam duces, quod etiam oves factitare notiſſimum. Epiſt. 30 d. 17 Nov. 1716 ad *Leibnitium* data reſpondet ad ea, quæ Profeſſores quidam Noſtrates Cl. *Pauli* atque *Nabothus* contra ipſius theoriam generationis oppoſuerant,excerpta ex eorum diſſertationibus ſibi a *Leibnitio* communicatis. Epiſt. 31 d. 21 Nov. 1717 ad *Bœrhavium* data deſcribit teſticulum arietis quoad internam ſtructuram & animalcula in ſemine reperta. Notatu dignum eſt diſcrimen, quod inter animalcula adulta & non adulta obſervavit. His ſcilicet corpuſcula erant exiliora & caudæ triplo breviores,quæ nec in mucronem deſinebant, quales in adultis reperit. Epiſt. 32 ad *Abrahamum van Bleiswyk* data d. 2 Mart. 1717 nervos contemplatur, quos ex perexiguis vaſculis conſtare ope microſcopii deprehendit, inexplicabili tenuitate præditis ac in longitudinem excurrent bus. Vaſculi diametrum diametri cavitatis tri-

plam




Fig. 4.
C
D
B
A
Or.
15
10
20
30
Fig. 3.
G
H
I
F
P
E
O
A
N
M
K
L
A
Ing.
M
Jo: Sohn sc.

plam æstimat. Monet autem cavitates illico & minuto citius per exsiccationem ita considere, ut prorsus evanescant. Licet autem hiatus isti sint admodum exigui (aliquot enim centena vascula nervum exilem conficiunt); animalcula tamen viva aquis innatare vidit, quæ per eos libere moveri possent. Usum adipis constituit in nervis inter se disjungendis. Expendit etiam fabricam medullæ spinalis & nervorum ex ea exortum. Epist. 33 d. 6 Mart. 1717 ad Anonymos data de tendinibus tractat, quorum admiranda est structura, quæ sine schemate intelligi nequit. Nec nominantur viri illustres, ad quos d. 6 Mart. 1717 scripta est Epist. 34, cerebri examen instituens, in quo lustrando sæpius antea se oleum & operam omnem perdidisse ingenue fatetur. Denotat ABFG perexiguam cerebri porcini portionem, cujus particula BCDEF admodum prope assedit meningi. Literæ AB. KC. ID. HE. GF. designant vasa sanguinea profundius sese cerebro immergentia, ut visum fugiant. Quæ inter vasa intermedia interjacent, fibrillæ cerebri sunt, quæ per ML disruptæ repræsentantur. Eas ex minutis aliis constare animadvertit & membranulis inter se connecti conjicit. Fibrillas cerebri porcini quadruplo crassiores fibrillis carneis bovis æstimat. Dolorem capitis inde deducit, quod sanguis crassior non ea, qua par est, celeritate impelli possit per numerosissima cerebri vascula. Sanitatem pendere a laudabili sanguinis temperatura existimat: unde cum urinam rubescere animadvertit, Theæ & Coffeæ potioni liberalius indulget. Sanguinis colorem nigricantem non adustæ bili, sed inopiæ seri tribuit. Epist. 35 d. 6 Mart. 1717 ad *Ewaldum van Bleiswyk* data carnem & oculos mordellæ, insecti volucris, una cum oculis muscarum vulgarium, caraborum, cancrorum & squillarum gibbarum describit. Epist. 38 d. 26 Maji ad *Abrahamuum van Bleiswyk* scripta ad nervorum contemplationem redit, quos ex pluribus filamentis minoribus membranula sua circumdatis constare & perexiguis meatibus cavatos esse confirmat. Exponit etiam, quomodo nervi ex medulla spinali emergant, cujus fabricam quadantenus cum fabrica illorum congruere confirmat. Particulam nervuli haud crassiorem tribus pilis menti virilis, saltem ex

Tab. I. Fig. 1.

 mille

TAB. I. Fig. 2. mille vasculis contextam reperit, quæ in spiras sive gyros convo-luta, prout Fig. 2 PONM exhibentur. Epist. 37 p. 360 d. 15 Jun. 1717 ad Regiam Societatem Britannicam data observationes in carnem bovis pinguioris recenset, quibus situs inprimis adipis in carne illustratur. Passim scilicet observavit, adipem membranis fibrillas carneas ambientibus includi. Membranulæ istæ alicubi non crassiores esse ait simplici bombycis filo, quæ adipe turgescentes fibrillas carneas magis a se invicem divellant, atq; hac ratione corpora in majorem crassitudinem extumescere. Nullam fibrillis carneis cum adipe communionem concedit, neque adeo admittit, quod adeps in nutrimentum impendatur. Fig. 3. Exhibetur caruncula præpinguis bovis Fig. 3, ubi HIKL designat tendinem, in cujus membranam fibrillæ carneæ inseruntur. Per PF, OE, ND & M denotantur spatia pinguedine oppleta intra membranulas exiles visui vix perceptibiles. Fibrillarum carnearum & tendinearum crassitudinem delineatione pedis pulicaris adumbrat. Epist. 38 d. 6 Jul. 1717 ad Collegii Porcensis Professores data describit salem nitri ope microscopii examinatum, quem suasu ac rogatu Medici fatigatus tandem sumserat, cum latus dextrum circa costas spurias per aliquot dies doleret atque spirandi difficultate vexaretur, etsi sæpe jam animo constituerat, quando morbum incideret, nihil medicamenti adhibere & vitam ad tot annos protractam sine Medici auxilio finire. Statuit autem, usu salis istius non sanguinem attenuari, sed chylum, qui stomacho & intestinis continetur, sic coagulari atque spissescere, ut materia, quæ in globulos sanguinis mutata fuisset, per alvum dejiciatur. Aquæ igitur sale nitri impraegnatæ, digito acicula læso, sanguinem effluentem admiscuit, nec sine voluptate advertit, globulos, quibus sanguini rubedo conciliatur multo minus, quam unquam viderat, concrescere. Epist. 39 d. 13 Jul. 1717 ad *Kerckhorderum* scripta monet, se a quatuor vel quinque annis observasse, quoties carne agnino vel bubulo pinguiori vesceretur, alvum in fluxum liquidiorem laxatum fuisse, ita ut quinquies vel sexies per diem eandem dejecerit. Cum causam in bilis abundantiam conjiceret, excrementa per microscopium contemplatus multas in iis reperit partes tam ele-

gante

ganter flaventes, ut aurum antecellere viderentur, ipsa excrementorum materia nullo colore spectabili. Paulo post fæces legitimæ consistentiæ ad examen revocans, flaventium particularum perparum in iis deprehendit. Describit etiam fæces, quales fuerint alvo adstricta, in his etiam multas particulas flavescentes detexit, sed mole ac figura ab istis differentes, quas viderat in excrementis fluidis. Scilicet hic magnitudo erat minor, figura obtusior. Sequuntur Epist. 40 d. 19 Aug. 1717 ad *Adrianum Zwalmium* scripta observationes in ova & eorum putamina. In putaminibus multum salis infixi, qui non facile resolvi possit, reperit, exiguis nimirum particulis aceto inditis & membranula inde in eodem enata. Reperit eadem salia in putaminibus crustis & aquæ injectis. Epist. 41 d. 26 Aug. 1717 ad *Boerhavium* data redit ad animalcula in semine ac vasa spermatica, de quibus in aliis epistolis tum præsentis, tum aliarum collectionum jam pluribus egit. Monet inter alia, se etiam animalcula aquatilia tam exigua vidisse, ut unum animalculum millies decies centies millies minus esset grano milii vel semine sinapi. Epist. 42 d. 10 Sept. 1717 ad *Fridericum Adrianum* Baronem de *Rheden* data de asellis minoribus & halecibus disserit. Epist. 43 d. 17 Sept. 1717 ad Societatem Regiam Britannicam data de exhalationibus pinguibus corporis humani tractat. Docet, cutem vasculis excretoriis ubique pertusam esse, unde humor aquosus & pinguedo stata lege exspirant; vascula vero insuper squammula quadam contegi. Ut autem halituum pinguium quantitatem æstimare liceret, faciei linteo probe detersæ applicavit vitrum microscopio deinceps admovendum. Exiguam vasculorum portionem exhibet Fig. 4 ABCD, ubi vasculorum meatus, prout conspectui se offerunt, denotantur per lineolas, neglectis tamen cutis inæqualitatibus. Vidit etiam particulam cutis haud majorem, quam ut vulgari arenula contegi posset, numerosissimis pertusam esse poris, tanquam chartam tenuissima acicula perforatam. Cum itaque tanta sit vasculorum cutem perforantium multitudo, ut in spatio cutis, quod decimæ pollicis parti longitudine respondeat, facile 120 contineantur; pro certo habet, animalcula, veluti pediculos, pulices, culices, non novis foramini-

TAB. I. Fig. 4.

raminibus pertundere cutem, quibus alimentum exſugant; ſed aculeos tantum ſuos inſinuare vaſculis cutis. Epiſt. 44 d. 8 Octobr. 1717 ad eandem Societatem Regiam data radicem *Pareiram Bravam* ope microſcopii examinavit. Salia ibi detecta exhibet Fig. 5 HIKLM. Epiſt. 45 d. 22 Octobr. 1717 ad eandem Societatem data cerebrum aſelli majoris deſcribit una cum nervo aſelli minoris. Quæ hic profert, non abhorrent ab iis, quæ jam ſupra de ſtructura cerebri atque nervorum annotata ſunt. Tandem Epiſt. 46 d. 20 Nov. 1717 ad eandem Societatem data tendinum examen denuo inſtituens, docet, ſingulas ex quibus componuntur, fibrillas eſſe ſingula vaſcula intus cava. Nullos autem in tendinibus reperit nervos, neque unquam aliquos inter fibrillas carneas vidit, quos ſaltem extrinſecus tendinibus adhæreſcere obſervavit, tunicæ affixos. Sub finem hujus epiſtolæ gratias agit Societati Regiæ, quod ipſum A. 1679 Collegam cooptare dignata fuerit: cum enim manus præ ſenio torpeſcant nec tremoris ſint expertes (etenim A. 1717, quo hæc ſcribebat, annum octogeſimum quintum vivendo jam attigerat) hanc poſtremam ſuſpicatur obſervationem, quam cum Societate Regia communicare liceret. Optandum ſane foret, ut alter *Leeuwenhœkius* in orbe literato ſurgeret, qui Viri induſtrii ac oculatiſſimi labores in contemplandis Naturæ minimis eodem cum ſucceſſu continuaret.

TAB. I. Fig. 5.

TRANSITUS MERCURII PER SOLEM AD anni proximi 1720 diem 8 Maji ex variis recentioribus Tabulis ſupputatus &c. Autore CHRISTFRIDO KIRCHIO, *Soc. Reg. Sc. Berol. Obſervatore.*

Berolini, apud J. C. Papenium, 1719, 4.
Plag. 8 fig. æn. 2.

CUm ſemper, ut *Clariſſ. Autor* capitum, in quæ tractatum hunc diſpeſcere placuit, primo obſervat, Aſtronomis inſignioribus inde ab inventione Tubi optici in more poſitum fuerit, vel ſeparatim edito ſcripto vel in Ephemeridibus publicatis monere

monere Aſtrophilos de inſtanti rariſſimo atque curioſiſſimo phænomeno conjunctionis & tranſitus Veneris atque Mercurii per Solem, idque factum ſit primo omnium a *Keplero* anno 1631, poſtea a *Schakerlao* 1651, *Hekero* 1674, Patre tandem Autoris *G. Kirchio*, *Junio* Prof. Lipſienſi & *Hoffmanno*, a quibusdam etiam diverſi juxta varias tabulas Aſtronomicas harum conjunctionum calculi publicati extent, horum exemplum præcipue vero Ill. Halleji ſibi incitamento fuiſſe prædicat, ut accuratius in proxime inſtantis conjunctionis Mercurii cum Sole tranſitusque illius per hunc 8 die Maji anni præſentis celebrandi momenta atque circumſtantias inquireret, fuſiorique tractatione hoc phænomenon illuſtraret.

Quod ipſum acturus, cap. 2 de variis tabulis, ex quibus calculum inſtituit, *Rudolphinis*, *Mariæ Cunitiæ*, *Morini*, *Hiræi*, *Streetii*, *Vincentii Wingii* & *Joh. Wingii* exponit, binos ſimul oſtendens modos inveſtigandi latitudinem planetarum a præceptis *Kepleri* in Tabb. Rudolphinis propoſitis diverſos, ipſaque momenta calculi *conjunctionis* ☿ & ☉ ex variis hiſce tabulis exhibens.

Cap. 3 de quantitate *Diametri Solaris*, quæ in hoc negotio nota imprimis eſſe debet, tractans, modum exponit a ſe die 8 Maji anni præteriti 1719, quo Sol eandem ab Apogæo diſtantiam obtinuit, qualem tempore phænomeni expectandi habiturus eſt, in opus deductum; cujus ope intra unius horæ quadrantem tranſitum Solis per meridianum vel vicies obſervare poterat. Exque eo ſe deduxiſſe ait moram tranſitus ☉ per meridianum 2 minutorum temporariorum, atque inſuper 12″ 36‴ quibus reſpondent in partibus circuli 33′ 9″. Porro de *diametro Mercurii* agens notat, veteres ex æſtimatione lubrica falſam ejus prodidiſſe quantitatem. Primum vero *Gaſſendum* ex obſervatione ipſius Mercurii in Sole deduxiſſe eam 20″ non majorem, ſubſequentes Aſtronomos usque minorem eam deprehendiſſe, pleroſque interque eos *Hallejum* & *Warzelbau* eam 11″ prodidiſſe. Ipſi vero collatis variorum obſervationibus placet eadem 12″ 43½‴. Oſtenditque ſimul, quomodo ex occultationis alicujus planetæ a Luna factæ obſervatione accurata diametri eorum inve-

inveniri possint. Eodem quoque capite de *parallaxibus Solis* & *Mercurii* tractat, notatque hic, ut & infra cap. 6, parallaxin ☿ & ☉ esse fere insensibilem, adeoque a se nulla attentione dignam habitam. Caput IV destinatur examini motus horarii horum corporum & *anguli inclinationis orbitæ Mercurii* ad eclipticam, exhibetque simul modum Autoris inveniendæ quantitatis anguli hujus e terra visæ.

Capite demum V de *apparitione* Mercurii in Solis disco Autor agit, rationemque totius calculi a se instituti exponit, tribus tabulis momenta ejus omnia in compendio exhibens. Quarum postremam tempora meridiano Berolinensi convenientia habentem, ope vero subjuncti Catalogi locorum & differentiarum meridianorum facile ad urbium plurium tempora accommodandam hic subjungere visum est. Ubi notandum *p.* notare tempus pomeridianum die 7 Maji & *a.* antemerid. 8 Maji.

TABELLA APPARITIONIS MERCURII IN ☉ secundum diversas Tabulas, ad Meridianum Berolinensem reducta momenta exhibens.

Autores Tabularum	Ingressus Merc. T. app. H ′ ″	T.dist.min. s. Medium H ′ ″	Egressus ☿ T. app. H ′ ″	Mora Ce. ☿ in Sole H ′ ″	Dist.minima. Dig. ′	Duratio visa H ′
Keplerus	1. 34. 41. p.	4. 6. 15. p.	6. 37. 49. p.	5. 3. 8.	4. 33.	tota
Cunitia	1. 27. 55. p.	3. 52. 15. p.	6. 16. 35. p.	4. 48. 40	4. 34.	tota
Morinus	1. 30. 20. p.	3. 59. 11. p.	6. 28. 2. p.	4. 57. 42.	4. 32.	tota
De la Hire	0. 27. 6. a.	2. 46. 15. a.	5. 5. 24. a.	4. 38. 18.	4. 53.	0. 40.
Streetius	Merc. extra	9. 45. 38. a.	Solem	transit.	6. 41.	- -
Vinc. Wing.	0. 28. 15. a.	3. 22. 47. a.	6. 17. 19. a.	5. 49. 4.	4. 13.	1. 52.
Joh. Wing.	0. 51. 20. a.	3. 47. 38. a.	6. 43. 48. a.	5. 52. 20.	4. 8.	2. 19.
Hallejus	7. 45. 30. a.	8. 37. 30. a.	9. 29. 30. a.	1. 44. 0	5. 46.	tota
Manfredus	3. 57. 30. a.	5. 42. 30. a.	7. 27. 30. a.	3. 30. 0	5. 29.	3. 2.
Mezzavach	Mercu. extra	1. 18. - p.	Solem	transit.	- -	- -

omnia

omnia tandem figura, quæ præjectionem hujus transitus continet, illustrantur, quam & hic exprimendam duximus. TAB. I. Fig. 6.

Appendicis loco adjunxit Autor notitiam de conjunctionibus notabilioribus *Lunæ* cum *Venere*, *Palilicio* & *Regulo Leonis* hoc anno 1720 celebrandis. Conjunctiones scilicet ipsas ex Ephemeridibus *Gauppianis* secundum Tabb. *Hiræanas* computatis determinavit, & ipsorum phænomenorum projectiones peculiaribus schematibus expressit, inter quæ maxime eminent occultationes *Palilicii* 20 Jun. *Veneris* 5 Martii, *Reguli* 21 Mart. *Palilicii* iterum 11 April. *Reguli* iterum 11 Jun. *Veneris* iterum 31 Decembr. celebrandæ.

ASTRONOMICAL PRINCIPLES OF RELIgion, natural and reveal'd.

hoc est,

PRINCIPIA ASTRONOMICA RELIGIOnis naturalis & revelatæ in partes novem distributa; Autore WILHELMO WHISTONO, A. M. & antea Mathematum in Academia Cantabrigiensi Professore.

Londini, apud Joh. Senex & Wilhelmum Taylor, 1717, 8. Alph. 1.

SCopum Cl. Autoris titulus libri prodit, nempe argumentis ex Astronomia petitis Principia religionis naturalis ac revelatæ stabilire. *Parte* itaque *prima* lemmata præmittit de nonnullis ad materiam & motum spectantibus, quæ in Philosophia sua Mathematica demonstrata esse monet. Talia sunt e. gr. quod omnis motus naturaliter sit rectilineus, quod corpora in orbitis curvilineis lata a centro sui motus recedere conentur, quod reactio sit contraria & æqualis actioni, quod projectilia cum directione obliqua vel horizontali describant parabolam, quod quantitas materiæ sit ponderi proportionalis &c. *Part. 2* systema mundi Copernicanum & corpora mundi totalia ex observationibus Astronomorum recentioribus describit, cujus rei veri-

tatem *parte tertia* ſtabilire ſatagit. Sed cum ea ex Aſtronomorum libris aliisque jam dudum conſcriptis ſyſtematibus ſatis ſuperque nota ſint, plura addere ſupervacaneum ducimus. *Part.* 4 obſervationes quasdam ex ſyſtemate præcedente deductas ſe proponere ait. Huc refert e. gr. quod materia ſit pure paſſiva, anima immaterialis; quod, vi gravitatis ſublata, ſyſtema mundi integrum diſſolvi debeat; quod nulla ſit ſubtilis materia; quod detur vacuum; quod gravitas non ſit per principia mechanica explicabilis, & quæ ſunt hujus farinæ alia. Accedit *part.* 5 ad probabiles, quas ipſemet vocat, conjecturas de natura & uſu omnium partium ſyſtematis mundani. Scilicet Solem & fixas eſſe luminis fontes, ſine quibus dari nequeat mundus viſibilis; planetas tum primarios, tum ſecundarios una cum Tellure noſtra eſſe habitacula animantium; aerem circa planetas expanſum vero domicilium rerum non prorſus incorporearum, attamen inviſibilium, angelorum puta bonorum & malorum; cometas cauſari in planetis diluvia & conflagrationes; planetas, Solem & cometas intus eſſe cavos & ibi præbere habitacula nonnullis creaturis, qualem in Terra cavitatem etiam ex ſacris probare nititur, Gen. XXXVII, 35, Num. XVI, 30, 33, Ezech. XXVI, 20. XXXI, 16, Rom. X, 7, Eph. IV, 9, 10. *Parte 6* ex jactis in anterioribus fundamentis principia religionis naturalis derivare nititur. Primo hic loco probare contendit, animas brutorum eſſe immateriales, quia ſcilicet, quod ſentit & movet, materiale non eſt. Concludit inde a minori ad majus, nempe quod ideo animæ humanæ multo magis immateriales eſſe debeant. Ait etiam, Philoſophiam Mathematicam & Experimentalem nos obligare, ut ſupponamus, animam a morte corporis ſupereſſe & actionum pariter ac gaudii & miſeriæ eſſe capacem; ſed quibus rationibus id ſuadeat, diſtinctius non explicat: id quod in re tanti momenti utique fieri debebat. Ab anima ad Deum digreditur, cujus exiſtentiam patere ait ex phænomenis naturæ maxime quotidianis ac communibus, veluti uniuscujusque plantæ vegetatione & tempeſtatum ſucceſſione; quemadmodum ex horologii præſentia artificis, qui id paravit, exiſtentiam concludimus. Hunc arguendi modum qui non admittat, illum & ratione

tione, & honeſtate carere affirmat: quod mirum videri poterat in Viro Matheſeos non imperito. Putat etiam ex ſyſtemate mundi patere, quod mundus non ſit ab omni æternitate, ſed a Deo creatus, nec ſemper duraturus, mundum cum horologio comparans, quod perpetuam durationem reſpuit. Inde ad Dei æternitatem & providentiam digreditur, divinamque in agendo libertatem, omniſcientiam, ſapientiam, omnipotentiam, omnipræſentiam, immaterialitatem, benignitatem, immutabilitatem, ſpiritualitatem, unitatem & dominium. Sed nihil de his attributis habet, quod non ſit pervulgatum, utiturque ad ea probanda ſubinde argumentis parum firmis. E. gr. unum eſſe Deum concludit, quia unum univerſum gubernatur una lege gravitatis & iisdem legibus motus. *Parte* 7 principia religionis revelatæ principiis & conjecturis præmiſſis confirmare allaborat, ſcilicet quod Scriptura ſacra tribuat Deo eadem attributa, de quibus antea diſſeruit ex principiis rationis; quod mundus ſit creatus ex rudi & indigeſta mole, quæ chaos appellatur; quod chronologia ſacra de duratione mundi ſit conformis non modo antiquis profanis ſcriptoribus, verum etiam optimis methodis, quas ad eorundem ætatem indagandam Philoſophia ſuppeditat; quod relationes ſacræ de mutatione ſtatus paradiſiaci poſt lapſum hominis ſint ſtatui naturæ convenientes, nec ab eodem diſſentiat diluvium univerſale; quod, quæ de angelis bonis & malis traduntur, ad amuſſim reſpondeant vero ſyſtemati & phænomenis naturæ; quod iisdem conſentiat futura mundi conflagratio, mortuorum reſurrectio, omnium rerum conſummatio, ſtatus animarum intermedius ante reſurrectionem, locus & ſtatus beatitudinis, itemque infernus. In his utcunque probandis utitur ſubinde hypotheſibus ſuis, veluti quod chaos ſit atmoſphæra cometæ, motu vertiginis carens, donec in planetam abierit, quam hypotheſin in nova Theoria Telluris expoſuit; ſubinde etiam argumentis nihil ad rem facientibus, veluti cum angelorum bonorum & malorum in aere exiſtentiam infert ex aurora boreali, quam deſcripſimus in *Actis* A. 1716 p. 357, & reſurrectionem mortuorum ex bombycum metamorphoſi. *Parte* 8 teſtimonia tum ex ſacris, tum ex profanis

fanis Autoribus adducit, quibus confirmare nititur fuas ex phænomenis naturæ illationes eſſe vocem naturæ ac rationis. Teſtimonia profana ex *Cudworthi* Syſtemate intellectuali univerſi tranſcripſit. *Parte 9* ad ſcepticos & incredulos præſentis ſeculi ſe convertit & eos hortatur, ut animum advertant ad ea, quæ ab ipſo ad ſtabiliendam Religionem cum naturalem, tum revelatam in medium prolata ſunt, & quorum nunc ſummam breviter repetit.

Præmittuntur operi primum diſcurſus de cauſa diluvii; deinde præfatio de indole mentis humanæ ad veritatem Theologicam detegendam neceſſaria & de gradu evidentiæ, quem in materiis Theologicis expectare licet. Notum eſt ex ipſius nova Theoria Telluris, de qua diximus in Actis A. 1697 p. 535, quod cauſam diluvii conjiciat in Cometam, qui prope Terram tunc hæſit. Ex theoria itaque Cometarum Newtoniana, quam vocant Angli, ſed quam, juxta legem, a *Newtono* orbi literario latam, quod inventori ſecundo nullum jus in inventum competat, *Dœrffelianam* rectius dixeris, cum eandem a ſe inventam prior A. 1681 idiomate Germanico publicaverit *M. Georgius Samuel Dœrffel*, quando forte *Newtonus* vix de eadem cogitare cœperat, ut ex ipſius Principiis A. 1687 demum editis haud obſcure colligitur, atque ex lege calculandi eidem ab *Hallejo* (vid. Acta A. 1717 p. 218) ſuperſtructa oſtendit, tempore diluvii Cometam apparuiſſe Telluri vicinum. In præfatione non profert diverſa ab iis, quæ de hoc argumento communiter proferunt alii.

CONRINGIANA EPISTOLICA, SIVE ANImadverſiones variæ eruditionis ex B. HERMANNI CONRINGII Epiſtolis nondum editis libatæ, cura CHRISTOPHORI HENRICI RITMEIERI, D. & P.P.

Lipſiæ & Wolffenbyti, ſumtibus Godofr. Freytagii, 1719, 8. Alph. 1 plag. 6.

Cum

CUm M. R. Editor promulsidem velut Conringianorum ederet A. 1708, in 12, satis in Actis ejusdem Anni pag. 549 de instituto diximus, productis etiam e libello, licet exiguo, nonnullis speciminibus: nunc, cum reliquas Epistolas ac schedas Conringianas, quas vel ipse tenuit, vel ab amicis habuit communicatas, pariter perlustraverit librumque quadruplo auctiorem nobis dederit, e tot gravibus Conringii sententiis paulo plura hac specimina, quæ in priori editione frustra quæras, transscribi operæ pretium existimamus. Ita queritur, quod etsi omnes libelli sui avidissime passim terrarum excepti, indubie etiam oblati sint & Regi (Sueciæ) & Biernclavio cum literis, imo etiam laudati plurimum ab Eduardo Philipsonio, tantum absit tamen, ut leve præmium expresserint, ut hactenus nemo sit vel Epistola se dignatus. Cartesiana Physica nil quidquam omnes inter alias Physicas vel ineptius vel stolidius esse censet, quæ mere fictis & imaginariis nullo usu acceptis principiis nitatur, & demonstrationem nullam omnino adhibeat. Subjungitur Epitaphium Cartesii: *Cineribus sacrum RENATO DESCARTES, Mathematico Clariss. veteris doctrinæ omnis, quamvis sibi ignotæ, Hosti acerrimo, Physices novæ & nunquam (heu) adolescendæ Magistro infelici, quem animæ suæ male metuentem, & corpori annorum centurias pollicentem, mors indignabunda subito rapuit: in hoc uno tamen benigna, quod novæ illum Physicæ supervivere non sit passa. Novitatum quarumvis Admiratores collatitio ære flebile hoc monumentum F. F. F. Herman Conringius lusi Holmiæ Sueon. 1650 mens. Aug.* De Pallavicini Historia Concilii Trident. ita arbitratur, diligenter quidem eum excutere in Petro Suave omnia, quæ vel speciem falsitatis habeant, & deprehendisse illum errores plus quam 300, plerosque autem commissos in rebus minutis & levis momenti, reliqua omnia & quotquot sunt ponderis majoris, ne summo quidem digito tacta esse. Testimonia illi opponi perquam suspectæ fidei, plura etiam, quæ Paulum latuerant, a Pallavicino Protestantium commodo prodita fuisse, sed & ipsum addictum nimis Romanæ Curiæ animum prodere. Concludit, Protestantes plurimum ei debere, quod in media Italia imo ipsa Roma legatur jam historia sacrorum Protestantium, & uberior longe

p. 146 sq.

156.

157.

254.

 solito

p. 261. solito & veritati propior. Prosapiam suam ab Austriacis Baronibus *von Künring*, qui nobilitatem a Rudolpho Habspurgico, ob captum a quodam ejus nominis milite Ottocarum, indepti

266. sint, repetendam non dissimulat. Bussierium, a furoribus Jesuiticis alienum & Thuano fere similem, judicio politico bonum & stylo perspicuo eximium pronuntiat: & inter editiones Thuani Francofurtensem Anni 1625 præ ceteris commendat. De

270. vetustate Codicum MSptorum consultus, respondet, Latinos Codices chartaceos nullos quadringentos circiter annos excedere, quandoquidem chartæ linteæ usus serius in Europa cœperit, & forte cum literatura Arabica, cujus populi videatur charta illa inventum esse. Antiquissimos, sed & rarissimos esse, qui grandiori, *capitalem* vocant, charactere, proximæ vetustatis, qui latinis literis, ad nostrum fere hunc morem formatis, sint exarati. Talem vero characterem elegantiorem desiisse jam seculo VI,

282 seq. ut ex numorum inscriptionibus pateat. De numis Hebraicis hæc affert παράδοξα, quæ non vanis argumentis saltem perquam verisimilia facere possit: 1 nullum numum Hebraicum olim Sicli nomine dictum, qui non fuerit argenteus; 2 nullum numum, qui imaginem hominis refert, ut Salomonis, Mosis, Salvatoris, esse genuinum; 3 nullum numum, characteribus Hebraicis ornatum, esse bonæ notæ aut multum vetustum; 4 non posse ullo certo indicio ostendi, numos, qui literas habent inscriptas Samaritanas, captivitate Babylonica esse antiquiores; 5 numos illos omnes esse cusos Hasmonæorum & Herodum temporibus, & quidem ab ipsis Judæis, postquam cudendi numi potestatem a Demetrio Nicanore fuerint nacti; Samaritanos enim characteres fuisse in usu vulgari, Hebraicos autem solis sacris codicibus describendis quasi dedicatos; 6 denique unum duntaxat fuisse Sicli genus, non vero alium Siclum sacrum, alium

315. profanum. Thomam Campanellam, hominem portentosi ingenii, librum de Monarchia Hispanica in carcere, quo per 25 annos detentus fuit, memoriter dictasse refert, rogatum a nobili quodam Austriaco, qui ipsi spem fecerit, se daturum operam, ut intercessione Cæsaris inde liberaretur: Italice scriptum fuisse librum & inter arcanos thesauros habitum, deinde Germanice & demum e lingua Germanica Latine versum a Johanne Besol-

Besoldo. Guelfferbytum ad cohibendas excursiones Asseburgiorum exstructum fuisse, testatur, qui cum lupum haberent pro insigni, occasionem nomini Wolfverbüt dederint. Siculos olim Philosophiæ, arti rhetoricæ & carminibus Bucolicis deditos, hodie ab artium peritia parum commendari, nec quenquam in Messanensi Siculorum Academia nomen sibi comparasse arbitratur: sed mitius forte censuisset, si Cl. Mongitoris Bibliothecam Siculam, cujus prima pars Panormi 1707, altera 1714 in fol. prodiit, inspicere licuisset. Literas humaniores plane frigere in Hispania observat, & quanquam inter Theologos Melchior Canus, cujus *Locos communes* opus insigne vocat, Ciceroniana eloquentia claruerit, Philippum IV tamen Jesuitarum instinctu Academiam in ipsa urbe Regia Madritensi condentem, in universa Hispania, & ne inter Jesuitas quidem, ullum humanioribus literis imbutum reperire potuisse, ut adeo a Gallis fuerint accersendi. Laurentium Banck J. U. D. Suecum, qui *Taxam Cancellariæ Papalis* edidit, miri commatis hominem, magiæ suspicione laborare testatur. De Chronico Carionis & Melanchthonis ita censet: *Carion fuit Mathematicus Brandenburgensis & scripsit breve Chronicon, quod submisit Philippo Melanchthoni, qui plane aliud conscripsit. Habemus & aliud Chronicon, quod est Carionis. Primus, secundus & tertius liber est Phil. Melanchthonis, reliqui libri a Peucero, Philippi Genero, sunt conscripti. Sub initium Libri V descriptionem totius Imperii instituit Peucerus: quæ est descriptio non contemnenda. Quæ autem ille habet de rebus Imperii, illa debentur Georgio Sigismundo Seldio, Vice-Cancellario Imperii tempore Caroli V & Ferdinandi I.* Accessere, præter epistolas duas ad JustumGesenium de *Hæresi & Hæreticorum pœnis*, priori quoque editioni subjunctas, tertia ad Gerhardum Titium *de pacis & concordiæ Ecclesiasticæ desiderio*, & quarta ad Rabanum a Canstein *de immortalitate animæ*, de quibus plura dicere supersedemus.

p. 329. 336. 339. 340. 349. 359. 352.

Das Leben der Gelehrten ꝛc.

i. e.

VITÆ ERUDITORUM AB INITIO ANNI MDCCXIX in Germania denatorum.

Pars I, II, III, IV.

Qued-

Quedliuburgi, ap. Theodorum Ieremiam Schwan, 1719, 8.
Alph 1 plag. 6.

CL. Autor hujus Biographiæ, *Christianus Polycarpus Leporinus*, Med. Doct. Practicus Quedlinburg. studii literarii voluptate captus, eruditorum singulis annis demortuorum Vitas recensere constituit, qua re ut laudem meretur eximiam, ita neminem facile futurum speramus, qui institutum hoc provehere neglexerit. Viri anno superiori defuncti nunc Partibus IV celebrantur, quas plures aliæ haud dubie sequentur. Memorantur hic: D. Jo. Bohnius D. & Med. Prof. Lipf. Albertus Meineke, Conf. Eccl. & Past. Quedlinb. Jac. Henr. Pfannenschmid, Med. D. & Consul Quedlinb. Joh. Lud. von Mitthoffen, J. U. D. & Pastor Sedinensis, D. Quirinus Hartman Schacher, JCtus & Consul Lipf. Georg. Christoph. Petri von Harttenfels, Med. D. & Prof. Erffurtensis, Ad. Casp. Bauer, Inspect. Ministerii Arenstein. & Past. Syldav. & Harckerod. Joh. Schlemmius, Hagio-synedrii Vinar. & Isenac. Consil. & Diœces. Dornburg. & Burgel. Inspector Jenensis, Phil. Lud. von Wendhausen, Cancellar. Brunsuic. Rud. Gul. Crausius, Med. D. & Prof. Jen. M. Ge. Wehling, Rect. Scholæ Steninensis, Jo. Christian Buttnerus, Superint. Leucopetrensis, Jo. Gœddeus, Prof. Juris Marpurg. Jo. Lud. Wurffel, Theol. Prof. & Pastor Gryphiswald. Frid. Wolpmann, J. U. D. & Adv. ordinar. Brem. M. Jo. Christoph. Zerbst, Superint. Gen. Isenac. Andr. Philib. Hoffmayer, Eccl. Ref. Cœthensis Diac. Justus Otto Quentin, Med. D. & Pract. Gœtting, Christoph. Wend, Pastor Lubec. Christoph. Henr. Rittmeyer, Theol. D. & Prof. Helmstad. Christoph. Koch, Past. Primar. Magdeb. Jo. Justinus Hœrnick, Archid. Servestanus, M. Jo. Frid. Zihn, Archid. Henneb. & Leonh. Christoph. Sturm, Consil. Camer. & Director Architect. Megapol. cujus vitæ integram Partem IV impendit. Insperguntur subinde & alia lectu jucunda. Nunc enim Medicos excellentes, qui ætate florente ante quadragesimum annum diem obierunt, nunc Theologos morte repentina oppressos, nunc Rectores Gymnasiorum, qui officiis suis diu præfuerunt, nunc Medicos Theologos commemorat; nunc an Theologi Medicinam exercentes pseudo-medici dicendi sint, disquirit, & id generis alia.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Martii, Anno MDCCXX.

HISTORIA LEOPOLDI MAGNI CÆSARIS Augusti; Autore, FRANCISCO WAGNER, Soc. JEsu Sacerdote.

Pars I.

Augustæ Vindel. sumt. Ge. Schluter & Mart. Happach, 1719, fol. Alph. 8 Tabb. æn. 2.

MErebantur utique res gestæ Magni LEOPOLDI, quæ non leviter ac proletarie, quod hactenus a nonnullis factum est, sed accurato studio, expensis diligenter monumentis & subductis rite rationibus *omnibus*, posteritati traderentur. Nec impar negotio Historiæ hujus Autor Reverendus videri poterit iis, qui Historiam hanc cum cura perlustrabunt, quandoquidem & autores ubiq; secutus est fide dignos, *Puffendorfium* maxime, a quo raro nec sine gravi causa discedit, & schedas quoque hactenus ineditas *Christophori Mülleri* e Soc. Jesu, quem præceptorem Leopoldus habuit, aliorumque sedulo excussit, meliora etiam in Parte II pollicitus, quo plura nactus fuerit monumenta a Viris maximis suppeditata. De censura quidem non dissimulat, eam in sextum fere annum productam nec indulgentem valde fuisse, quandoquidem ea etiam rescissa mutataq; fuisse innuit, in quibus sibi quam maxime placuerit. Certe præter domesticam more Ordinis receptam censuram, non modo a Senatu Academico duos viros clarissimos eosdemque Cæsaris Consiliarios, sed & totidim e sanctiori Cæsaris Consilio Reip. Administros spectatissimos opus integrum

accurate sub examen vocasse, e Præfatione intelligimus. In prima hac Parte, quæ res Leopoldi ab ejus nativitate ad Anni 1686 finem complectitur, pulcro omnia ordine disposuit; causas imprimis bellorum, dissidiorum, tumultuum, prudenter evolvit; Aulæ Cæsareæ pariter ac Principum Germaniæ consilia ac studia diversa detexit; characteres hominum illustrium argute expressit; conciones raras, sed ingeniosas, inspersit; denique cuncta apte ac eleganter edisseruit, in descriptione imprimis preliorum & obsidionum Latinæ dictionis ubertate magnopere excellens.

p. 4. 5. Ut carptim hinc aliqua enotemus, inter fausta de Leopoldo infante præsagia referendum est, quod Legatus Turcicus, ad Cæsaream prolem visendam admissus, Ferdinando & Mariana leviter salutatis, hæserit in Leopoldi obtutu firmus ac defixus, rogatusque subitæ consternationis causam, reposuerit: esse in infantis oculis ac fronte nescio quid, quod verbis exponere non posset, sed eum sibi videri, qui olim Musulmannorum rebus atrocia damna daturus sit.

107. In Comitiis Posoniensibus, quibus ipse adfuit Leopoldus, non Protestantes modo, sed & Catholici, cum multa jam concessisset Cæsar, postulare ausi sunt, ut Regiis literis testaretur, præter jus fasque abs se actum, quod citra Comitiorum autoritatem, exercitum superioribus annis in Ungariam immiserit; utque jurejurando confirmaret, nihil ejusmodi deinceps tentandum.

150. Pugnæ & victoriæ A. 1664 a Turcis ad Levam deportatæ levis admodum & fortuita memoratur occasio. Nimirum una ante auroram hora a flante leni vento ac temperato, indeque, ut solet, commotis trepidantibusque arborum frondibus, susurrus exstitit, qui venientium ex insidiis Turcarum suspicionem excubitoribus offerebat: levis quoque pluvia incidens faciebat, ut equestrium turmarum strepitu sylvas commoveri crederent. Inde datis signis brevi tota castra tumultu completa, moxque exercitus Granam traductus, ne transitum prohiberet hostis, atque ita ad manus ventum est, successu exoptatissimo.

163. In altera ejusdem anni ad Arrabonem victoria egregia virtutis documenta Montecuculus & Carolus Lotharingus dedere, quorum ille cum a primorum quopiam, superantibus sub initium Turcis, ut receptui caneret, admonitus esset, castigato per placidum

risum

risum hominis pavore, *Ecqui*, ajebat, *tu rem perditam asseris, cum sua gladium vagina nondum nudarim*, atque hoc dicto strenue aciem instaurabat; hic vero, cum Tassius, ut poneret virtuti modum & Ducem se non militem meminisset, audacius inter primos pugnanti autor esset, torva fronte respondebat; *in frusta se anti dissecandum, quam ut occupata statione vel latum unguem decederet.* Quæ de Ratiboriensi & Oppaviensi Ducatu habet Autor, lubet ejusdem verbis transscribere. *Ferdinandus III*, inquit, *cum Uladislao, Casimiri* (Pol. Reg.) *Parenti pro undecies centenis florenorum millibus pignori dederat. Is, quia per leges, Regi extra Regnum fundum possidere non licet, Carolo Ferdinando, fratri suo concessit. Hoc sublato, ad Casimirum devoluta hæreditas. Rex Reginæ cessit, ista in Enguiennium, quem Regem destinabat, transferre constituit. Et jam Grammovillius beneficiaria illa bona a Cæsare pro Enguiennio petere ausus fuerat. Imprudenti postulato offensus Cæsar, Kinskium ad Regem mittit, qui persoluto pretio pignus quam primum redimeret, doceretque, quam nullo jure in Gallum Principem Regina divertere molitetur, cum solennibus tabulis perspicue cautum sit utrinque, ne in extraneum unquam devolveretur.* Pergit deinde Noster: *Et quoniam cetera inter crimina objectum Lubomirio, quod transferre in Cæsarem Poloniæ Regnum meditatus esset, demandatum eidem Kinskio, ut publice in comitiis eas tabulas redderet, quibus coronam spoponderat Cæsari Respublica, cum adversus Suecum auxilia miserat.* Ad A. 1668 docet, quibus artibus Grammovillius in aula Cæsarea usus fuerit, ut Austriæ & Hispaniæ consensionem perturbaret, eoque rem deduceret inter alia, ut in Margaritæ Augustæ Gynecæo ipsæ etiam Germanæ virgines ab Hispanis muliebri bello dissiderent. Hic Aurspergii imprimis perfidiam accusat, qui se non eodem apud Leopoldum, quo apud Ferdinandum IV, gratiæ loco haberi ægre ferebat, cujus rei caussam innuit Noster, quod juvenem Leopoldum, sacris tum devotum, non sat reverenter habuisset & cavillis velut in Episcopum lusisset. Atque eo quidem processit ejus ambitio, ut Cardinalium Collegio adscribi gestiens, cum a Cæsare impetrare nihil posset, Galliæ Regis intercessionem supplicibus literis expeteret & obtineret,

p. 198.

218.

219.

tineret. Verum cum & hæ literæ ex ipso Regis graphiario viginti florenum millibus emptæ, in Cæsaris manus venissent, & Pontifex Regiarum literarum (quibus huic uni se maxime Flandrici belli, quo nimirum Hispania fuerat ab Austriacis deserta, fructum in acceptis ferre Rex prædicabat) exemplum Cæsari transmisisset, tum Leopoldus rogato senatus consulto, cum capitalem omnes pœnam pronuntiarent, exilio demum Aurspergium, mitigata sententia, multabat. Ubi de Nadasti & sociorum conspiratione agit Autor, tanta Cæsarem ea in re moderatione usum asserit, ut ad Academias, Ingolstadiensem, Tubingensem, Lipsiensem, Spirense item tribunal, causæ tabulas deferri voluerit. Quæ Lobkovicii exautorati & relegati causæ fuerint, graphice describit, imprimis quod clanculum Gallorum partibus studuerit, & perniciosi fœderis illius A. 1671 Autor fuerit, quo Cæsar primo anno belli Belgici quieturum se paciscebatur; ut proinde Arausionensis casu ejus audito, ad templum conversus, nunc demum meliora de Vienna se sperare dixerit. Sed & accessisse Claudiæ Augustæ odium, quæ non ignorabat, eum ab obitu Margaritæ Cæsari, ut Neoburgensem præhaberet uxorem, suasisse, eidemq; Claudiæ iconem monstranti, rogantique, quid de forma sentiret? libere respondisse: quæ ejusmodi vultu sit, vix Principum sanguine ortam videri. Dum Josephi natales tangit, nescio quas divinationes ait præbuisse, quod infans, inserto in os digito, comminantis speciem in partu præ se tulerit. Pacis Neomagensis, parum quippe Germanis proficuæ, nuntium ingenti Viennam tristitia implevisse refert, & ipsum Cæsarem gratulantes torvo præter solitum supercilio, paucis abruptisque verbis dimisisse, & cum supplicationes indiceret, addidisse: Deo etiam pro calamitatibus habendas gratias & exosculandam etiam verberantis manum. Montecuculi Commentarios, brevitate, judicio, methodo incomparabiles, tanti fecisse testatur Cæsarem, ut eorum copiam, antequam publici juris fierent, non nisi primis Ducibus fecerit; Lotharingum vero sine eo libello nunquam in expeditionem profectum. Minitantibus A. 1681 irruptionem Turcis, cum Cæsar Electores Ratisbonam avocaret, inter alios asperius Moguntinum, nisi antea cum Gallo transigere-

Marginal notes: p. 252. (at "gium, mitigata"); 363. (at "rit. Quæ Lobkovicii"); 364. (at "sisse Claudiæ"); 449. (at "Principum sanguine"); 468. (at "Pacis Neomagensis"); 516. (at "iam verberantis"); 537. (at "nunquam in expeditionem")

igeretur, Colonienſem, niſi Excellentiæ titulo Electorum Legati augerentur, ſe de belli Turcicis auxiliis agi paſſuros, negaſſe obſervat. In quibus poſtulatis, addit, neſcias plus vanitatis an turpitudinis ineſſet: illud vero erat abſurdiſſimum, quod talibus cauſis, bello honeſtiſſimo, adverſus atrociſſimum Chriſtiani nominis hoſtem, Epiſcopi ſe ſubducerent. Porro cum A. 1683 Viennæ mœnibus imminerent Turcæ, triſtis admodum fuit Cæſaris cum auguſta familia fuga. Nam cum Corneoburgi, quod tribus a Vienna leucis diſtat, pernoctaret Cæſaris familia, paucula ova univerſam cœnam fecere, & ex his delitiis ſuis Cæſar partem Burgmaino Hiſpanico Legato tranſmiſit, quod ille pro ſumma amoris honoriſque teſtificatione omni deinceps vita prædicabat. Cum ne lectus quidem ad quietem ſuppeteret, nobiles pueri viatorias penulas pro culcitra ſtragulisque ſubſtravere, illacrymante Joſepho ac ſororibus Archiducibus, nempe qui famem & lecti inſuetam aſperitatem præ Regni malis tum ſentirent. In ipſa vero urbe Vienna omnis tum populi rabies in Jeſuitas verſa, e quorum ſcilicet officina conſilia perverſa, importuna in Proteſtantes ſeveritas, Ungarorum perduellio, Leopoldi pietas ſuperſtitioſa prodiiſſent. Atque ita nemini niſi mutato *habitu* incedere licebat, neque id ſatis tutum videbatur, quippe de quo vel levis eſſet ſuſpicio, is, admotis ad pectus ſclopis, ut verum ediceret, adigebatur; & ruſticulorum furore diſcerptos fuiſſe aliquot, qui nunquam deinde conſpecti ſunt, conjectura fuit. Ubi de Maximiliani Emanuelis Bavariæ Electoris cum Cæſaris e Margarita Hiſpana filia Antonia nuptiis loquitur, mali ominis fuiſſe cenſet, quod Antonia, uti diu ab hoc marito abhorruerit, ita flens ac mœſta, neque niſi Auguſti Parentis autoritate ac precibus victa, aſſenſum præbuerit, & Elector tertia a nuptialibus tædis die ad Martios ignes Vivarinum properaverit. Sed hæc de iis, quæ propius concernunt Leopoldum: ſunt alia non magis in vulgus nota, quæ paſſim de exteris aulis data occaſione inſperguntur, e quibus duo tantum producemus ſpecimina. Dum ad A. 1659 de morte Caroli Guſtavi Regis Sueciæ mentionem facit, quem ab Hugone Grotio conſulto revocatum fuiſſe a literis memorat, quod libandas potius

p. 588.

589.

676.

69.

quam exhauriendas Principibus crederet, præter alias, quas in eo prædicat laudes, testatur, eum in Regia inauguratione animi sui specimen dedisse, & arrepto pro sceptro gladio pronunciasse: illud genuinum Principum sceptrum esse ac insigne. De nuptiis porro Wilhelmi Arausionensis, qui non immerito Gallis credebatur infensus, cum Maria Eboracensi disserens (de quibus, quod mirum, nihil nisi a signatis sponsalibus tabulis resciverat Curtinius Legatus Gallicus, tot annis secretorum in aula Anglica rimator & particeps) vanum rumorem Londini disseminatum, quasi vestes omnes, quibus sponsus usus, Parisiis fuerint consutæ, tantum offensionis excivisse notat, ut decreta liberalitate supersederent Magistratus, vacuumque Principem inde congiarium sperare juberent, unde vestes petiisset. Nec Rex quicquam intermittebat, quo minus Principem Gallis redderet audientiorem; unde acutum Ruperti Palatini circumfertur dictum, qui Principem ajebat Monacho similem, qui lupanar ingressus sit, ad meretriculas cœno evellendas, sed in quo ipse adhæserit. Ceterum cum Petri Griffenfeldii in aula Danica fata sinistra memorat, ei ad carceres demum damnato, *Petri Sutoris* nomen ad ignominiam fuisse inditum refert: sed ignorasse videtur Rev. Autor, quod prius etiam, quam ad tantum fastigium extolleretur, vernaculo nomine Schumacher vocaretur.

p. 460.

423.

ANNALES DES PROVINCES UNIES, PAR Mr. BASNAGE.

i. e.

ANNALES FOEDERATI BELGII, A TRActatibus Pacis Monasteriensis, quibus jungitur Historica Descriptio Regiminis harum Provinciarum; Autore BASNAGIO.

Hagæ Comitum, apud Carol. de Vier, 1719, fol. Alph. 11.

EQuidem non desunt Commentarii Historici, quibus Fœderati Belgii fata ab ortu ejusdem illustrantur, sed plerique nævis undique repleti, vel ut plurimum ad tempora recentiora non per-

pertingunt. Impulit ista res Cel. Basnaginm, pluribus jam scriptis eruditis haud ignotum, ut res Belgarum gestas a Tractatibus Pacis Monasteriensis ad nostra usque tempora posteris traderet, cujus Operis priorem Tomum typis exscriptum non ita pridem edidit, continuationem illius laboris, quam primum fieri poterit, pollicitus, quod, ut cedat feliciter, fausta quæque ipsi apprecamur. Præmisit eidem descriptionem Regiminis Fœderatarum Provinciarum, sine qua cœcutire ferme oportet gesta Belgarum perlustrantem. Omnium sane manibus teritur præstantissimum, ut sibi persvaserunt plures, opusculum *Templei de statu Fœderati Belgii*, quod tamen erroribus sordidis deturpatum, Hollandorum saltem statum Politicum delineat, reliquis plane neglectis. Noster autem remedium hisce quæsiturus, antiquas Belgii Respublicas describit, multis deinde Burgundorum atque Austriacorum Regimen exponit, donec motibus sub Philippo II excitatis VII Provinciæ ad libertatem adspirarent. Firmabatur illa per Unionem Trajectensem, vi cujus quævis Provincia sui juris est effecta. Inde selecti sunt ex singulis territoriis, ad rerum communium administrationem, qui Consessus Statuum Generalium vocatur. Institutum quoque fuit A. 1584 Consilium Status, rei bellicæ & redituum publicorum curam gerens; cui sublevando 1601 *Rationum Cameræ* jungebatur. Postea *summi Imperii Præfecti* munia referuntur. Sequuntur formæ Regiminis, antiqua & hodierna, singularum Provinciarum, quas inter primum sibi locum vindicat Gelriæ Ducatus. Hollandiæ politiam pluribus describendam existimavit Autor, utpote suadendi autoritate & opum potentia inter ceteras insignem; quam pæne imitatur Seelandia. Hinc ob oculos ponitur status Trajectensium; Frisiæ occidentalis, cui hodienum Præfectus ex Nassoviis oriundus præest; Transisalanorum, quibus Lex Salica debet originem; ac Grœningæ, cui plurimæ ab Omelandis moventur lites. Nostrum jam non est, speciatim hanc in rem inquirere, maxime, cum in illustri opere Fecialis Europæi pleraque jam sint explanata; non diffitemur tamen, operæ pretium esse, ut vicissitudines a Basnagio ex ipsis rerum monumentis erutæ penitius inspiciantur. Cura

C. 1.
2. 3. 4.
5.
6. 7. 8. 9. 10
12.
13.
14. 15.
16.
17. 18.
19-25.
26.
27. 28. 29.
30, 31.
32. 34.
35.

rei

rei maritimæ, qua Belgæ ditantur, 5 Collegiis est demandata.
C. 36. Commerciorum cultura debetur securitati illorum, politiæ iisdem adaptatæ, & emolumentis ex India utraque provenienti-
37. bus, qua occasione dubiis quibusdam occurritur, & subnexa
38. enarratione de Indica Societate orientali occidentalique osten-
39. ditur, Belgas jure optimo varias religionum sectas tolerare. Ad Annales nunc est progrediendum, ex Autoris nostri sententia absque ullo partium studio conscriptos, quod quidem L. B. judicio dijudicandum relinquimus. Collectos tamen esse ex MSCtis haud vulgaribus, & libris optimæ notæ, qui sub finem cujusque pagellæ indicantur, negari non potest. Præterea ut nitorem operi conciliaret Autor, eventus singulares, maxime vero nummos ad memoriam gestorum servandam cusos æri incidi elegantissime curavit, ex quibus Bizoti errores subinde corrigi poterunt. Ex istis pauca memoratu digna delibabimus,
p. 31. ne brevitatem nobis propositam neglexisse videamur. Antwerpiam, insidiis structis, ne expugnaretur, Hollandorum minime obstitisse invidiam, sed morbum Principis Auriaci, Noster
42. existimat. Seelandi tunc a pace minus erant alieni, quod majus sibi ex piratica commodum pollicerentur. Ad deditionem
78. Landrecii Hispanis faciendam 1647 cives adegerat ipse præsidii Præfectus, pecuniam militibus destinatam clam subducen-
174. do. Inter Hollandos & Wilhelmum II odia gliscebant intestina, quæ eo tandem exarserunt, ut Auriacus milites versus Amstelodamum mitteret, ad urbem subito impetu in potestatem redigendam. Sed cœlo pluvio, cum equites per nocturnas tenebras a via aberrassent, Momnius Dux illorum, arcani nescius, Nuncium Hamburgensem sibi obvium haud detinuerat, qui rem omnem Amstelodamensibus detexit, quo facto tempestas
215. illa evanuit. Scotorum quondam Reges Sconæ inaugurabantur, quem morem adhuc secutus est Carolus II. Namque certo sibi persuaserant Scoti, sellam Regiam ibi constitutam singulari virtute esse præditam, Reges ab omni fortunæ injuria tutos diu servandi. Hinc regnum brevi pessundatum iri crediderant, cum Eduardus I in Angliam avehi hoc solium jussisset. In eo
238. vero labitur Autor, dum transactionem in causa Juliacensi

Bran-

Brandenburgensem inter atque Neoburgicum ideo frustra tentatam fuisse dicit, quod hic repudium a Principe Brandeburgica fuisset passus; præterea in nominibus Germanorum propriis errores subinde non leves commisit. Nec majori specie veritatis nititur, dum in Jure Publico Germanos Conringii verba, tanquam ex tripode dicta, venerari putat, qua in re magnopere fallitur, cum in nullius unquam verba juraverint, imo nec Conringii nec aliorum errata reticeant Germani. Optaremus certe, ut notitia Imperii, vel ex scriptis Conringianis saltem, Basnagio paulo magis innotuisset, ne gravissime ab ipsis hujus scientiæ principiis aberraret. Siquidem, ut unicum hic produxisse sufficiat, Palatinum ante Josephi electionem Vicariatum gessisse audacter affirmat, quo tamen tempore imperium vacasse, quis dixerit? Quæ de dominio maris fusius afferuntur meditationes, ex Juris Naturæ scriptoribus satis superque innotuerunt. De Amelandia, velut Imperii feudo, possessores investiverat Ferdinandus III, cui status Frisiæ semet acerrime opposuerunt. In solennibus inaugurationis Ludovici XIV Archi-Episcopus Rhemensis circumstantes hisce conceptis verbis alloquebatur: vultisne hunc Regem esse vestrum? cui *populus* circumfusus votivis acclamationibus respondit; id quod Galli postmodum, auram regiam captantes vel supprimere penitus, vel interpretatione detorta emollire sunt conati. Legati Lusitanici fratrem, Anglos quosdam atrocibus injuriis onerantem, Cromwellius 1654 in ipsius ædibus palam prehendi & capite truncari curavit, reliquis Legatis Juris Gentium violationem frustra prætexentibus. Ad bellum Polonis 1655 inferendum Suecos concitaverat Cancellarii quondam vices gerens Radziovius, qui propter vitium a Johan. Casimiro uxori oblatum offensus in Sueciam profugerat, & consiliis postea felicitatem Suecicorum armorum mirum in modum juvit. Inde Rex, Suecicæ potentiæ impar, cum in Silesiam fuga se proripere necessum haberet, una cum Conjuge fovisse fertur, ut alterutri quondam defuncturo superstes monasterii claustra ingrederetur, quod utique a Rege deinceps factum. Jucunda erunt legentibus litigia, adversus Cartesii dogmata a Theo-

p. 542.
247.
326.
355.
362.
390.
345.

logis Philosophisque agitata, quæ multis motibus ansam præbuerunt, nec a Statibus plane potuerunt sopiri, maxime cum
p. 459. furor, quo in Jansenistas tunc omnes fere grassabantur, eosdem
487. in Cartesianorum castra pertraheret. Belgas isto tempore piratica Galli divexabant, compertumque fuit, Mazarinum haud minimam lucelli partem inde percepisse, donec Ruyterus virtute navali Gallorum ferociam retunderet.
522. Tychonem de Brahe fuisse vinosum, uxorium, & in Insulanos Huenæ crudelem, narrat Autor, quam ob causam tandem Regis Danorum gratia
526. excidit. Errorem simul notat quorundam, qui Galliæ Regem
599. Cromwellio Fratris nomen tribuisse falso tradiderunt. Imperatoris opem adversus Turcas Ragotzius A. 1660 frustra imploravit, quod Portianus partim metu belli, partim spe vana, Turcas subacta Transilvania quieturos, Leopoldum a rebus strenue gerendis dehortaretur, ipse interim pecuniis ab ordinibus Austriacorum Provincialibus corradendis intentus. Idem postea
725. 1664 pacem cum Turcis, omnium opinione citius conclusit, ut Montecuculi autoritatem, quam virtute bellica sibi paraverat, in aula Cæsarea imminueret. Dum Carolus II Britanniæ Rex
606. per Belgium iter faceret, Status Hollandiæ cum Statibus Generalibus de priore loco decertabant, cessere tamen Hollandi, ceteros
608. exterorum loco in terris suis habendos esse existimantes. Belgæ tunc temporis magnam pecuniæ vim coegerant, ut Regem honore debito exciperent, quo viso Stellingwerf, ad Status Generales delegatus, vatidico quasi spiritu exclamasse fertur: melius Belgas sibi consulturos, si tantam opum vim haud næniis isti-
523. 677. usmodi impenderent, sed arma provide compararent. Trajecti lites acerrimæ sunt coortæ inter Canonicos Seculares & Clerum beneficiis istis inhiantem, frustraneo tamen conatu, siquidem ministri verbi divini convitiis adversarios proscindentes
624. solum vertere jubebantur. Comprehensi tunc fuerunt in Orientali India Lojolitæ, adamantes ex mineris clam coemtos in Europam avehentes, & immensum fere lucrum exinde colli-
638. gentes, quorum fraudibus postea obex est positus. Mazarinus 1661 morti vicinus, demum a sacerdote, qui ipsi fuerat a confessionibus, anxie semet edoceri curavit, qualis sit efficacia

Sacra-

Sacramentorum. Vi Tractatus Commerciorum Belgarum mercatores ab Albinagii Gallici rigore sunt liberati. Pax denique Bredana huncce Tomum claudit.

p. 643.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK, JC. ET Senatoris, Opuscula varii argumenti.

Lugduni Batavorum, apud Joannem vander Linden Juniorem, 1719, 4
Alphab. 2 plag. 11.

Primum horum sex opusculorum, quod prætermissa ad L. 2 D. de Orig. Juris exhibet, magno constitisse labore Illustri Viro, sed devorandum illum tamen fuisse, facile credent omnes boni lectores, ubi viderint, eum hic constituisse Pomponii caussam agere, quum posset maxime in rebus memoriæ veteris tam multis. Vult autem Lectores suos Romanam Historiam jam aliunde scire, neque etiam ignorare, quid vulgus interpretum ad explicandum Pomponium attulerit; qui enim ita instructus non accesserit ad hæc prætermissa, hunc jubet res suas sibi habere, & vicissim Illustri Dn. Autori suas relinquere. Properamus ergo ad delibanda potissima. Retinet is ac defendit receptam lectionem §. 7, Sextum Ælium *alias actiones composuisse, quia deerant quædam genera agendi.* Rejicit igitur Haloandrinam. Si enim legas, *qui præerant, quædam genera agendi composuerunt*, transferretur ad Pontifices, quod Sexto Ælio debetur, & vis major fieret Pomponio, ubi non oportet. In §. 11 recedit a MS. Campensi, quod addit *viros*, & habet *vias*, perinde ut liber Florentinus; cujus scripturam ad hunc titulum Florentia transmisit Nostro Vir doctissimus Henricus Brenkman. Binis autem transpositis literis, pro *partes* legi posse ait, *patres*, i. e. per Senatum. In §. 17 leviter iterum emendat, *cum census jam major in tempore agendus esset*, i. e. tractu tanti temporis; ubi vetustæ Editiones quædam, *major jam tempore*. *Elige*, inquit, *quicquid placuerit, me non difficilem habebis arbitrum.* Interpunctionem tantum, quæ est inter §. 19 & 20, mutat, & uno tenore ei placet legere, *Magistratus tamen habebantur legitimi*

iisdem temporibus. Qui melius, addit, *conjecerit, is Phyllida solus habeto.* In §. 24 multa ei videbantur purganda. Magna enim est stribligo in verbis: *quo Decemviri constituti anno uno cum magistratum prorogarent sibi.* Et varia hic tentavit Illustris Autor. Nos unicum tantum specimen emendationis allegabimus: *latum est ad populum, uti omnes magistratu se abdicarent anno uno, quo decemviri constituti. Cum magistratum prorogarent sibi*, &c. Ac tota difficultas est adhuc in particula, *quo*. In §. 25 duo iterum menda reperit. Dubium enim est, an possit omitti *quam*, quod deest in Codice Florentino, & a Taurello additum fuit, supplendo sensui? Omitti posse, existimat Cl. Brenkmanus. At ratio temporis postulare id videtur Nostro. Alterum est de numero tribunorum, *viginti* &c. consulari scilicet potestate. Ubi non discedit Noster a conjectura Budæi, Cujacii, Hugonis a Porta, Russardi, scriptum fuisse VI. & perperam adjectam *ni* vel *ginti*; unde factum *viginti*, pro *sex* contra omnem fidem historiæ. Alibi ex *VI. gint.* similiter exsculptum *viginti*, pro *sexaginta*. §. 3. Ad §. 31 video Gerh. Jo. Vossium asserere, *uls* prius fuisse *ultis*, unde *ultra*; ut a *cls*, *citis*, *citra*. *Etymolog.* f. 564. Scaliger etiam ad Festum notavit, Varronem alicubi dicere, *ultis*. Ad §. 35. Credo, etiam Taurellum indicare hoc tantum, alterum *eorum* ad marginem accessisse. Habetq; id Editio Parisiensis 1513. Sensus est: qui eorum maximæ dignitatis fuere apud Pop. Romanum, eorum quoque hic mentio facienda est præ ceteris. De signis Taurellianis sic sentio; rectius etiam ibi adscribi debuisse signum, ubi Taurellus putabat textum omnino fuisse supplendum. Dissentiunt enim etiam hic subinde DD. At *illa*, ait Taurellus, *non curavimus*. Deinde dicit, si absque istis adjectionibus rectus sensus constabat, **notavimus. Atqui tunc per regulam primam nihil adjiciendum erat omnino. Porro, *quæ superflua visa, aliis signis indicavimus*. Dic mihi, quomodo superflua hæc differant ab antecedentibus? Rursus, *quæ parenthesi sunt inclusa, ea adhibuimus, perfecto rectoque sensu reddendo.* Iterum quæro, quomodo hæc differant a primis, quæ non curabat Taurellus signo notari? Duas etiam lectiones congruas debebat ægre distingue-

re a

rea textu, quem inveniebat, perinde ut locos suspectos & a Latino sermone alienos. Utra enim esset magis congrua, adhuc incertum. Sed quis enumeret crebras illas mutationes horum signorum Taurelli per tot Editiones hodie introductas? Russardus 1561 præmisit ejusdem Taurelli quidem præfationem, sed adscripsit, *in qua notas immutavimus* & *nostras inseruimus.* Accessit etiam signum plane novum eorum, quæ tunc primum a Russardo inventa essent. Mox 1562 iterum nova accessit mutatio, & Charondas 1575 eandem sibi libertatem indulsit. Quantulum ergo putamus hodie superesse adhuc a primis signis Taurelli? Sperandumque potius, Cl. Brenkmannum, abjectis omnibus istis signis, exhibiturum nobis Codicem Florentinum nativa facie, & citra ista pigmenta colorum. Circa §. 36 repetendum est, Pomponium jam dixisse paulo ante, *Post hunc* (Decemvirum) Appius Claudius, *ejusdem generis.* Verba itaque, *processisse ab hoc videtur*, vix eo pertinebunt. Quid autem si hunc ea haberent sensum: *Idem R literam invenit, videturque ab hoc processisse, ut pro* Valesiis *Valerii esset, & pro* Fusiis *Furii.* Τὸ *usu*, Haloandro debemus fortasse, quod deinde Muretus retinuit. Sed Editiones Parisienses 1513 & 1527 omittunt. Fabulæ de Centimanis, τῶν μυθικῶν ἑκατογχείρων, meminit *Plutarchus* in M. Marcello *fol. 397 A.* Et Titi Claudii Centimali Cicero, *Libr. III Offic.* Appium Claudium jam tunc, quum pacem dissuaderet cum Pyrrho, præ senio fuisse cœcum, idem Plutarchus affirmavit, in Pyrrho, *fol. 394 Tom. I: grave mihi est, quod cæcus solum, non etiam sim surdus.* Claudii quidam, qui etiam *Crassini* dicti, occurrunt apud Ant. Augustinum *de famil. Rom.* capite, *de Gente Claudia p. 27.* Inscriptionem Appii nostri Claudii integram e P. Victorio exhibet. Idem Augustinus *Dialog. X Antiquit. Rom. fol. 147, 148*, ubi *Cæcus* etiam, sed neque *Centemmanus*, neque *Crassus* audit. Circa Lucium Crassum §. 40 video, Nostro non negari, quod adoptatus fuerit a quodam P. Licinio Crasso, adeoque hoc certe sensu frater etiam erat Publii Mutii, de quo §. 39 actum. Facile ergo legam *Publius Crassus*, secutus Tabulam Capitolinam & stemma Muciorum apud Rupertum *p. 383 & 391.* Quod autem ait Rupertus,

 ver-

verba Ciceronis in Bruto loqui tantum de Q. Mucio, cujus mentio fit §. 41, omnino secus est. Cicero enim in comparatione ista utrumque JCtum iisdem effert laudibus. Neque sunt adeo sede sua mota verba ejus apud Pomponium, ceu putabat Rupertus. Si enim easdem laudes de Q. Mutio voluisset is allegare, non poterant ipsi deesse copiosæ tales apud Ciceronem. Bertrandus presse: *Fratrem habuit Publius Mutius L. Crassum, auctore Cicerone Lib. I de Oratore c. 37, qui Mutianus dicitur apud Pomponium §. 40.* Cicero quidem, quod ad §. 41 attinet, de Crasso dixit, *erat in illo Oratorius, non scurrilis, lepos. de claris Oratorib. f. 219. C.* Sed neque hic vox illa forte obscœnum aliquid connotat, quod a reverentia & sanctitate judicii abesse, per se intelligitur. *Consularem* autem *scurram* ab inimicis Ciceronem ipsum appellatum cum ait Macrobius *L. 2 Saturn. c. 1*, statim intelligimus odium miscuisse hostes. Dictiones etiam Valerii Maximi sæpe horridiores paulo videntur, sed sensu æque polito & commodo. Olim *Scurræ* dicebantur, homines aliquando urbani, lepidi, elegantes, εὐτράπελοι, quod verbis Plauti, Catulli, Juvenalis & Julii Capitolini comprobat G. J. Vossius *in Etymolog.* Ergo & lusus scurriles erant similes. Hi apud ipsum Valerium opponuntur continuis laboribus, consistuntque in diverticulo & remissione a rebus seriis: ut non evanescat virtus, sed recreetur, ac tempestiva laboris intermissione ad laborandum mox simus vegetiores. Iterum Valerius: *vegeta & strenua ingenia quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores postea impetus edunt.* Plauto *urbani assidui cives* sunt, qui non in agris fatigantur, sed sine cura atque labore, *quos scurras vocant.* Turneb. *Adversar. L. 19 c. 13.* Synesius certe in epistola quadam: *cum a libris oculos attollo*, ἐπιῤῥεπὴς εἰμὶ πρὸς ἅπασαν παιδιάν, *pronus sum ad omne ludendi genus.* Si in §. 42 Cl. Brenkmanus eandem recitabit conjecturam de librario Florentino, vel similem, certabunt illæ invicem, nobis non invitis. Levissima transpositione autem possim etiam scribere, *ut ad ea omnes appetant.* Geminam enim particulam quis non ferat in Veteribus, quum idem nos faciamus quotidie? Et indignatur in simili Noster, ad §. 5 *p. 27.* Sic dicimus, *manu ad os admota*

salu-

salutare, perinde ut olim Veteres. In eodem §. 42 verba illa, *pro cujus scriptura*, ita emendat, *per cujus scripturam ipsorum quoque librorum memoria habetur*, i. e. scriptura conservat memoriam Autoris librorum: id quod a nemine vocetur in dubium. Nunc & verba Pomponii §. 43 quodammodo impedita ita exponuntur atque illustrantur ab eodem, *cumque eum sibi respondisse de jure Servius parum intellexisset*; utique enim intellexisse Servium, Mucium sibi de jure respondisse, nesciisse autem, quid dixisset. Cascellii librum *Benedictorum* visum est Illustri Viro complecti §.45 praeter ea, quae ad Jurisprudentiam pertinebant, flores etiam eloquentiae ex Orationibus aliorum, quaeque ab iis bene dicta essent. Eloquentiorem enim Trebatio hic dici eo sensu Cascellium. Sequitur ad §. 46 nobilis illa digressio, *fueritne Cicero JCtus ?* ubi dolemus, non extare apud nos Orationem Cl. Schultingii de hoc problemate. Non detraxit Noster famae meritisque Ciceronis viri maximi, sed laudat in eo ingenium excelsum, quodque se ad Mutium JC. in prima statim aetate contulerit, atque in perfectum Oratorem, imo supra vulgus Oratorum, quin & Consulum aliorumque Magistratuum, evaserit: gnarus adeo Juris & naturalis, qua philosophus, & sacri, qua Augur, & publici, ceu Consul, & privati, qua judex, ac vere Juris prudens. Sed inter JCtos tamen a Pomponio non recenseri: distulisse enim ipsum professionem Jurisprudentiae ad senectutem, nec voluisse hactenus haberi pro JCto, si statum spectes & exercitium illius scientiae Humilius interim fuisse ei istud genus vitae, neque voluisse de stillicidiorum atque parietum jure libellos conficere, aut stipulationum & judiciorum formulas crepare, quamdiu curae publicae id non paterentur. In eodem §. 46, ubi Tubero *sermone antiquo usus affectarit scribere*, mallet Noster, *sermone antiqui usus*, i. e. vocabulis moris antiqui, & non quo illi, qui Tuberonis aequales erant, scribebant. Labeo §. 47 noluit suscipere oblatum a Caesare Augusto Consulatum, *quo suffectus fieret*. Iterum malebat Noster, *quo suspectus fieret*, apud rempublicam scilicet & optimates, corruptae a se libertatis, si, eo beneficio accepto, sequeretur partes Augusti. Hic est ille Labeo, qui & *ceteris operis sapien-*

pientiæ operam dederat. Durum id visum, & κακόφωνον, bis una & continua oratione repeti idem vocabulum, satiusque ideo putatur, cum MS. Campensi scribere, *qui & in ceteris operam sapientiæ dederat.* Sed nunc de tribus Labeonibus surgit nova controversia. De patre & filio constat. Tertium esse *Theologum* aliquem, ait Noster. Ita enim describi eum Augustino, *de civit. Dei L. 2 c. 11.* Idem etiam dicitur tradidisse de Diis penatibus Æneæ, de diis animalibus & de disciplinis Etruscis. Labeonis hujus quoque videri quædam recitari apud Festum. Ultimus apud Pomponium §. 47 laudatur Salvius Julianus, autor Edicti perpetui. Et gravior fit hic lis de verbis & fide Aurelii Victoris in Didio Juliano, Imperatore: quem primum autorem illius Edicti facit. Emendanda ergo verba videbantur historici, *nisi velimus manifestam ἀνιςορησίαν in eo agnoscere, ut sunt*, inquit, *qui agnoscunt.* Minori motu autem legit: *quippe quod primum*, vel, *quod prius*, genus nimirum Didii Juliani; adeoque recte Salvius Julianus, in illa gente celebris JCtus, Autor Edicti adhuc intelligitur. Quæ omnia & laudem magni ingenii & profunditatem exacti judicii abunde comprobant. Reliqua opuscula quinque *de rebus mancipi & nec mancipi; de jure occidendi, vendendi & exponendi liberos apud veteres Romanos; de cultu religionis peregrinæ apud eosdem*, & *de captatoriis institutionibus* conscripta, non minus alliciunt nos ad similem enarrationem paulo copiosiorem, & quæ citra omnem temporis jacturam in posterum sequetur. Neque enim nobis tales quotidie libri exhibentur Bynkershœkiani. Tum vero quos editura plausus est universa tantum non Europa cultior, ubi de XV illis centuriis rerum in hoc Senatu judicatarum, atque a tanto elaboratarum SENATORE, suo tempore viderit in Actis recensionem institui.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JC. occasione Prætermissorum Illustr. Domini van BYNKERSHOEK ad L. 2 D. de Orig. Jur.

POstulat a nobis eruditissima elaboratio istius Tituli qualemcunque adhuc diligentiam novam. Disco enim hic statim ad

ad §. 7, Tribonianum ibi non loqui, neque Sextum Ælium collegisse tantum ac divulgasse alias quasdam actiones; sicut Sextus Papirius leges sine ordine latas in unum composuit, nec de suo quidquam ibi adjecit. §. 2. Sextus Ælius enim hic non comparatur cum Papirio illo, sed cum Appio Claudio. Tum vero Ælius novo iternm argumento laudatur §. 38. In §. 11 prompta est utique medela, quam affert Vir illustris, si legamus *patres.* Et quanquam videamus, eum non sequi per omnia lineas recentissimi operis Brenkmaniani, avide nihilominus fatetur illud integrum a se exspectari. Quod si scriptum ibidem esset *videbamur*, pro, *videbatur*, facilius retineremus, *vias*, pro *via*. Cum tempore auctus utique erat census. §. 17. Et augmentum hoc aliquoties exprimit Pomponins §. 2 §. 7 §. 18 & 22. Mutavit ergo vocabulum, & scripsit hic, *cum census major jam tempore agendus esset.* Noluit enim geminare *cum*: cum *census major jam* cum *tempore agendus esset*, omisitque posterius. Nemo melius Nostro connectit §. 19 & 20. Et tunc pergam: *Cum* autem *plebs a patribus secessisset, tribunos sibi creavit, qui essent plebeji magistratus.* Ita enim perspicue opponuntur sibi magistratus legitimi & plebeji. Sic §. 21 iterum duo ædiles ex plebe. Post primam secessionem placuit populo, etiam leges ab ipso ferri, & non tantum varios magistratus §. 20, 21, 22, 23 constitui. In istis turbis latum est ad populum, uti omnes decemviri magistratu se abdicarent, qui anno uno tantum erant constituti. Cum enim magistratum hunc prorogarent sibi, & populum injuriose tractarent, neque vellent a populo sufficialios, ut ipsi perpetuo Rempublicam occupatam retinerent; eo rem perduxerant, ut sicut antea plebs §. 20, ita nunc exercitus a Republica secederet. Pro *quo* igitur tentabo, *Qui cum magistratum &c.* Haloander non male: *Hi cum.* Sed adhuc facilius ex *quo*, fiet *qui.* Fundamentum intentionis Verginii adversus Appium Claudium ex fontibus historiæ Romanæ exhibet Ulric. Huberus, *Eunom. p. 34*, & applicat ad diversum modum procedendi. In §. 15 ratio temporis exigit omnino illud *quam.* An autem Codex Florentinus Cl. Brenkmano repræsentarit, *VI* an *viginti*, adhuc incertum nobis est, Interim constat fide Livii,

poſt ſcelus Appii Claudii non fuiſſe creatos XX tribunos militum conſulari poteſtate, ſed XX tribunis negotium datum, ut ex ſuo numero duos crearent, qui præeſſent ſummæ rerum. Per hos autem nihil effectum eſt. *Lib. 3 c. 51.* Poſt abdicationem Decemvirorum, decem tribuni plebis creati, ſine addito charactere ſpeciali, & duo Conſules. Porro Libro 4 c. 1 agitari cœpit, ut alter Conſulum ex plebe fieret, obtentusque eſt c. 6 non Conſul quidem plebejus, ſed ut ſineret Senatus, tribunos militum conſulari poteſtate promiſcue e Patribus ac plebe creari tres. Sequitur nunc apud Livium L. 6 c. 35, 42 illa periodus, de qua Pomponius agit §. 26, donec tandem L. Sextius primus Conſul de plebe factus eſt. Ad §. 31 valde adhuc dubitabat Noſter, an *ultis* pro *ultra* dixerit quiſquam Veterum: ſed reperta ſunt veſtigia. Ad §. 35 obſervavit Cl. Brenkmanus, in Codice Florentino alterum, *eorum*, non plane deeſſe, (quod tamen Taurelli nota indicet) ſed antiquiuſcule ad marginem id ſcriptum. Tuto nos autem eo carere poſſe: & vel ſubintelligi, vel poſſe paulatim transponi verba, *ſed eorum, qui maximæ dignationis. &c.* Et ita habere jam nunc editiones quaſdam. Circa §. 36 lis eſt de duobus, an tribus Appiis Claudiis. Noſter duos tantum facit. Si enim tres in animo habebat Pomponius, plura de tertio dicturum fuiſſe ad rem præſentem, quam obiter illud unicum de litera R. Statuit etiam, verba iſta, *proceſſiſſe ab hoc videtur*, Appium Secundum a primo, Decemviro ſcilicet, ortum innuere. Difficilis inprimis viſus eſt Noſtro §. 40, quod Lucius Craſſus non fuerit frater Publii Mutii; ceu tamen contendat Pomponius. Neque locum Ciceronis accipiendum de Lucio Craſſo, ſed de Publio Craſſo, fratre Publii Mutii. Alium ſimilem locum non reperiri. Legit ergo, *Publius Licinius Craſſus Mucianus*, pro *Lucius Craſſus.* Et nihil obſtare, quo minus Cicero etiam hunc Licinium judicaverit JCtorum diſertiſſimum: etſi hæc formula de illo non extet. Locum Valerii Maximi ita emendat idem §. 41. *Q. Mutium Augurem, cum bene ac diu jura civium & ceremonias Deorum ordinaſſet, atque adeo poſt ſeria, etiam turrilibus luſibus quandoque vacaſſe, & hominem egiſſe. Lib. IIX c. 8 §. 2*, pro, *ſcurrilibus.* Forte, quia

Ma-

Macrobius de Augusto *L. 2 c. 4, Saturni*, ait, *affectavit jocos, salvo majestatis pudorisque respectu, nec ut caderet in scurram.* Apud Pomponium §. 42 in verbis, *ut ea ad omnes adpetant*, delet Noster *ad.* Librarium enim Florentinum post *ea* cœpisse scribere *adpetant*, sed post scriptam primam syllabam *ad*, animadvertisse, perperam sic omitti *omnes*, ideoque id mox addidisse, repetita simul integra voce, *adpetant.* Per lapsum memoriæ autem remansisse primam etiam syllabam illam *ad*, vel potius, ne MSCtum inductione illius syllabæ deformaretur: ceu alibi fit observatum sæpius. Ubi expectabimus iterum Lectionem Florentinam Brenkmani. Altera observatio circa hunc §. explicat nobis autoritatem Servii: solam enim recitationem doctrinæ Servii esse loco scripturæ, eique æquivalere. *Vel:* Servium complendo libros suos ex illorum scriptis, de quibus sermo est, fecisse, ut sola eorum memoria habeatur itidem pro ipsa scriptura Servii. In verbis §. 43 perspicuum est, *Servium parum intellexisse*, i. e. non exacte exhausisse mentem Mucii, aut non omnia percepisse. Nondum enim operam juri civili dederat ex instituto: hac autem objurgatione tactus, plurimum deinde audiit JCtos, & solide instructus fuit. Atque ita a causis agendis transiit ad jus civile, sicut Tubero, §. 46. Est & quædam eloquentia JCtorum, quæ Rhetorum eloquentiam transscendit. Non hanc, sed magis illam crediderim in mente habuisse Pomponium, cum de libro *Benedictorum* Cascellii ageret §. 45. De Cœlio dixerat §. 40, eum plus eloquentiæ quam scientiæ juris operam dedisse. Hic autem de JCto sermo est: ac videtur Cascellius saltem de facetiis juris exaudiendus esse, quarum multæ extant apud Macrobium, *Saturn. L. 2 c. 1, 3 seqq.* tum vero de Cascellio ipso c. 6. Sed locus iste Macrobii de Cœcilio Sexto, (ceu reperit in veteri Codice Meursius) loquitur, qui cum Favorino graviter disceptavit de LL. Romanorum apud Gellium. *Lib. 20 c. 1.* Deinde Pomponius hic non promiscue perscribit, quid a quoquam consignatum sit literis, joci an facetiæ, sed quid ad cultum ac ornamentum Jurisprudentiæ elaboraverint. Si Liber Benedictorum ridicula magis quam sobria complectebatur, eum ne nominasset quidem gra-

 vissi-

viſſimus JCtus. Facetos ſermones apud Veteres proprio nomine *dicta* fuiſſe appellatos, commemorat Macrobius, *c. 1 Lib. 2 Saturn.* JCtis autem in libris Benedictorum eandem mentem fuiſſe, deprecabor. Nam duo illi joci Caſcellii c. 6 non joci ſunt ſed acutæ reſponſiones, rem præſentem apprime ſtringentes. Gerh. Feltmannus de vindiciis eorum, quæ antea ſcripſerant, accipi monuit; ſed non demonſtravit. De Cicerone verum eſt ad §. 46, quod non ad profeſſionem Jurisprudentiæ, quæ eſt ſtatio JCtorum propria, ſed ad rempublicam & quidquid illa ſub ambitu ſuo complectitur, ſe applicare mature maluerit, profeſſionem autem & interpretationem juris in ætatis demum vacationem diſtulerit. Tunc enim non recuſabat, ceu ipſe ait, *more patrio ſedere in ſolio, & conſulentibus reſpondere, ac ſenectutis non inertis, ſed grato atque honeſto munere fungi.* Ita vero mirum non eſt, a Pomponio eum in ordinem JCtorum non collocatum, qui ſupra JCtos erat. Oratorem hic Ciceronem concipio, qui pene totus eſſet in cauſis Reipublicæ Romanæ, belli denique & pacis tractandis. Sciebat ergo, quidquid ſciebant tunc JCti, peritusque erat ad reſpondendum in foro, ad agendum etiam & ad cavendum: ſed longe majora poſtulabat ab eo Reſpublica. Quidam JCtorum tunc erant ſane & Oratores in cauſis partium litigantium, ſed nondum Cicerones. Caleni judicium de eo apud Dionem Caſſium *Lib. XLVI* ab hoſte profectum eſt: qui ne Sophiſtam quidem vel Poetam vel Philoſophum vel Oratorem qualemcunq; vel Hiſtoricum eum eſſe poſſet pati, & triennium tamen Athenienſe, opusque Hiſtoriæ inchoatæ Romanæ univerſæ ei objicere non formidaret. Characterem autem publicum largiebatur ei ultro, cum diceret, ἐξόν σοι τότε εὐθὺς καθ' ἕκαστον αὐτῶν τὴν προσήκουσαν παρ' αὐτοῦ δίκην εἰληφέναι, *poteras ſtatim, ob ſingula horum, pœnam meritam ab Antonio* (hoſte Reipublicæ) *jure exigere.* πάντα γε αὐτὰ ὁμοίως ὑμῖν ἐψηφίζετο, καί τοι κρεῖττον ἦν, τότε αὐτὸν διδάξαι ὑμᾶς ταῦτα, ἃ νῦν προΐσχεται, *hæc omnia vobiſcum in publico conſeſſu decrevit, meliusque erat, tunc ipſum vos ſtatim docuiſſe, quæ nunc prætendit.* Atque toties id ibi repetit & inculcat Calenus. Quod autem Xylander, interpres Dio-

Dionis, ait, *sola dicendi arte studiisque suis, quæ sola sint in potestate Ciceronis, fretum eum fuisse*, abit notabiliter a textu Græco. Idque vel inde statim apparet, quia summa totius orationis Caleni est, adhortari Ciceronem, ut cum Antonio in gratiam redeat, nec moliatur bellum continuare. Quintilianus *Lib. 12 c. 3* ostendit, plerosque, cum desperassent de facultate dicendi in causis vel publicis vel privatis, tunc demum ad jus discendum declinasse, quum propria confessione Oratores, qualis Cicero, esse non possent. Quod argumentum urget ipse etiam pro Murena. *fol. 301. C.* Quintilianus tamen præterea dicto loco scribit: *Et M. Tullius non modo inter agendum nunquam est destitutus scientia juris, sed etiam componere aliqua de eo ceperat.* Voluit eum ibi comparare cum M. Catone, Scævola, Servio Sulpitio, JCtis omnibus; *ut appareat, posse Oratorem non discendo tantum juri vacare, sed etiam docendo.* Caleno autem velut ipsi respondet, Lib. 12 c. 1: *Ego tamen sæpe dixi dicamque, perfectum Oratorem esse Ciceronem & prudentissimum, quorum nihil nisi perfecte sapienti datur. Et tamen is SAPIENTIS, JCTI, sibi nomen (minime sui contemtor,) non asseruit.* Porro c. 2: *neque se tanta in M. Tullio unquam fudisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius naturæ finibus, terminasset.* Hæc sunt magna illa ingenia, quæ angustis terminis contineri nesciunt. Quod fuerit argumentum libri a Cicerone cœpti, Fabius non expressit. Gellius autem *Lib. I c. 22* recitat locum ex alio plane ejusdem libro, qui inscriptus erat, *de jure civili in artem redigendo.* Hunc Gellius ait se vidisse, & legisse, ac verba integra ex eodem affert. *Nihil est autem, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit*, scribit Cicero Lib. 1 de Oratore, (fol. 135, E) Sed & primas lineas artis istius ibidem, ne quis jactantiam meram accuset forte, ducit evidentes. Toto etiam libro illo 1 *de Oratore* in persona Crassi ostendit inertiam & impudentiam istorum, qui volitent in foro ceu oratores humiles admodum, & jura tamen fori, multoque magis, quæ ad jura Imperii ejusque statum publicum tuendum pertinent,

 tinent,

tinent, ignorent. Quæ omnia dicuntur ibi ad convincendum Antonium, quod perperam putaret, fcientiam juris qualemcunque adjunctam effe eloquentiæ, tanquam ancillulam & pediffequam. Ideoque finit ibi fubridens Scævola: ***non tam mihi moleftus fuit Antonius, quod jus noftrum civile percellit,*** (ceu putat) *quam jucundus, quod fe id nefcire confeffus eft.* Vides hic in fine, quæ mens fuerit Ciceronis. Verba Bruti, de claris Oratoribus (fol. 219. E.) *& tu videris mihi tantum juris civilis fcire voluiffe, quantum fatis effet Oratori,* plebejo fcilicet, non videntur dicta ad Ciceronem; quod citra injuriam fieri non poterat. Sed & Servium ftringere volebat Brutus, quafi parum eloquentiæ affumpferit. Statim: *De me dicere nihil eft neceffe. De Servio Sulpitio dicam, non facile quem plus ftudii quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum difciplinas adhibuiffe.* Nunc de utroque: *nam & in iisdem exercitationibus incunte ætate fuimus, & poftea una Rhodum ille etiam profectus eft, longe omnium in jure civili princeps.* Ita refpondendo corrigitur, quod Brutus intemperanter objecerat. Nec putem, Ciceronem *Lib. 1 de LL. c. 4* deftitiffe a propofito fuo, quod tenebat *c. 3.* Quum enim Quintus dixiffet, poffe populo probari, fi, falvis muneribus publicis, ftatim fe ad jus refpondendum, etiam ante vacationem ætatis daret, confentit Cicero, fiquidem nullum effet in experiendo periculum. Sed vereri fe, ne interpretatio juris, quæ quidem minus molefta fit propter laborem, auferat tamen ipfi tempora, ad dicendi cogitationem de caufis ad ftatum Reipublicæ potiffimum deftinata. *Quin igitur,* pergit Atticus, *fuccifivis* faltem *temporibus de jure civili fubtilius confcribis, quam ceteri? Nam a primo tempore ætatis, juri ftudere te memini, quum ipfe etiam ad Scævolam ventitarem, neque unquam mihi vifus es ita te ad dicendum dediffe, ut jus civile contemneres.* Recte autem concludebat Cicero, humiliora effe nunc apud ipfum ifta ftudia, & a fe majora potius præftanda Reipublicæ, donec vacationem ætas ipfa foret allatura. Quumque in Oratione pro Confulatu Murenæ coercere vellet faftum Sulpitii, JCti, qui præferri volebat Murenæ, dixit, *in tam tenui fcientia nullam effe dignitatem confularem*: & quæ fequuntur ibi.

ibidem egregia. *Itaque si mihi, homini* in Republica *vehementer nunc occupato, stomachum ulterius moveritis* tot criminationibus & fastu vestro, *triduo, me JCtum esse, profitebor.* Non jactabat hic, triduo scientiam juris vel exactam vel qualemcunque posse hauriri ab eo, qui istam nunquam antea didicerit, sed sibi, qui a primo ætatis tempore eam teneret, facile fore ostendere ac profiteri, se etiam JCtum esse, ac pridem fuisse, si curas Reipublicæ prius intra triduum posset a se abjicere. *Etenim quæ de scripto aguntur, scripta sunt* in jure *omnia: neque tamen quicquam tamen auguste scriptum est, quo ego non possim, qua de re agitur, addere. Quæ autem consuluntur, minimo periculo respondentur.* Profiteri ergo dudum poterat Cicero jus quotidie, siquidem voluisset. Ceterum neque ultimis temporibus etiam respondebat consulentibus, sed Tusculanas quæstiones vocabat seniles suas declamationes. In eodem §. 46 de Tuberone possis etiam dicere *affectasse* eum scribere eo ipso, dum *sermone antiquo usus est*, ideoque libri ejus parum grati habebantur. Nam in ipsis vocabulis antiquis vitium jam arguebat genius seculi, & ita abundat, *antiqui usus* ea esse. Quantum ad Labeonem §. 47, locus Taciti non probat, oblatum ei Consulatum, sed omni studio accelerasse Augustum potius Consulatum Atejo Capitoni, ut Labeonem dignatione ejus magistratus anteiret. Injuriam ergo passus est Labeo, sed ex eadem etiam commendationem habuit, Atejus odium & invidiam. Suetonius *in Aug. c. 54* omnino non loquitur de isto Consulatu. Stantes itaque fide Pomponii, retinemus lectionem receptam, noluisse Labeonem fieri suffectum Capitoni, quem anteire debebat, fatente Tacito. Et præstat, nullos habere honores, quam contemptos. Certum est, hunc Labeonem etiam aliis disciplinis, præter Jurisprudentiam, (ingenium utpote capitale erat nactus) fuisse eruditum ac tinctum. Atqui superius, *§. 5 p. 27*, indignabamur, si quis in Veterum scriptis nollet ferre geminam particulam. Licebat etiam Pomponio scribere, *& ceteris operibus sapientiæ operam dederat:* quomodo *operis utriusque* mentio fit. §. 46. Ita vero non est eadem particula. Sed nunc ad alias illas disciplinas Labeonis hujus suspicor referri posse omnia ea,

ea, quæ tertio Labeoni tribuit Noster *Theologo*. Nam libros XV de jure pontificali scripsisse hunc filium Labeonis, sponte credam Festo, in *sistere*, & toties alibi. Ex iisdem libris sumpta videntur, quæ de officio auguris allegantur eidem Festo, in *remissio*. Nam & Cicero fuit augur. Ad eadem sacra spectabunt etiam Libri Labeonis, quos ei tribuit Servius, *Æneid. 3. 168*, de *Diis animalibus*; *qui ita appellentur, quod de animabus fiant: hi autem sint Dii penates & vitales*. Augustini verba *de Civit. Dei* deprompta sunt e Ciceronis libro quarto de Republica, quem is habuit forte integrum. Legi ergo ibi c. 9 10, 11, 13, 13, 14, Augustini: cohærent enim inter se. Disputat Scipio ex mente Romanorum adversus cultum Deorum apud Græcos fit que ibidem etiam mentio Labeonis cap. XI & XIV, *quem hujuscemodi rerum peritissimum Romani prædicant*, ait Augustinus, qui inter Græcos & Romanos hic velut personam arbitri suscepit, ut utrosque confutaret. *Labeo*, inquit, *numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diversitate distinguit*. In eadem re ipsius iterum meminit *Lib. IIX, c. 13*: *Platonem inter semideos Labeo ponit*; *qui (Labeo) numina mala aliter placari existimat, aliter bona*. Nemo dubitet, de eodem illo Labeone agi, qui scripsit *de Diis animalibus*, id est, *Semideis*. Atqui Gellius non de Theologo aliquo, sed de Labeone filio diserte, Libr. 13 c. 10: *Labeo Antistius juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publice responsitavit, ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit, & in literas antiquiores* altioresque *penetraverat*. Hæ forte sunt illæ artes. Nam & Atejum Capitonem ajunt scripsisse libros de jure pontificio, & de jure sacrificiorum, apud Rutilium, *c. 48*. Macrobius ipse sane *Libro 3 Saturn. c. 10* Capitoni illi tribuit libros de jure sacrificiorum, & statim Labeonem cum eo comparat, libro sexagesimo & octavo, cujus argumentum fortasse itidem fuit de sacrificiis. Iterum Atejum Capitonem laudat Macrobius *Lib. 7 c. 13*, Pontificii juris inter primos peritum. Scio apud eundem occurrere non semel *Cornelium Labeonem*, qui scripserit Libros Fastorum, & librum de oraculo Apollinis Clarii. De Diis penatibus non ait *Lib. 3 c. 4*, eum scripsisse peculiarem librum

librum, ſed eadem exiſtimare de Diis penatibus cum Nigidio: quod poteſt reſpicere ad alios ejusdem libros. Guil. Grotius etiam *Libr. I c. XII* dubius erat, an verba Auguſtini petita ſint ex iſto Cornelio Labeone, an noſtro Antiſtio. Quæ quum vidiſſet citra dubium Noſter, nec tamen Cornelium appellet, dicendum erit cum Grotio, & Cornelium & Antiſtium ſcripſiſſe aliqua ejus generis. Ludovicus Vives recte ait, ad Auguſtinum, tres fuiſſe Labeones, *maxima juris civilis ſcientia præditos.* Horum primus forte Q. Fabius Labeo, Ciceroni commemoratus, de quo tamen hic non agimus. Pergit Vives: *ſed unus omnium doctiſſimus Antiſtius Labeo, Trebatii diſcipulus, & plane polybiſtor*, ad *Lib. 2 c. XI de civit. Dei.* Fretus erat teſtimonio Gellii. Nec mirum, in hunc JCtum cecidiſſe iſta etiam ſtudia ſacra. Nam & Trebatium, præceptorem illius, ſcripſiſſe libros decem, ſi non amplius, *Religionum*, teſtatur Macrobius, *Saturn. Lib. 3 c. 3.* Forte autem is iterum diverſus eſt a noſtro Trebatio, & iterum alius quidam Theologus; quod nollem. Didius Julianus Salvio Juliano, autori Edicti perpetui §. 47. ejusque genti decus an maculam attulerit, anceps eſt: certe ſcriptores hiſtoriæ Romanæ confudit; quæ res paulo altius repetenda. Nam Spartianus in vita hujus Didii Imp. recte ſcripſit, *magis nobilem eum feciſſe Salvium Julianum, utpote bis Conſulem, præfectum urbi, & Jurisconſultum,* (e quibus verbis triplici de cauſa nobilem nolim facere.) Caſaubonus in Comment. ſtatim: *adeo quidem* nobilem fecit, *ut Græci ſcriptores nonnulli ipſum quoque appellent τὸν νομοθέτην, quaſi ipſe fuerit autor Edicti perpetui.* Ingens poſtulatum. Quinam ſint enim illi ſcriptores Græci, pervelim ſcire. Dio Caſſius in excerptis Peireſcianis, ὁ Ἰουλιανὸς ὁ Δίδιος ἦν τὸ μὲν γένος βουλευτικὸς, τὸν δὲ τρόπον δεινὸν ἔχων, *Didius Julianus genere quidem fuit ſenatorio, ceterum moribus perditiſſimis.* Herodianus, ſuppar Dioni, & Zoſimus, ne Senatorii quidem generis meminere tantoque minus eum appellant νομοθέτην, ſed totum ſceleſtum. Eutropius igitur neſcio quem ſecutus eſt, cum eum appellat *Salvium Julianum, virum deinde nobilem & jure peritiſſimum. Nepos*, addit, *Salvii Juliani, qui ſub D. Hadriano perpetuum*

Q Edi-

Edictum composuit. Recte nepos vel abnepos illius autoris, & hactenus nobilis: reliqua corrupte & a Spartiano non accepta. Nam & in nomine *Salvii* erravit; (quia Didius a patre nominabatur) quodq; Spartianus dixerat de proavo materno, qui nobilem fecerit Didium sanguinis propagatione, id Eutropius de moribus videtur accepisse, tribuitque ei etiam laudem JCti ideo quod proavus maternus Spartiano talis esset. Nec novum, postea metaphrasten Pæanium similiter κατὰ πόδα secutum. Suspecta est nimium tota narratio Eutropii, atque ideo etiam subito abrumpitur. Deceptus igitur est æque Hieronymus ab Eutropio, cum in Chronico scriberet: *Pertinax occiditur in Palatio, Juliani jurisperiti scelere*, quod vidit quidem Josephus Scaliger fol. 227, sed per Eutropium hic peccatum esse ab Hieronymo, non annotavit. Eusebius autem in Chronico Græco appellavit simpliciter *Julianum, qui vocatur Didius*. fol. 83. In ejusdem Canone Chronico plane is omittitur, fol. 216. In Epitome fol. 273 similiter nominatur Didius tantum Julianus, ὁ καὶ Σίλβιος, i. e. Salvius, a gente Salvia. In Chronographia Nicephori *f. 304* & in Synagoge historiarum *f. 392, 393* iterum ille omittitur. Quæ eo dicimus, ne quem Hieronymus Eusebiusque fallant, sicut Ægidium Menagium c. 24. Pudet etiam referre, quid Cedrenus *f. 207* & Zonaras *f. 215* de hoc Didio narrent. Atqui hi omnes Græci scriptores sunt. Hieronymum sequitur apud Menagium Aurelius Victor Junior in epitome: *Didius Julianus imperavit mensibus septem*, imo duobus: *vir nobilis, JURE PERITISSIMUS, factiosus, præceps, regni avidus*. Putabat ergo, addenda esse vitia de suo etiam quædam, ne plagium ex Eutropio nimis elucesceret. At Victor Schotti ante illum epitomatorem & ante Hieronymum æque errabundus scripsit hic. Stamus enim non parum judicio Reinesii nostri, *Spartianum & Eutropium*, addo *Victorem utrumque, ab istis temporibus remotiores, audita tantum & aliena in scripturas retulisse. Var. Lect. L. 3 c. 2 p. 342*. Spartianus lapsus est in stemmate Imperatoris: Aurelius uterque & Eutropius Spartianum obiter inspicientes putabant, etiam Didium esse JCtum sicut Salvium. Nec adeo miremur ab initio statim

Afrum

Afrum quærere: *Didius, an Salvius? Julianus.* Audierat apud Spartianum de Salvii Edicto perpetuo. Recte ergo *Genus ei pernobile.* De præfectura tamen Vigilum nihil apud Spartianum, qui non præteriturus videbatur hunc gradum. *Juris urbani præstans scientia,* non potest exaudiri de tota gente Salvii Juliani. Loquitur enim de persona Didii, *genus EI pernobile*; similiter ergo, *ille* etiam *sua quasi virtute* sciens juris. Hæc cum crederet Victor vera, quæ tamen oppido falsa, neque haberet accuratum Scriptorem Romanum præeuntem, & Spartianum desereret; iterum confudit Salvium cum Didio: *quippe qui primus composuerit.* Doctissima Anna ipsa Fabri vidit, verba, quæ sequuntur, non posse divelli a persona Didii: *Hincque satis compertum, eruditionem imbellem esse,* moribus pravis. De toto genere, vel etiam de Salvio nostro ipso, nemo hæc putabit intelligi. Sed nec reliqua: *cum præceptor, & asper quidem, rectius vivendi*: nil poterat gloriosius dici de Didio, intuitu Edicti perpetui, sed autor illius falso supponitur. Facinus vero Didii procul a Salvio: ergo & laudes hæ procul a Didio. Erravit porro, confundens Pescennium cum Severo. quæ omnia quum inter istos historicos controversa intelligeret doctissimus Historicus, Dn. Chevreau, rectius omisit ista plane. *Tom. II Hist. du monde* p. 404. Finio tamen cum Illustri Viro, *qui melius conjecerit, is Phyllida solus habeto.*

ORIGINES ECCLESIASTICÆ OR THE Antiquites of the Christian Church.

i. e.

ANTIQUITATES ECCLESIÆ CHRISTIANæ. Volumen V, uno libro constans. Autore JOSEPHO BINGHAM, Rectore Headborna-Worthensi.

Londini, apud R. Knaplock, 1719, 8.

Alph. 1.

Clarissimus, & in antiquis Ecclesiæ monumentis versatissimus Binghamus Vol. IV, sive Lib. X, XI, XII Antiquitatum Ecclesiasticarum, quas in Actis A. 1716 p. 474 seqq. enarravimus,

mus, exposuerat, quomodo homines olim per varios Catechumenorum, Baptismi, & Confirmationis gradus in Ecclesiam Christianam recepti fuerint. Nunc ad rationem colendi Deum, quam in Ecclesiam admissi secuti sint, pergens, Volumine hocce quinto, sive Lib. XIII, generatim quædam ad cultum divinum, nomina nempe illius, objectum, linguam, liturgias, habitum item, gestus & tempus spectantia observat. (p. 1 sqq.) Itaque Cap. I illum missæ, sacrificii, sacramentorum, cursus Ecclesiastici, λειτουργίας, ἱερουργίας, ἱερῶν, μυσταγωγίας, Litaniarum nominibus olim venisse, ostendit, eademque nomina ab ambiguitate sua liberat. Ubi præcipue quidem notanda, quæ de Litaniis habet. (20 sq.) Docet autem, ab initio quasvis preces Litanias veteribus vocatas; (22.) Basilio autem Ep. 63 ad Neocæs. ita dici peculiare aliquod precum genus, non ita diu exortum, atque adeo falli, qui Mamercum, Episcopum Viennensem in Gallia, litanias sensu novo in Ecclesiam primum introduxisse credant. Falli præterea, qui Mamercum, certe in occidente, primum earum autorem fuisse afferant; cum Sidonius Appollinaris diserte dicat, quod (23.) non illarum, sed Rogationum festi autor extiterit, illisque adjunxerit Litaniarum usum, quæ diu ante, quamvis non ita solennes, nec ad statum tempus fixæ fuerint, sed, prout necessitas (24.) postulaverit, usurpatæ. Imo, si Savaro recte judicet ex Augustino, festum Rogationum quoque diu ante in Ecclesiis Africanis observatum esse. Interim a Mamerci tempore dies Rogationum & Litanias magna solennitate celebratas deprehendi. (25.) Cumque Concilium Gerundense secundam Litania[illegible]alendis Novembris, & Concilium quintum Toletanum a die Iduum Decembrium Litaniam triduo ubique peragi jusserint, sextum præterea Concilium Toletanum decretum antecedentis Concilii de Litania confirmaverit, & decimum septimum singulis mensibus Litanias fieri decreverit, tandem gradatim illas singu- (26.) lis hebdomatibus, diebus Mercurii & Veneris, habitas esse. Quantum ad Litaniam Septiformem Romæ a Gregorio M institutam, & Walafrido Straboni Litaniam majorem nuncupatam, Noster erroris illos arguit, qui eo nomine Romanas Litanias a Litaniis Mamerci, quas minores appellent, distinctas fuisse arbitran-

litrantur. Observat nimirum, scriptores Gallicos ejusmodi distinctionem non admittere. Cellotium dicere, quod Rogatio sive Litania Mamerci antiquis ipsorum autoribus non minus Litania major audiat, quam Gregorii Litania, quodque hæc exigui apud ipsos usus fuerit. Hoc certum esse, quod Concilium Moguntinum, & Capitulare Caroli M. nomen Litaniæ majoris propriis ipsorum Rogationibus ante Ascensionem tribuant. Litaniam autem minorem, cujus mentionem nonnulli faciunt, a majori in eo differre conjicit, quod major Litania dicta sit, qua plebs Christiana unicuique petitioni prolixioris & solennioris supplicationis *Kyrie eleison* addiderit, minor autem, qua in omnibus officiis divinis, quotidie peractis, candem formulam seorsim a prolixioribus illis supplicationibus usurpaverit. Quod autem posteriori modo formula illa adhibita sit, ex Concilio Vasensi II, can. 3 probat. Porro de majoribus Litaniis refert, quod aliquando exomologeses dictæ, iisdemque processiones, licet sine omni superstitione, additæ sint. Cap. II objectum cultus divini considerans, præclare demonstrat, quod Christiani trium priorum seculorum Christum ut creatorem suum & verum Deum Patri æqualem divino honore sint prosecuti, quodque idem honor Spiritui S. tributus sit. Declarat præterea, qua ratione Canon 23 Concil. Carthag. III decernat, omnes preces coram altari ad Patrem dirigendas esse. Quo vero argumentum, quod inde pro confirmanda vera Christi Deitate desumit, eo majus pondus accipiat, Cap. III evincit, quod in antiqua Ecclesia Christiana præter verum Deum nec ulla creatura, neque sancti & angeli religioso cultu sint adorati. Et tribus quidem hic utitur argumentis. Primum est, quod antiqui generatim sese adversarios declaraverint adorationis vel cultus illius, qui non est Deus. Secundum, quod speciatim rejiciant cultum sanctorum & angelorum. Tertium, quod hæreticos atque gentiles ob ejuscemodi cultum idololatriæ reos pronunciaverint. Cap. IV monstrat, quod cultus divinus vulgari semper lingua, populo intellecta, fuerit habitus; neque solummodo ex claris veterum testimoniis, sed etiam (2) ex eo, quod populus Christianus una voce in Ecclesia cantaverit, precatus sit,

p. 27.
28 sq.
31 sqq.
6 sqq.
70 sq.
73 sqq.
75 sqq.
83 sqq.
91.
92.

p. 94 sqq. atque responsa dederit: (3) quod Patres frequenter illum exhortati sint, ut cum attentione audiret, legeret, oraret: (4)
96. quod iidem in homiliis suis sæpius provocaverint ad preces Ecclesiæ, & lectiones antea habitas, tanquam res populo cognitas: (5) quod Scripturæ a primis Ecclesiæ incunabilis in omnes linguas translatæ sint: (6) ex usu interpretum in Ecclesia: (7) ex
98.
100 sqq. consuetudine, qua Biblia in privatum populi usum in templis fuerint collocata: (8) ex potestate legendi Scripturas in lingua vernacula omnibus concessa, & non nisi gentilium persecutoribus ademta: (9) ex libertate, qua & infantibus & catechumenis una in Ecclesia precari, & Scripturas legere licuerit: & (10) deniq; ex forma & tenore ordinationis lectorum in Ecclesia. C.
106 sqq.
109 sqq. V de usu & origine Liturgiarum disquirens, putat, quod, quousque extraordinaria Spiritus S. dona in Ecclesia viguerint, preces & hymni immediate a Spiritu S. inspirati partem divini cultus constituerint; sed, illis cessantibus, Ecclesiarum Præsules ordinem sacrorum juxta prudentiam Christianam instituisse. Et ab initio quidem unumquemque Episcopum facultatem ejus in propria Ecclesia sua habuisse, posterioribus autem seculis Episcopos liturgias suas ad normam Ecclesiæ Metropolitanæ, ad quam pertinuerint, composuisse. Licet autem nulla hodie antiqua Liturgia adhuc integra extet, (cujus rei rationes quoq; Noster erudite investigat) tamen in antiquis Patrum monumentis tantum e liturgiis residui mansisse, ut perspicere inde possimus, & quod Ecclesiæ fixus sacrorum ordo fuerit, & quanam methodo in præcipuis divinorum officiorum partibus usa sit. Ipsos Apostolos, præterquam quod ad solitam Judæorum liturgiam in templo & Synagogis sese conformaverint, etiam, non obstantibus extraordinariis donis, alias quasdam regulas & exempla in cultu divino secutos esse. Et huc quidem Cl. Autor referendam censet orationem Dominicam, modum administrandi Baptismum, formulas professionis fidei in Baptismo, & renunciandi Satanæ, & fœdus pangendi cum Christo, certos item hymnos, & Psalmos Scripturæ, doxologias, benedictiones, & tandem repetitionem historiæ institutionis cœnæ Dominicæ, tanquam necessariam consecrationis ejus partem. Et sic etiam vestigia monstrat,
115.
116 sqq.
119 sqq.
123 sqq.
130.
132 sqq.

quod

quod post Apostolorum ætatem Christiani tribus vel quatuor prioribus seculis juxta certam normam sacra celebraverint. Cumque eruditi in votis habuerint, ut aliquis varias antiquæ Liturgiæ partes & officia ex Chrysostomo colligeret, industrius Binghamus noster desiderium illorum explet, & Cap. VI ex singulis Chrysostomi Voluminibus eo spectantia recenset. Cap. VII usum orationis Dominicæ in Liturgia antiquæ Ecclesiæ edisserens, planum facit, quod a Patribus habita fuerit pro tali orandi forma, quam Christus omnibus discipulis suis injunxerit, ut iisdem verbis adhiberent, quibus ipse illam docuerit, & hinc etiam in omnibus sacris officiis, baptismo, eucharistia, precibus matutinis & vespertinis, sacris item privatis usurpata, eanque ob causam oratio quotidiana dicta sit: quod hæretici præterea atque schismatici illa usi sint: & Patres denique illam tanquam spiritualem & efficacem orationem vel maxime commendaverint, usumque ejus non nisi fidelibus & baptizatis concesserint. Cap. VIII ad habitum, gestus, aliosque ritus & ceremonias, in divinis olim officiis solennes, sese convertens, de distincto habitu in seculo Apostolico, & duobus sequentibus, nihil certi occurrere, contra Pontificios arbitratur. Quarto autem seculo in vestimentis distinctionem fuisse factam. Constantinum enim Macario vestem auro splendidam donasse, quam in administratione Baptismi induerit; ut plura eam in rem memorata taceamus. Quantum ad gestus in cultu divino observatos, probat, totam Ecclesiam diebus Dominicis, & quinquaginta diebus inter Paschatis & Pentecostes festum, in memoriam resurrectionis Jesu Christi, stetisse, aliis temporibus flexis genibus adorasse, & capite semper inclinato benedictionem Episcopi vel sacerdotum accepisse. In extraordinariis humiliationibus Christianos humi prostratos jacuisse. Assidendi autem sacris morem veteribus non fuisse licitum. Nonnullos, positis penulis, orationem fecisse, & cum lavacro totius corporis aquam sumsisse, sed propterea superstitionis a Tertulliano notatos. Capite nudo interim preces fieri debuisse, imo easdem sublatis, & expansis aliquando in modum crucis manibus factas, sed theatrales omnes gesticulationes damnatas esse. Reges coronis armisque

Marginal notes: p. 197 sqq. — 232 sqq. — 236 sqq. — 241. — 242 sq. — 244 sqq. — 249. — 250 sqq. — 255. — 259 sqq. — 262. — 263. — 264 sq. — 266. — 267. — 268 sqq. — 270 sqq. — 274.

que depositis, sine satellitio, & monachos Ægyptios sine calcei
p. 275. templa intrasse. Episcopum sacras ædes ingressum populum
276 sqq. salutasse solenni formula, *Pax vobis.* Et plebem eleemosynas distribuisse pauperibus, ad portas templi stantibus. Eandem in templis versus orientem adorasse. Cap. IX de temporibus sacrorum conventuum, & variis divini officii partibus, disserens,
281 sq. non alienum sese ab illorum sententia declarat, qui statuunt, Christianos tempore Apostolorum quotidie, magis tamen solemniter die Dominica, & postea, invalescentibus persecutioni-
283 sqq. bus, eadem tantummodo die convenisse. Nec longe *post Justinum Martyrem* ait consuetudinem ortam esse, diebus Mercurii & Veneris cœtus sacros instituendi. Et dies illas stationum dies, semijejunia item, & jejunia quartæ & sextæ feriæ dictas esse, quod iis usque ad horam tertiam pomeridianam congregati fuerint. Cumque iisdem communio semper fuerit celebrata, probabile esse, quod illis etiam multum temporis Psalmodiis, privatis precibus, & peccatorum confessionibus insum-
286. tum sit. Diem Saturni in Latinis Ecclesiis pro jejunio, at in
288. Græcis omnibus pro festo habitum, & differentiam inter Sabbatum & diem Dominicam hanc fuisse, quod illa laborare, hac la-
289 sqq. bore omni abstinere debuerint. Duos illos festos hebdomadis dies præcessisse vigilias, per maximam noctis partem celebratas, Græcisque propterea *παννυχίδας*, & Latinis *pernocta-*
294 sqq. *tiones & pervigilia* dictas. Præter statas autem vigilias istas alias, anniversariis martyrum memoriis consecratas, singulis fere hebdomadibus observatas esse. Solennes quoque con-
299. ventus Christianos tempore quadragesimæ, & quinquaginta diebus, qui a Paschate proxime sequebantur, agentes & precibus
300 sqq. & sermonibus sacris vacasse. Preces publicas matutinas & vespertinas, singulis diebus in Ecclesia fusas, quod inde a tempore
303 sqq. Tertulliani servatum. De horis canonicis doctissimus Autor statuit, quod tribus prioribus seculis non publicæ sed privatæ preces illis peractæ sint, sensimq; in Ecclesiam invectæ, regulis monasteriorum orientalium originem debeant. Tum quid specia-
309 sqq. tim in illis observatum sit, exponit. Denique Cap X & XI or-
316 sqq. dinem quotidiani officii, matutini & vespertini, ex Constitutionibus

ribus Apostolicis recenset, easque in variis hujus officii partibus cum aliis antiquis Ecclesiæ monumentis comparat, atque hac occasione originem conventuum antelucanorum explorat. Ceterum sextum harum Antiquitatum Volumen, pariter jam editum, quo Cl. Binghamus Missam Catechumenorum atque Fidelium non minori diligentia & eruditione persequitur, proxime recensebimus.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE DES Sciences, A. 1716.

hoc est,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum A. 1716, cum Commentariis Mathematicis & Physicis ejusdem Anni.

Amstelodami, apud Petrum de Coup, 1719, 12.

Alph. 1 plag. 2 Tabb. æn. 9.

HOc anno 1716, autoritate Serenissimi Ducis Aurelianensis, a morte *Ludovici XIV* vicaria in Gallia sceptra tenentis, in Academiæ Regiæ Scientiarum forma quædam immutata fuere. Nimirum numerus honorariorum & associatorum nulli certo scientiarum generi addictorum auctus & classis viginti Adjunctorum personalium suppressa, in ejus vero locum nova 12 Adjunctorum classis surrogata, ita ut duo sint Adjuncti Geometriæ, duo Astronomiæ, duo Mechanices, duo Anatomiæ, duo Chymiæ, duo Botanicæ: has nempe scientias excolit Academia Scientiarum. Sancitum etiam est, ne Clericus regularis unquam locum obtineat in numero honorariorum & stipendiariorum, a qua classe posteriori etiam associati excluduntur. Adjunctis non conceditur votum, nisi quando de Scientia agitur. Quotannis a Rege eligetur Præses & Vice-Præses ex numero honorariorum, itemque Director & Sub-Director ex numero stipendiariorum. Hisce præmissis ad ipsum operis recensionem progredimur. In Physica generali *Maraldus* describit phænomenon luminosum septentrionale, quod A. 1716 d. 11 April. hor.

 10 vesp.

10 vesp. 30' observatum, vulgo *Auroræ borealis* fert nomen. Cum de eodem ex alio phænomeno ejusdem generis multa jam dicta sint in Actis A. 1716 p. 357 & seqq. id unicum hic annotasse suffecerit, quod ex diversis circumstantiis in diversis locis eodem tempore observatis concludat *Maraldus*, phænomenon eodem tempore in diversis locis observatum non fuisse numero, sed saltem specie idem: id quod etiam de phænomeno in Actis loc. cit. relato annotatum est a *Cl. Wolfio* p. 366. Lapides ex massa fluida aut molli formatos probat *Fontenellius*, quod heterogenea iis inclusa reperiantur. *Godofredus* autem de eorum genesi hypothesin aliquam proponit, quam *de la Hire* junior observationibus quibusdam non ex asse satisfacere monstrat, etsi eidem favere videantur. A die ultima Novembris usque ad d. 2 Dec. mare sæviens inundavit loca humilia in Normandia inferiore, affluxu continuo existente sine ullo refluxu. Quantitatem aquæ pluvialis A. 1716 observavit *de la Hire* 17 digitorum & 6½ linearum; declinationem acus magneticæ d. 30 Dec. 11° 10'. Ut autem hanc declinationem ea, qua decet, accuratione observare possis, constructionem instrumenti necessarii seu pyxidis magneticæ huic scopo sconducentem describit. Monet inter alia, thecam, cui acus includitur, optime ex marmore fieri, cum lignum rectitudinem non servet in humiditatis ac siccitatis variationibus, orichalcum subinde aliquid ferri admixtum habeat: meridianam lineam ultra thecam produci debere, ut scilicet pyxidem super linea meridiana in plano immobili ducta exacte constituere liceat, optimas esse acus, quæ ex filo chalybeo parantur, nec multum ponderant; cavendum denique, ne per rimam inter vitrum & pyxidem ventus in thecam ingredi possit.

In *Anatomicis* herniam umbilicalem monstrosam describit *Mery*. Observata fuit in infante, quæ 15 horas auram vitalem hausit. Etsi apertura umbilici non haberet diametrum 15 lineis majorem, hernia tamen includebat pulmones, jecur, ventriculum & intestina omnia. Monstrosam appellat herniam, quod, ipso judice, fuerit vitium conformationis. Quæ de arte præparandi uniones adulterinos commentatus est de *Reaumur*

aumur

cumur, inter Anatomica locum habent, quia colorandis iſtis adhibetur materia a ſquammis albulæ, qui eſt piſciculus Sequanæ incola, ſeparata, atque hac occaſione de ſquammarum formatione generatim diſſeritur. Idem reſpondet ad difficultates, quas contra ipſius hypotheſin de formatione concharum limacum A. 1709 propoſitam objecerat *Mery* anno proxime ſequente. *Deslandes* ſiſtit fœtum omni oſſium articulatione, conſequenter motu inde pendente, carentem. *Morinus* alium deſcribit fœtum monſtroſum, qui conſtabat ex duobus truncis communi umbilico gaudentibus & ultra umbilicum non continuatis. Scilicet videbantur quaſi duo fœtus plano horizontali per umbilicum diſſecti & partes ſuperiores in unum truncum coaluiſſe. Pedes vero cum femoribus averſa parte jungebantur ad angulos rectos. Intus omnia erant geminata, quemadmodum extra. Fœtum extra uterum formatum, placenta ad primam, ſecundam & tertiam vertebram lumborum adhærente, *Martinus* junior, Chirurgus, in ſcenam producit: fœtum vero difformem *Petitus*, qui idem ſuas de functionibus oris meditationes continuat. *Littre* deſcribit difficultatem deglutiendi ortam ex ſpina Cyprini deglutita & poſt quatuordecim menſes fatalem, nutrimento deficiente. Aperuit poſt mortem cadaver & varia ſingularia in eodem notavit. *Petitus* machinam communicat, quam invenit, ad oſſa diffracta ſitui priſtino reſtituenda commodam, cum eam hactenus uſitatas non uno nomine antecellere exiſtimet. *Rouhout* ſtructuram placentæ uterinæ illuſtrat, obſervans inter alia, eam contineri inter duplicem chorii membranam expanſam, & arterias venis perpetuo ſociari, perinde ac in chorda umbilicali obſervamus. Tandem *Petitus* obſervationem de fiſtula ſtomachi exhibet.

In *Chymicis* primo loco occurrunt conjecturæ quædam de origine Salis Armoniaci, quod ex Ægypto ad nos defertur. *Lemery* diverſitates annotat, quæ in ſalium diverſorum diſſolutione ſeſe offerunt.

In *Botanicis* ad præcavendam & ſanandam lepram arborum commendat *Reſſonius*, ut in cortice a ramis usque ad terram inciſio rectilinea fiat menſe Martio vel Aprili, & quidem in fa-

cie a Sole aversa. Idem experientia domestica fretus artem inserendi arboribus gemmas fructiferas perficere studet. Jubet scilicet eas immittere cortici seniori, non juniori, atque ex ramis, quos inter steriles & fructiferos medios statuit ex multiplici folio uni nodo adhærente dignoscendos, sumi illas, quæ triplicatæ compareant. Mediam enim esse ramificationi aptam, binas vero laterales primo statim anno fructus proferre. Immissionem fieri posse circa initium autumni, quando arbores fructibus graves, & ramos veteres demum anno sequente, gemmis progerminantibus, amputandos esse. *Jussieu* describit plantam, quæ *Cereus Peruvianus Tavern. icon. 705* dicitur; *Isnardus* vero novum plantarum genus, quod *Evonymoides* appellat.

In *Geometricis* novam de ratione magnitudinum theoriam promittit *de Lagny*, quam hucusque recepta simpliciorem ac diffusiorem maximæque utilitatis fore confidit. Dividit rationes in diversa genera pro numero divisionum tentandarum, antequam ad communem mensuram deveniatur. E gr. rto 1 : 1, 1 : 2 &c. est ratio primi generis, quia unica divisione ad communem mensuram pervenitur, quæ hic est ipsa unitas. Sed 2 : 3 est ratio secundi generis, quia nonnisi duabus divisionibus absolutis obtinetur communis mensura, quæ denuo unitas est. Specialiora nondum prodidit. Notum est, *Hallejum* in Transactionibus Anglicanis determinasse diversos densitatis aeris gradus in diversis a centro Terræ distantiis, supposita gravitate constante & pressione in ratione ponderum: *Newtonum* vero in Principiis prop. 21 & 22 lib. 2 in hypothesi rationis ponderum comprimentium, sed gravitatis variabilis in ratione reciproca distantiarum a centro cum simplici, tum duplicata. *Varignonius* hanc theoriam reddidit universalem ope formulæ ad modum simplicis. Sit scilicet C centrum gravium, CD altitudo fluidi elastici, e. gr. atmosphæræ nostræ, BC distantia quæcunque a centro $=x$, densitas fluidi seu aeris in $B=y$, vis gravitatis variabilis utcunque $B=z$, porticula Bb infinite parva erit $=dx$, adeoque massa aeris in $Bb=ydx$, pondus $=zydx$, quod cum continuo decrescat, crescente x, negativum esse debet,

D B b C

nem-

nempe $-zydx$. Habemus itaque pondus totale, aeris nempe a B usque ad D protensi $-\int zydx$. Quare cum densitas supponatur decrescere in ratione quacunque multiplicata aut submultiplicata ponderis totalis; habebimus $-(\int zydy)^n = y$, unde tandem reductione ac summatione communi more facta reperitur


$$\int -zdx + q = \frac{1}{1-n} y^{(1-n):n}.$$

Hinc a perito calculi *Leibnitiani* facile deducuntur non modo quæ ab *Hallejo* & *Newtono* aliisque reperta sunt, sed etiam innumera alia ab aliis nondum animadversa. *Saurin* specialia nonnulla annotat circa tangentes curvarum in punctis, ubi plures rami se mutuo intersecant, & incautus formulæ communis, quam calculus differentialis pro subtangente exhibet, usus fallit.

Quæ in *Astronomicis* de mutabililate obliquitatis Eclipticæ profert de *Louville* in Actis anni superioris ipsis Autoris verbis jam proposuimus. *Maraldi* phænomena nonnulla annuli Saturni annotat. Huc pertinet, quod ansa orientalis paulo citius disparuerit occidentali, contra hic sub initium reditus paulo largior apparuerit orientali: quo ipso conjectura *Cassini* senioris confirmatur, quod annulus integer non sit in eodem plano. *Cassinus* theoriam motus Satellitum Saturni condidit & Tabulis exhibuit, juxta quas motus singulorum ad datum quodcunque tempus computari potest. Calculus exemplis illustratur. Determinat etiam distantias veras Satellitum a centro motuum in semidiametris terrestribus. Prodit autem distantia primi 43 semidiametrorum. Frequentes fuere A. 1716 macularum apparitiones, & a 30 Aug. usque ad 3 Sept. octo diversæ congeries macularum una comparuerunt: quæ cum lumen Solis haud sensibiliter imminuerint, pro fabula habet *Fontenellius*, quæ de pallore Solis post mortem Cæsaris tradunt Historici. *Maraldi* varias recenset observationes occultationis Jovis a Luna factæ d. 4 Jan. 1716. *Delisle* disputat contra *Hallejum* de longitudine freti Magellanici.

In *Mechanicis* suas de vortice fluido meditationes continuat *Saulmon*. Theoriam *Blondelli* de jactu bombarum praxi parum respondere didicit *de Ressons*, qui multiplici ac longa ex-

experientia edoctus multa recenset obstacula, quæ effectum desideratum impediunt & regulas eadem evitandi, quantum fieri potest, præscribit. *De la Hire* junior novum describit antliæ genus, quæ aquam continuo expellit, sive embolus attollatur, sive deprimatur. AAA est corpus antliæ, D embolus, C hasta embolo infixa, E tubus per quem aqua attrahitur, F F valvulæ in antliam hiantes, G tubus per quem aqua expellitur, H H valvulæ in eandem hiantes. Cetera intelligentibus ex adspectu figuræ manifesta sunt. *De la Hire*, *Philippi* filius, docet, quomodo structura fenestræ evitari possit, ne pluvia a vento allisa per eam in conclave penetret.



In *Acusticis* experimentis variis docet *de la Hire*, sonum corporis percussi non dependere a vibrationibus ipsius corporis, sed solummodo partium ipsius.

Obierunt A. 1716 *Salvator*, *Parentius* atque *Leibnitius*, qui adeo annus Geometris fuit fatalis.

Josephus Sauveur sive *Salvator* natus est Flexiæ d. 24 Martii A. 1653, patre *Ludovico Salvatore*, Notario. A nativitate usque

usque ad septimum ætatis annum mutus permansit ob defectum organorum vocis. Puer mechanicum egit, construens siphones, fonticulos, molendina. Memoria perinde ac facultate loquendi laborans parum apud Patres Societatis Jesu profecit. A. 1670 Lutetiam Parisiorum venit Philosophiæ ac Theologiæ operam daturus. Illi cum operam daret, intervallo menstruo sex priora Elementa *Euclidis* proprio Marte didicit. A Theologia mox destitit, quod methodus non satisfaceret, itaq; ad Medicinam animum applicuit & *Rohaltium* Philosophiam veriorem profitentem sæpius adiit. *De Cordemoi*, qui Principem Delphinum in Philosophia instituebat, ipsum Episcopo Condomensi postea Meldensi, Principis Regii Præceptori, commendabat, cujus suasu Medicinam missam fecit & Geometriæ se totum tradens alios eandem docere cœpit, præsertim cum avunculus stipendia annua negaret Theologiæ studium deserenti. Vix 23 ætatis annum attigerat, cum inter discipulos *Eugenium* Principem numeraret. Pauca legit; plura meditatus est. Ambire decreverat Mathematum Professionem *Rameam*; sed difficultate loquendi deterritus a consilio mox destitit. A. 1681 *Mariotto* adstitit in experimentis aquarum, & *Ludovico* Principi *Condæo* innotuit. A. 1691 obsidioni Montium interfuit, eaque finita Flandriæ munimenta vidit, artem militarem percepturus. Redux Principes juvenes Mathesin docuit & praxin Matheseos promovit, Mathesin utilem in pretio habens. Speculationi tamen quadratorum magicorum non sine successu diu incubuit. Geometras recentiores scientiam infiniti excolentes *infinitarios* appellare solitus, etsi calculum differentialem ac summatorium non ignoraret. A. 1686 Professionem Mathematum in Collegio Regio obtinuit, non obstante lingua balbutiente. A. 1696 in Academiam Scientiarum receptus, Acusticam excolere cœpit & novum Musicæ systema exhibuit. Cum A 1703 Comes de *Vauban* Galliæ Marefchallus creatus esset, *Salvatorem* Regi commendavit, qui, quod ipse ante fecerat, Architectos militares examinaret. Bis matrimonium iniit: ex priori duos filios, ex posteriori filium & filiam suscepit. Obiit d. 9 Jul. A. 1716, ætatis 64.

An-

Antonius Parent natus est Parisiis d. 16 Septembr. A. 1666. Nondum tertium ætatis annum egressus erat, cum avunculus *Antonius Mallet*, parochus in pago quodam prope Carnutum, curam educationis & vices Præceptoris in se susciperet. Docebat ipsum primas Arithmeticæ regulas, cetera ignorabat ipse, adeoque a puero ex libro addiscebantur proprio Marte, qui adolescens 13 annorum factus in demonstrationes inquirebat. Hoc præceptore vero potissimum in religione ac pietate profecit, unde per totum vitæ tempus praxi Christianismi austeræ incubuit. Anno ætatis 14 Carnuti Rhetoricam didicit & Sphæricam, cum quo posteriore studio Gnomonicam & Geometriam junxit nullo duce. Parisios mittebatur ab agnatis, Juris studio operam daturus; sed ipsemet Mathematicum cum eodem combinavit, & cursu juris absoluto, totum ei se tradidit, etsi parcius suppeditaretur, unde viveret. In Collegio Regio lectiones *Philippi de la Hire* atque *Salvatoris* audivit: mox ipse instituit alios in Mathesi, utque Architecturam militarem melius docere posset, commendatione *Salvatoris*, cum Marchione *d' Alegre* castra bis secutus. Vitam deinde privatam egit, totus in omni studiorum genere, præsertim Mathematico ac Physico. Anno 1699 *des Billets* sibi Adjunctum in Academia Scientiarum adscivit, quod in Mechanica imprimis excelleret. Ibi interdum per præcipitantiam ac subinde nimia vehementia aliis contradicebat. Nemo plura schediasmata Academiæ exhibuit, quam *Parentius*, non ægre ferens, etsi subinde cum severa censura rejicerentur. Exprobrata ipsi fuit obscuritas: sed, ne perirent schedæ, quas Academia ipsi reddidit, eas sub titulo: *Recherches de Mathematique & de Physique* A. 1705 edidit, atque auctiores A. 1713 recudi fecit. Volumina ista paucos invenere emtores. A. 1714 Arithmeticam theoretico-practicam publicavit, ubi catalogum subjunxit schedarum, quas passim in Diariis edidit. A. 1716 d. 26 Sept. ætatis 50 vitam finiit ex variolis. Præter schedas MSC. easque magno numero nihil reliquit, quas inter libri devotionum, vita avunculi sui, Argumenta divinitatis Christi. In sorte admodum modica multum eleemosynarum erogavit.

Elogi-

Elogium *Leibnitii* dedimus in Actis A. 1717 p. 322 & seqq. Cum vero pleraque quæ hic leguntur, etiam ibi a nobis tradita sint, quamvis alio ordine digesta, Lectorem eo ablegare licebit. Ceterum dum Cel. *Fontenellius* controversiam commemorat, quam non nemo *Leibnitio* circa inventum calculi differentialis movit, nullum quidem argumentum omittit, quo Virum summum a crimine plagii, quod ipsi exprobrare ausus est antagonista, liberet; aliqua tamen occurrunt, de quibus hæsitamus. Scilicet 1 asseritur, *Newtonum* nunquam se liti immiscuisse, nec ipsummet *Leibnitio* controversiam movisse. Enimvero contrarium apparet ex literis *Newtoni* contra *Leibnitium* scriptis, quæ idiomate Anglico Historiæ fluxionum, quam vocat, subjunxit *Josephus Raphson*. Sane quicquid protulit Antagonista, idem etiam profertur a *Newtono*, ut aut *Newtonus* repetitorem ejus agat, aut ipse omnia tela a *Newtono* accepisse dicendus sit. Ambo enim uno loquuntur ore. Deinde 2 calculus fluxionum extra controversiam dicitur præcessisse calculum differentialem: quod tamen ex commercio epistolico non apparet. Ex Actis contra manifestum est, *Leibnitium* habuisse verum characterem quantitatum infinitesimalium & per modum algorithmi exercuisse calculum (quæ ipsa naturam calculi fundant, qui tanquam species sub genere sub arte characteristica combinatoria universali continetur) cum tale quid a *Newtono* fieri non constaret, nec tum factum fuisse adhuc probatum est. Quod si amici *Leibnitii* eodem modo cum *Newtono* agere vellent, quo ejus asseclæ cum *Leibnitio* agunt, non deessent, quæ cum ratione retorquerent tela. Cum enim *Newtonus* vocat per contemtum *Leibnitium* secundum inventorem methodi fluxionum; ipsum dicerent secundum inventorem orbitæ Cometarum, quippe cum prior apud nos eandem invenerit ac publicarit *Dœrffelius*. Et licet facile largiamur, *Newtonum* scriptum *Dœrffelii* Germanicum non legisse; in toto tamen invento nihil continetur, quod non desumtum sit ex *Kepleri* atque *Hevelii* Germanorum scriptis, quæ *Newtono* lecta fuisse nemo dubitat. Virium centralium ideam ac æstimandi rationem dici poterat ab *Hugenio* accepisse: quod idem ante eum fecerat *Hookius* & ad motum

Planetarum applicaverat. Quid ni ergo dicere liceret, *Newtonum* Geometriam exercuisse in Hypothesi *Hookiana* mensuram virium centralium ab *Hugenio* edoctum? Enimvero amicorum *Leibnitii* non est aliorum inventa elevare: quin potius virum ultra communem hominum sortem positum imitati eadem prædicando aliis ad præclara præstanda stimulum addunt. Absit itaque ut plura retorsionis etsi in omni jure licitæ indicia prodamus. Missis hisce prædicamus constantiam *B. Leibnitii* in religione. Narrat enim *Fontenellius*, quod ad castra Pontificiorum transire noluerit, etsi lautæ offerrentur in Gallia conditiones, voto ac statui ipsius apprime convenientes.

Gründliche Anleitung zu der Kriegs-Bau-Kunst ꝛc.

i. e.

LEONHARDI CHRISTOPH. STURMII Architectura Militaris Hypothetico-Eclectica.

Noribergæ, impensis Petri Monath, 1719, 4. Alph. 1 cum fig. æneis 41.

EGregie ante hos sedecim annos Fortificatoriam illustravit Cl. Autor editione Architecturæ suæ militaris Hypothetico-Eclecticæ, in 8, in qua si non de omnibus, saltem de plerisque maximeque commendandis muniendi modis perspicue & breviter egit, judiciumque suum de commodis ac prærogativis uniuscujusque eorum ubique interponens & eclectica adeo libertate utens, aliosque a studio sectandi unum quendam ex claris Architectis militaribus ad facultatem cuivis loco & occasioni aptam ex quocunque Autore desumtum modum inveniendi traducens, scientiam suam in hac arte probavit lectoribus adeo, ut libellus ille plurimos emtores invenerit. Unde factum est, ut de nova ejusdem editione Autor cogitaret. In eo vero cum esset, statuit ea, quæ desiderari possent, supplere aut emendare, opusque adeo perfectius & usui publico aptius sistere, idque præsenti editione præstitit. Equidem ducem hujus instituti

tum habuerat anonymum Autorem libri Gallici *Nouvelle Fortification, Francoise, Espagnolle &c.* In eo vero cum desideraret imprimis expositionem modorum muniendi a Germanis inventorum, quibus non exiguam partem perfectionis hujus artis deberi, vel ex hoc Sturmiano opere constat, idem hoc egit, ut cuilibet pro meritis laudes suas tribueret. Dialogorum vero forma scriptum hoc concinnandum judicavit, inque eo non solum, ut diximus, judicium suum de quibuslibet fere fortificandi modis eorumque pretio, usibus aut incommodis prærogativisq; exponit, sed & ubicunque res ferebat, ipsos modos ad majorem perfectionem evehere, defectus eorum corrigere, aut usum eorum extendere ac producere annititur, deque suis ad minimum quinos, si imitationes aliorum connumeres, vel tredecenos adjicit. Distinguit eosdem in *classes*, quarum *prima* modos comprehendit veteres ab *Hispanis* maxime adamatos & inventos, qui in alis propugnaculorum reductis concamerationes, quas *Casamattas* vocant, adhibent, *secunda* modum *Batavicum Freytagianum* eique affines, *tertia* modos qui successerunt huic, alasque secundarias & vallum inferius facierum in priori usitata rejecerunt: *quarta* illorum formas, qui secundarias alas & valla inferiora retinenda censuerunt, sed valli inferioris & magnitudini & formæ correctionem adhibuerunt, *quinta* eorum, qui duplici ordine propugnaculorum munitiones suas eingunt, quæ vocatur *l'ordre renforcé*: *sexta*, qui duplici munimento utuntur, uno minori atque interiori, ut vocant, *reducto*, altero vero majori: *septima* denique classis exhibet eorum hypotheses, qui ab hisce omnibus diversa fundamenta sectati sunt. Inter ipsos illos modos commendandi videntur ei præter ceteros *Anonymi* supra dicti autoris methodus, *Klengelii, Scheiterii, Schœrtii, Pagani* & *Wertlmulleri*, præterea *Heerii* & *Vaubanii* varii modi, omnium vero maxime *Cœhornianus*, qui peculiari libro ab eodem expositus est. *Rusensteinii* formam pro imitatione saltem Paganianæ habet. *Pagano* contigisse primo memorat, ut rationes ejus valerent ad avocandos Architectos militares a cœco Freytagium sectandi studio, etsi ante eum aliqui ex Germanis haud paulo meliora docuerint, nullos sectatores invenientes.

Ozanami, Rogerii, Goldmanni induſtriam, cum in eo ſaltem occupata fuerit, ut menſuras linearum *Vaubanianæ* & *Freytagianæ* methodi concinniores ederent, non magno loco habet, cum ſubtilitates hujusmodi in hac arte nullius momenti ſint. *Blondelliano, Roſettiano*, ipſi alias laudatis modis, nec non *Ruſenſteiniano* perfectiores ex ſuis ſubſtituit. His tamen omnibus præfert *Rimplerianum*, prouti a Noſtro elaboratus atque perfectus eſt: nam Rimplerum deſcriptioni hujusmodi typis quidem impreſſæ nullas tamen figuras adjeciſſe, adque adeo divinationi locum maximum feciſſe, paſſim notum eſt. Defenſionis internæ ad arcendos hoſtes jam partem aliquam urbis ingreſſos in eodem maxime rationem haberi, pariter omnibus conſtat. Et hæc quidem in priori editione maximam partem perſecutus fuerat; in dialogis vero huic editioni recens adjectis commendat non ſolum tabularum ope Trigonometriæ computatarum adque deſcriptionem ipſorum modorum inſervientium, utpote quarumvis linearum & angulorum quantitates exhibentium, utilitatem, quæ quidem in caſibus irregularibus, ubi ſæpiſſime ope lateris polygoni interioris conſtructio abſolvi debet, eſt evidentiſſima; verum etiam ipſas tabulas ad præcipuorum ab ipſo laudatorum modorum deſcriptionem requiſitas exhibet. Tandem etiam profilorum ſeu ſectionum orthographicarum cuilibet autori ex celebratioribus recenſitis propriarum naturam explicat.

M. GEORGII ANDREÆ HELWINGII, PAST. Angerburg. & Reg. Soc. Scient. Berol. Membri, Floræ Campana ſeu Pulſatilla cum ſuis ſpeciebus, methodice conſiderata & interſperſis variis obſervationibus oculis curioſorum expoſita, cum XII iconibus.

Lipſiæ, literis Imman. Titii, 1720, 4.
Plag. 13 Tabb. æn. 12.

PLuribus jam editis, ad hiſtoriam naturæ pertinentibus, opusculis, innotuit diligentiſſimus Autor, cujus etiam Floram quaſi modo genitam, ſive enumerationem plantarum aliquot Pruſ-

Prussiæ, quarum in herbariis aut nulla, aut minus plena facta erat mentio, nec minus Lithographiam Angerburgicam, recensitas dedimus. Nihil inde remisit ab industria, quin ea colligeret assidue, quibus natura Prussiam patriam inprimis donavit: Pulsatillæ, quam Floræ campanam ingenioso commento dicere amat, insigni elegantia, & jucunda varietate, qua in Prussia luxuriat, maxime captus, luculentius ejus imaginem pingere, & usus, quibus hominum sanitati conducit, plenius exponere hic constituit. Duabus vero sectionibus dissertationem divisit, quarum altera, quam Philologico-Botanicam inscripsit, Pulsatillæ nomen, formam, & varias species, altera vires curiose examinat. De nomine varia in primo capite primæ sectionis affert: veteres ignorasse pulsatillæ nomen, non dissimulat, quod barbarum esse origine pronunciat, ab Italis inde petitum, quod seminum pappus leni aura varie pulsari videretur Botanicis, vel, quod Autori non displicet, quod campanæ more anni ostia, ut ait, pulset; & ver instare indicet. Synonyma porro hujus plantæ Cl. Autor ex diversarum gentium linguis sollicite collegit. Ex Græcis Dioscorides anemones speciem fecisse creditur, quam Plinius Limoniam dixit, ex interpretum vulgo sententia: at propter eandem similitudinem, quam cum anemone habet pulsatilla, ranunculis alii accensuerunt, quamvis cum neutra specie omnino integre conveniat. Ut ergo constet certius, ad quam plantarum classem referenda sit, recentiorum inventa probat Noster, quibus certa constituta sunt vegetabilium genera, ad quæ suæ revocantur species per naturæ ordinem: unde celeberrimorum hominum dilaudat industriam, qua feliciter nunc uti Botanicis in digerendis plantis licet. Sicut vero in primis sunt, qui de arte meruerunt egregie, Ammannus e nostris & Rivinus, ita non capimus, quid ab hoc relictum sit aliis, Morisono, Rajo, & præcipue Tournefortio, quod perficerent. Id certe, quod plantas huc usque cognitas non solum in certa capita collegerunt, verum etiam in sua genera, singulorum propriis notis recensitis, ita distinxerunt, ut facilis jam, ad reliquas orbi erudito adhuc incognitas plantas gradus studiose quærentibus ostendi possit, acutissimi Rivini invento non est

posterius, uti Autor quidem censet; sed, quod hic ipse felicissimo conatu egit, idem & aliis, si, quæ clare ab ipso tradita sunt, satis capiant, præstare non erit arduum. Ad definitionem inde pulsatillæ Autor progreditur, & postquam non exiguo apparatu plurimas descriptiones congessit, & singulas excussit, tandem Tournefortianam reliquis præfert, quamvis nec illam satis ad palatum esse prodat. Est igitur planta flore rosaceo, plurimis petalis in orbem positis constante, ex cujus meditullio surgit pistillum staminibus plerunque obsitum, quod abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur semina, in tenue capillamentum desinentia. Cujus definitionis singula momenta Autor operose satis, collectis quæ ab aliis dicta sunt, per hoc caput II explicat. Hinc cap. III natale pulsatillæ solum perquirit, quale pleriq; arenosum, in montibus & sylvis, constituunt, a quibus nec Noster videtur longe discedere, quando Prussicas pulsatillas in pinetis & ericetis solo clivoso & montano germinare asserit. Tempus floris ver est, cujus nuntia esse dicitur cap. IV campana Floræ, quamvis nonnullæ ejus species Julio mense luxurient, imo etiam alia autumni decus sit. Capite V variæ recensentur species, in quibus enumerandis, alios vel falsos esse, vel minus perfectos, Autor monet, & omnium, juxta diligentiores descriptiones, veras imagines, æri incisas, singulari cura exhibet. Prima species est anemones secundæ folio, seu subrotundo, in qua describenda Bauhinus & Jo. Rajus non omne punctum tulerunt, ad quam etiam pulsatilla polyanthos anemones folio pertinet, quam Autor ex Cl. Breynii exoticis huc transtulit, & quam loco quarto depingendam curavit flore obsoleto caule nudo, quæ pariter debetur Breynio. Nova autem species est candido flore, anemones folio, cum qua illa conjungenda, quæ intus alba quidem est, aversa tamen parte cœrulea, quæ inter reliquas raro eminent. Hanc excipit pulsatilla anemones folio flore laciniato, & illa quæ folio convenit, flore vero duplice est conspicua, quæ quidem haud dubie lascivientis sæpe naturæ proles est. Aliæ, quæ vel solo colore, vel levi petalorum forma diversæ sunt, peculiarem locum non postulant. Postquam ergo recensitæ sunt pulsatillæ species, quæ anemones folio

lio insignes sunt, sequitur pulsatilla folio crassiore, & majore flore, & iterum illæ, quæ apium folio referunt, quarum autumnalis, quæ tertia in ordine, florendi tempore a reliquis diversa est, cujus imago non comparet inter reliquas. Sed pulsatilla flore clauso obsoleto, petalis reflexis sequitur, quamque suppeditavit Breynii studium, & huic connectitur illa, quæ florem minorem nigricantem obtinet. Quibus indigenis suis, & quas ipsi oculis usurpare licuit, subjungit Autor exoticas quasdam, ex C. Bauhino maximam partem repetitas. Et inde ad secundam operis sectionem, quæ est practica, properat, vim pulsatillæ medicam demonstraturus, quo appareat, plantas creatorum, & in primis hominis gratia factas esse. Quamvis vero quæ in medium hic de usu medico profert, maxime artis filiis debere se profiteatur, Autor de suo tamen aliquid esse additum, non negat. Est vero ex numero acrium, & nisi rite præparetur deleteriorum, in tempore vero & caute satis adhibita contra pestem alexipharmaca; pro mundandis deniq; vulneribus inprimis valet. Ceterum nihil omisit Autor eorum, quæ ad illustrandum pulsatillam pertinent: sed nobis plura inde adducere non licet.

JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, Foroliviensis, in Patavino Gymnasio Primarii Anatomes Professoris & Præsidis, Adversaria Anatomica omnia.

Patavii, apud Josephum Cominum, 1719, 4 maj. Alph. 3 plag. 19 Fig. Tabb. 11.

QUæ Clariss. Autoris *Adversaria anatomica* exactioris Anatomiæ cultores ardenter adhuc expectarunt, in lucem tandem cuncta sex anno elapso prodierunt, in fronte cum nobilissimi *Vulpii*, Prosectoris publici, *Præfamen ad Lectorem*, tum *generalem Rerum & Nominum Indicem* exhibentia. Ex illo namque, quod luculentius mira *Nostri* sedulitas in monumentis etiam Veterum scrutandis, cadaveribus innumeris dissecandis, Figurarum Tabulis per Pictorem peritissimum delineandis ipsis-

ipsisque quinque Adversariis in Mangeti Theatrum anatomicum inter adversæ valetudinis fere assiduas molestias celerrime exarandis elucescit, eo promtius pariter quamplurimæ observationes, tam Veterum, nunc docte restitutæ, nunc apte correctæ, quam novæ prorsus, ad Anatomen quidem præcipue, subinde tamen ad Chirurgiam quoque & Praxin medicam spectantes, una cum multis nunnullorum Autorum in dicto Theatro transscriptorum erratis, a quolibet deprehendentur, qui omnia omnibus Adversariis comprehensa diligentius perlegere aut præfixum saltem rerum Indicem percurrere haud gravabitur. Postquam vero *tria Adversaria priora* in Actis A. 1708 p. 29 Supplement. Tom. V p. 217 & A. 1719 p. 442 a nobis jamjam excerpta leguntur, ad *quarta Adversaria* recta in præsenti pergimus, modo in margine Adversariorum primorum, nunc accuratiorum, multa loca pro iis confirmandis ex reliquis Adversariis ab Autore adscripta, secundis vero & tertiis Adversariis duas Figurarum Tabulas cum suis Explicationibus adjectas fuisse, simul innuerimus. Complectuntur nempe ista *L* itidem *Animadversiones in Partem II Theatri anatomici Mangetiani*, temperatiori tamen stylo cum reliquis signatas, quod *Blancui* atque *Mangetus* celeberrimi Lancisii aliorumque amicorum interpositione post ingenuam culpæ confessionem ex Præfatione Vulpii quatuorque Epistolis præpositis Nostro videantur reconciliati. Mangetum equidem Genitalium Anatomen Graufii potius verbis, quam suis, tradere, iisque, tanquam telis, varia post illum detecta intexere, in *Animadversione* I haud improbatur, Notulas nihilominus pro recenti rerum copia perpaucas omnino appositas occurrere desideratur, quæque circa tres testiculos, scroti ac testium tunicas, nec non septi scroti inventores, nequaquam omittenda fuissent, candide indigitatur. Magis vero Noster in *Animadversione* III miratur, nec a Graufio, nec a Swamerdamio, nec ab aliis, qui aliquid postea in urethra aut ad urethram virilem invenerunt, in ipsa caruncula, quam caput gallinaginis vocant, præter duo foraminula lateralia, ceu ductuum seminalium oscula, intermedium tertium, sæpe superius aut inferius, aliquanto majus fuisse annotatum, quod tamen

men ante novem aut decem annos ipse forte conspexisset & cum peculiari sinu, cum ductibus seminalibus aliquando, non semper communicante, detexisset ac in duabus Figuris Tabulæ subjectæ depinxisset. In *Animadversione* V Septum penis Nostro haud videtur pars a duobus corporibus nervosis distincta, sed tantum amborum, qua se contingunt, parietes in unum juncti & magis magisque, quo propius ad glandem accedunt, extenuati & demum ferme deficientes. Inflatis tamen corporibus nervosis spongiosam urethræ partem statim etiam intumescere & contra, pro certo tanto minus affirmari posse, quanto rarius hoc cum sibi, tum Ruyschio, successisset, utpote ad cujus observationem substantia glandis non nisi ipsius urethræ spongiosæ magis expansa promte, tam sectione simplici, quam injectionibus variis, demonstrari, ac Verheynius, cellulas hujus substantiæ minus sanguine refertas afferens, evidenter erroris convinci posset. De glandulis porro, quas Terraneus circa urethram, tum Adstites conglomeratas, tum disgregatas salutavit, atque Inventoris ad instar in aliqua Tabula repræsentavit, in *Animadversione* XVI ac tribus insequentibus tot monentur, ut Terranei Figura Mangeto jam A. 1701 neutiquam communicata, Adstites conglomeratæ cum Cowperi glandulis mucosis eædem, minores glandulæ Nostro ante eum haud incognitæ, majores urethræ canaliculi, veluti prima gonorrhϾ virulentæ sedes injectiones balsamicas cum fructu admittentes, penitus ab ipso neglecti, ductus autem minores perverse delineati, præter multa alia, clarissime appareant. In *Animadversione* XXIII varia commemorantur, quæ Autori nunc circa pudendi muliebris nymphas, nunc circa hymenem, licuerit observare: in vulgatissimi nempe scorti cadavere nihil prorsus nympharum apparuisse, contra in virginum dissectione præter nymphas superiores mediocres in imis pudendi lateribus duas alias parvulas quasi nymphas ter conspectas fuisse; in puellis itidem recens præsertim natis semel hymenis foramen ab illa parva quasi instita in duo fuisse divisum, eam vero, quam præter annulum in virginibus olim posuit, infimæ vaginæ angustiam & semper innotuisse, & in tribus nuper habitis dissectionibus tali, quam uberius describit, ratione

prodiisse. Sebaceas autem nympharum glandulas non paucas & sparsas haberi in *Animadversione* XXXIV, adversus Blancum notatur, sed tot potius & tam confertas, ut in eo uno Tabula III Adversariis primis subjuncta reprehendi facile posset, quod pauciores & rariores exhibeat, nisi id consulto & confusionis declinandæ causa factum esset. Quæ ipsa tamen Tabula, iniquius sugillata, quemadmodum pomum Eridos præbuit, ita in *Animadversione* XXXVI usque ad XLII adeo strenue a Nostro vindicatur, ut prærogativa, quam præ aliis organa muliebria delineantibus meretur, ex quam plurimis peculiaribus, in *Animadversione* XXXVI & XLII specialius enumeratis, oppido pateat, simulque de vesicularum cervicis uterinæ numero ac situ diverso, in viginti quatuor cadaveribus indagato, ex *Animadversione* XXXIX satis superque constet. In capite ultimo, quod de conceptione, fœtus efformatione, nutritione accretione & partu inscribitur, Opuscula potius Drelincurtii, ceu Autoris diffusioris aliisque sine causa infensioris, quam alterius anatomici scriptoris, vel ipsius quoque Graafii capita omissa contineri, vel ideo in *Animadversione* XLIV ægre fertur, quod in adjectis Notulis toties Drelincurtio aperte adversari haud opus fuisset, nec alia adjungere, quæ in duabus sequentibus Animadversionibus contra eundem proferuntur. Ut alia, quæ circa nonnullorum Tabulas æque, ac de canalium in uteris vaccinis usu, de vasis fœtus propriis, deque nunnullis inter fœtum & adultum discriminibus, tandem desiderantur, hac vice sileamus, ipsamque etiam Explicationem duarum reliquarum Figurarum Tabulæ subnexæ in Adversaria quinta, ad quæ pertinent, cum sextis imposterum successive recensenda, differamus.

CHRISTIANI GOTLIB. SCHWARZII, PROF. Publ. in Acad. Altorfina, Schediasma de quibusdam Doctrinæ Antiquariæ Capitibus.

Altorfii, apud Jod. Guil. Kohlesium, 1719, 4.
Plag. 7 Tabb. æn. 2.

Tria

TRia sunt doctrinæ antiquæ capita, quæ paucis hisce plagulis erudite perquam explicantur, quorum primo monimentum quoddam, Corneliæ Saloninæ Augustæ quondam consecratum, illustratur. Petitum illud est ex Prodromo Operis Danubialis, quod dudum promisit magnamque partem jam adornavit Aloysius Ferdinandus Comes Marsigli, & continet inscriptionem in antiquo marmore ad confluentes Temis & Bistræ, fluviorum in præfectura Temeswariensi, repertum & hisce conceptum est verbis: CORNELIAE SALONINAE AVGustæ, CONIVGi GALLIENI AVGusti Nostri ORDO MVNicipii TIBisci DEVotus NVMini MAIESTATique EJVS. Disquirit hic ante omnia Cel. Autor, quæ fuerit Cornelia hæc Salonina, eandemque Gallieni Rom. Imperatoris uxorem probe distinguendam esse ab ejusdem concubina, Pipa, vel, uti alii scribunt, Pipara, contra Salmasium, Casaubonum, Occonem, Annam Daceriam aliosque variis argumentis confirmat, quippe qui omnes Saloninam atque Biparam unam eandemque esse fœminam contenderunt, quodam Trebellii Pollionis loco potissimum nixi, quem tamen corruptum, depravatum atque obscurum esse ab Autore evincitur. Huic igitur Pollionis testimonio aliorum fide dignissimorum hominum opponitur autoritas, qui Saloninam Gallieni conjugem Augustam, Piparam concubinam fuisse asserunt, vixque credibile esse dicitur, Saloninam in tot antiquis numis aliisque monimentis Augustam dictam, summisque honoribus cultam reperiri, & Principes imperatoria dignitate deinde potitos gignere potuisse, si Pipara quoque appellata Gallieni pellex fuisset. Neque Tristani, Patini, Begeri aliorumque sententia probatur, qui, cum observarent, dari vetustos numos, in quibus Salonina cognominetur Chrysogone, eam quidem non cum Pipa vel Pipara, Marcomannorum Regis filia & Gallieni concubina, confundendam censuerunt; ortu tamen Græcam & quidem Attali, potentis in Ionia viri, filiam esse statuentes, Chrysogonæ nomen existimant fuisse Saloninæ, antequam Gallieno nupta ad principale culmen eveheretur. At enimvero frustra hæc asseri Cl. Autor probare nititur, qui Chrysogones appellationem Saloninæ Augustæ

p. 3. 4. 5. 7. 8. 10.

pro more iſtius temporis, non niſi honoris cauſa aut adulandi ſtudio, a Græcis populis tributam fuiſſe opinatur. Notat enim id vocabulum partum vel ſemen aureum. Jam vero, quemadmodum alias homines præſtantes & eximii generatim tum apud Græcos χρύσεοι, tum apud Latinos aurei dici conſueverunt; ita Salonina non ſolum quaſi ad ſignificandam ipſius animi formæque pulcritudinem dignumque ortum aſſentandi ſtudio aureo nomine ornata; ſed etiam, in primis in quibusdam Græcorum nummis, ſub ſchemate & nomine Dianæ, tanquam aurea Phœbe, divino honore decorata & culta fuiſſe videtur. Lau-

p. 14. datur vero hæc Salonina (quæ non, uti Harduinus ſenſit, Valeriani Auguſti primum, deinde ſecunda Gallieni, ſed prima hujus conjux fuit) apud rerum harum ſcriptores ob ſanctitatem, pietatem, pudicitiam, amorem in literarum ſtudia, aliasque virtutes, quanquam & nimiæ in maritum, cujus vita, laudes &

17. 19. merita ex nummis atque Chriſtianorum in primis ſcriptorum te-

20. 21. ſtimoniis hic exponuntur, dominationis accuſetur. Gallienus hic plerumque dictus fuit Publius Licinius Gallienus, quibus nominibus aliquando nomen Ignatii ſive Egnatii, vel etiam Decii acceſſiſſe deprehenditur: imo & nomen Valeriani Gallieno tribuit nummus Græcus, cujus integra epigraphe ita legitur: Α.Κ.Π. ΛΙ.ΟΥ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ ΕΥ. ΕΥ. C. quæ ita exponitur: Αυτοκράτωρ Καῖσαρ Πόβλι(ος) Λικίνι(ος) Ουαλεριανὸς Γαλλιηνὸς Ευσεβὴς Ευδαίμων Σέβαςος h. e. *Imperator Cæſar Publius Licinius Valerianus Gallienus Pius Felix Auguſtus*. Honori igitur Gallieni & ejus potiſſimum Conjugis, Saloninæ, monimen-

22. tum hoc fuit dedicatum ab ordine Municipii Tibiſci, quod in Dacia fere ad confluentes Tibiſci fluvii ſitum fuit, cujus opidi jam mentionem fecit Ptolemæus, & quod etiam in Tabula Peutingeriana (cujus αὐτόγραφον haud ita pridem in Ser. EUGENII Sabaudiæ Principis Bibliothecam pervenit) *Tiviſci* nomine extat. Ordo autem hic fuit conſilium publicum ſeu Collegium Decurionum, quod in municipiis Senatum repræſentabat, additusque ſæpe erat huic nomini honoris cauſa titu-

24. lus *ampliſſimi*, *ſplendidiſſimi*, *nobiliſſimi* aut ſimiles. Quibus tandem confectis ſubnectuntur quædam de orthographia Latina

obſer-

observationes philologicæ, quibus inter alia contra *Christianum Falsterum* probatur, quod ante Gothorum in Italiam adventum minusculi characteres Romanis ignorati, unciales vero & majusculi tantum usitati fuerint, quod ille in Quæstionibus suis Romanis negaverat.

Alterum ab hisce occuparunt locum accessiones ad dissertationem a Cl. Autore Altorffii 1714 habitam de Collegio Utriculariorum. Utricularii seu Utriclarii fuerunt homines, qui tum rates, tum pontes ex utribus confecere, iisque in fluminibus aut mari usi sunt. Conjungebant illi vel singulos, vel duos, vel etiam plures utres, quos interdum follibus inflabant, uti canente Nonno Dionys. L. 23 v. 150 Bacchicus exercitus : ἀσκοῖς οἰδαλέοισι χέων ποιητὸν ἀήτην Δέρμασι Φυσαλέοις διεμέτρεεν Ἰνδὸν Ὑδάσπην, ἐνδομύχων δ᾽ ἀνέμων ἐγκύμονες ἔπλεον ἀσκοί h. e. *Utribus tumidis fundens factitium ventum pelle ventosa permensus est Indum Hydaspem, intus vero inclusis ventis gravidi erant utres*; interdum utres stramentis inserciebantur; aliquando etiam ex corio lintres non tantum naviculasque, verum etiam ex eodem & quidem ex utribus junctis pontes ad trajiciendum exercitum conficiebant. Atque hac occasione e rarissimo Roberti Valturii de re militari libro, Veronæ 1472 impresso, figuræ utrium horum exacte repræsentantur.

p. 28.

29.

30.

Ultimum denique hujus scripti doctissimi caput gemmam sacrificium Bacchi referentem exponit. Delitescit illa, quæ Sarda est, in gentis Ebnerio - Eschenbachiæ, quæ Norimbergæ floret, splendidissimo rei antiquariæ apparatu, variisque ornata renidet figuris, quas strictim recensebimus. Prima illarum est columna, quæ ipsum Bacchum, cui sacrificium peragebatur, sistere videtur & divinitatis est indicium. Columnæ proxima est arbor, vitem enim, hederam, laurum, pinum, Baccho sacram esse constat, quam duo Lunæ Cornua sequuntur columnæ fastigio imposita, sive ut novæ Lunæ tempore hoc sacrificium esse peractum, indicarent, quod Calendis, quæ in ipsum novæ Lunæ diem olim incidebant, Dii precibus & sacrificiis colerentur; sive, ut Bacchi figura eo facilius dignosceretur ab aliorum Deorum statuis, utque simul cognatio Bacchi cum Luna indicare-

34.

TAB. I. Fig. 7.

36.

37.

p. 39. caretur. Bacchus enim Lunæ frater habere fingitur ταυροφυῆ τύπον σεληναίοιο μετώπε, tauriformem imaginem lunaris frontis, dictusque fuit κερασφόρος seu Corniger Deus. Tertia
40. figura est Satyrus ὁ Διονύσε θεράπων. Est ille capripes & cornutus atque huic Bacchi sacrificio adest, vel quia æque & Satyris Faunisque aliquando, ac Baccho ipsi, primitiæ uvarum fructuumque oblatæ sunt, vel quia Satyrus heic loci Sacerdotem Bacchi aut quemcunque Bacchi cultorem repræsentare videtur, qui altera quidem manu coronam, cujus uti in omnibus, ita præcipue in Bacchi sacris eximius usus fuit, altera vero caprum tenet, Bacchi sacrificio destinatum & ad aram adductum. Inter-
41. 42. ea enim, dum vota concipiebantur, hircus aris admotus stabat.
42. Quarto loco is depingitur, qui pietatem suam testaturus sacrificat genibus flexis, pedibus nudis, & nudo ad morem Græcorum
43. capite. Idem serpentem, qui quintæ figuræ loco est, manibus suis igni in ara succenso admovet, haud quaquam eo fine, ut igni injiciatur, sed ad indicandum, quantopere cupiat is, qui
44. 45. sacrificat, ut Bacchi genius, qui sub Serpentis figura repræsentatus olim fuit, sacrificii sui suavi odore delectetur. Sexto loco conspicitur altare multo odore fumans, quod encarpo resplendet, id est, ornamento ex implexis frondibus, floribus, & pomis confecto, quo symbolo fœcunditatem telluris ope Bacchi provenientem indicare voluerunt. Denique ultimæ duæ sunt bacchantium figuræ, quarum altera Satyro proxima gestienti saltantique similis conspicitur & insanientium more caput inflectit & veluti contra naturam retorquet, eademque manu dextra supra caput extensa tympanum tenet Bacchicis festis admodum solenne: ceterum tunica molli eaque talari, sed exserto pectore & brachiis, induta, & μίτρᾳ sive fascia circa ilia cincta
52. apparet. Altera Baccha viro sacrificanti proxima lyram tenet manu, aspectu placidior, leniusque gestare videtur instrumentum musicum, quam vulgo Bacchicis sacris aptum usitatumque videatur. In his enim sacris ea potissimum instrumenta usur-
53. pabantur, quæ gravius & fere horridius sonuere. Musæ similis hæc fœmina est, quæ ceteris bacchantibus placidior modestiorque

ſiorque eſt, citharaque pſallit. Poetis enim quoque Muſarumque filiis Bacchus ſacer fuit. Veteres namque in Baccho coluerunt Solem, quem ut vitibus, aliisque arboribus & plantis vim creſcendi, ita & corporibus ingeniisque humanis vires & fœcunditatem largiri tradebant. Forſitan & ille, qui aræ advolutus ſacra hic facit, e Poetarum veterum ordine fuit, qui corona a Satyro ſibi tribuenda ſe non indignum ſimul profiteatur.

LA REGGIA DE VOLSCI &c.

i. e.

ANTONII RICCHI, CORANI, REGIA Volſcorum. Libri II.

Neapoli, apud Onofrium Pace, 1713, 4.
Alphab. 2 plag. 7.

IN procemio, quod operi præmiſit induſtrius Autor, ad ea facilius intelligenda quæ ſequuntur, de Coloniis Latinis atque Romanis, Municipiis, Præfecturis & Tribubus Regni Volſcorum diſſerit, ſignificationemque, inſtitutionem, & naturam vocum illarum atque rerum diligenter explanat. Capite primo Libri prioris de Regno Italiæ, ſede Latii, & Imperio Volſcorum ita in univerſum agit, ut omnia ab antiquiſſimis temporibus repetat, mutationesque in illis regionibus ſubinde factas breviter commemoret. Veroſimile putat, ab Oſco, qui tempore Saturni & Jani apud Tirrhenos regnavit, Volſcorum atque Oſcorum denominationem originem habere: poſtea civitates illarum regionum nunc formam Rerumpublicarum aſſumſiſſe, nunc iterum Principes ac regulos habuiſſe: finitis atque ab Ænea feliciter peractis bellis Latinis, interemtaque Camilla, Reſpublicas Volſcorum immortale adverſus victorem odium ſervaſſe, diutiſſime Latinis ac Romanis reſtitiſſe, maximisque identidem calamitatibus eosdem affeciſſe. Reliquis LVI prioris Libri capitibus pleraſque Volſcorum civitates ſigillatim perſequitur, origineſque earum & caſus memorabiles ex priſcis monumentis eruit. Jam totum Librum poſteriorem

Patriæ

Patriæ suæ, nobilissimæ ac vetustissimæ Volscorum civitati, Coræ, describendæ atque illustrandæ impendit. Ergo capite primo de amœnissimo orbis situ, tum generatim de memorabilibus quibusdam in ea rebus mentionem facit, itemque de honoribus in illam præ ceteris Volscorum civitatibus ab Imperio Romano collatis, nimirum quod Colonia Latina dein Romana extitit, quod titulum Præfecturæ & Municipii accepit, quod ad Tribum Papiriam relata fuit. Capite secundo & tertio Genealogias Dardani & Coracis, fundatorum Coræ, tradit, discrepantesque circa hanc rem sententias Autorum ita conciliat, ut antiquissimis quidem temporibus a Dardano, ante conditam ab eodem Dardaniam seu Trojam, anno mundi 2400 ædificatam urbem Coram, interjectis vero annis 350, a Corace restauratam atque amplificatam esse, cum antea destructa bellis ac desolata fuerit, contendat. Capite quarto Insignia civitatis exponit. Capite quinto & sequentibus de variis gentilium templis antiquis, Castoris & Polucis, Herculis, Æoli, Jani, Fortunæ & Dianæ, Solis, Apollinis & Æsculapii, disserit. Capite XIV & XV de Ecclesiis, quæ nunc in urbe reperiuntur, de Monasteriis, Parochiis, & Confraternitatibus verba facit. Tum capite XVI & XVII regimen civile & Ecclesiasticum describit. Capite XVIII Sanctum Coranum, ac paucos alios venerabiles ac pietate insignes cives in medium profert. Tandemque capite XIX bella Corana, capite XXI prodigia tum Coræ tum in aliis Volscorum civitatibus facta, & Capite XXII abundantiam urbis commemorat atque extollit. Accedit in fine brevis Appendicula, qua tum oppidorum quorundam supra omissorum descriptiones, tum aliæ nonnullæ additiones continentur. In quibus omnibus uti multa occurrunt lectu digna, ita nos quidem, cum paulo serius ad nos perlatus liber sit, pluribus inde speciminibus afferendis supersedemus.

ERRATA IN ACTIS ANNI MDCCXIX.

P. 402 lin. 27 pro *certe* leg. *ceu*, p. 405 lin. 1 pro *corpore* leg. *corpori*, p. 406 lin 16 pro *VII* leg. *VI*, p. 510 lin. 14 pro *expositorum* leg. *expositarum*, p. 511 lin. 22 pro *prælato* leg. *prolato*, p. 512 lin. 1 pro *Septictus* leg. *Septicii*, p. 512 lin. 30 pro *judicio*, leg. *judice*. p. 517 lin. 23 pro *patria*, leg. *pæne*.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno MDCCXX.

SCRIPTORES ORDINIS PRÆDICATORUM recensiti notisque Historicis & Criticis illustrati, inchoavit JACOBUS QUETIF S.T.P. absolvit JACOBUS ECHARD.

Tomus I.

Paris, apud J. B. Christoph. Ballard & Nic. Simart, 1719, fol. Alph. 10 plag. 19.

Laudabili sane instituto Pontificiæ Ecclesiæ ordines regulares, qui haud ignobilis illius pars sunt, dudum in eo laborarunt, ut memoriam alumnorum suorum conservarent, eorumque res gestas & scripta variis libris, quorum nonnullos Bibliothecas vocarunt, complecterentur. Dominicanorum familia, quæ varias quidem ordinis sui Bibliothecas conscripsit, (vid. Acta nostra 1691 p. 33) destituta tamen fuit adhuc opere accurato, in quo scriptores, quos falso sibi vindicarunt alii, restituti, multiplicatio ejusdem autoris in duos tresve seu etiam variorum in unum confusio correcta, certa cujusque chronologia statuta, ita denique hæc historiæ pars illustrata sit, ut quid jam certum tenendum habeatur. Id attendens R.P. *Jacobus Quetif*, Parisinus, ordinis Prædicatorum domus SS. Annunciationis Parisiensis alumnus, Bibliothecam ordinis sui emendandam sibi proposuit, nullisque laboribus, ut verum assequeretur, pepercit. Vir erat ad hoc opus obeundum aptissimus, firmæ valetudinis, lectionis immensæ & indefessæ, in re literaria & chronologica peritissimus: historias & annales non solum ordinis sed & extraneos ecclesiasticos & civiles regnorum & urbium Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, Belgii, Magnæ Britanniæ &

Hiberniæ, Galliæ tandem diligenter evolverat scriptores, qui Bibliothecas variarum nationum vel speciales civitatum aut etiam ordinum regularium ediderant, seu etiam indices Bibliothecarum præcipuos comparaverat, quæ ad rem literariam Dominicanorum attinebant, excerpserat & acriter expenderat. Ad hæc itinera plura suscepit in Belgium, in German. saltem ad Rhenum, in varias Galliæ provincias, ubique Bibliothecas lustrans: cum viris rei literariæ peritis in Hispania, Italia & Belgio literarum commercium iniit, nihilque demum omisit, ut accuratam Dominicanorum eorumque certorum operum notitiam adipisceretur. Nec intra Parisiorum urbem se continuit præclarum hoc institutum, quod R.P. *Quetif* in se susceperat, sed ad nos quoque manavit tum ex Rich. *Simonis* Bibliotheca Crit. T. II p. 87 seqq. (ex qua nonulla de promsit B. *Ittigius* noster in schediasmate de Autoribus qui de Scriptoribus Eccl. egerant, p. 51) tum quoque ex *Bælii* Epist. selectis p. 582. Licet autem nonnulli opus ejus summo studio exspectarent & prope edendum nunciarent, (quos inter etiam Dn. *Marchand* fuit in nota illa ad Bælii Epist. cit.) testatur tamen R. P. F. *Jacobus Echard* vel (ut Italis pronunciatio levetur) *Eciard*, ejusdem domus Parisiensis alumnus, *Quetifii* successor in hoc opere dignissimus & editor hujus tomi præstantissimus, R. P. *Quetifium* multis aliis juris Canonici negotiis distractum nonnisi octingentorum circiter scriptorum elogia finiisse, cum die II Martii A. M D C X C I I X ætatis vero LXXVIII morte corriperetur, nec in iis antiquiorum. Vincentii Bellovacensis, Alberti Magni, S. Thomæ de Aquino, S. Antonini & aliorum fœcundiorum scriptorum chronologiam aut opera expendisse, in dies accuratius quid se adepturum sperasse, atque aliorum plusquam duorum millium ingentem in adversariis supellectilem undique collectam reliquisse.

Hæc omnia laudato *Echardo* postquam anno sequenti concinnanda & adornanda commissa erant, hic quæ adhuc deesse animadverterat, addenda putavit. Nimirum cum scriptores XIII & XIV seculi opera sua MS. reliquerint, varias Bibliothecas sibi lustrandas esse censuit. Regiam ipsi aperuerunt ejus præfectus tunc temporis D. Abbas *de Louvoy* & custodes Cll. viri

Cle-

Clement & *Boivin.* Hanc totam perscrutatus est, non solum Bibliothecæ indices sed & ipsos codices revolvens, unde certa autoris eruitur notitia, quod & in sequentibus fecit. Hinc & Colbertinam, permittente Illustrissimo Ecclesiæ Principe *Jacobo Colbert* Archiepiscopo Rhotomagensi, cujus tum erat, & assentiente D. *du Chesne* custode, integram perlustravit. Postea in alias Parisienses se contulit: Victorinam concedente ejus Ecclesiæ Canonico D. *Vion d'Heroval:* Sorbonicam, in qua ad mille & ducentos & amplius codices hujus collegii Magistri non solum evolvere ipsi permiserunt, sed & cum ab eorum socio D. *Berthe* Bibliothecæ præfecto rescivissent, *Echardum* in scriptis Gothicis lectu difficilibus esse exercitatum, ut eidem in indice codicum suorum conficiendo operam suam commodaret, oraverunt. Porro Navarræam, assentiente D. *Chenu* præfecto & sociis ejus regii Gymnasii D. D. Baccalaureis, totam versavit. In Gervasianam seu Gymnasii dicti *Maitre Gervais* & in Choloteam ipsum duxit D. Abbas *d'Argentré*, in Sangermaneam ascetarum Maureorum D. *Beaugendre*, in Augustinianam denique ad pontem novum R. P. Prior & Bibliothecæ custos. Nec minus antiqua monumenta, quæ in Sanjacobea, variis ex causis ad pauperiem fere redacta, supersunt, suo loco recensuit, ut taceam Bibliothecas extra Parisios ab ipso lustratas & in ipso opere, ubi se dat occasio, indicatas.

Evolvit quoque Rev. Editor indices codicum MSS. in variis Bibliothecis servatorum, quorum plures eruditissimus asceta Maureus Bernardus Montfauconius ipsi commodavit. Habuit & alios indices, ut Ecclesiæ Carnotensis, a D. *Gueau* Canonico, in gratiam ipsius hunc laborem suscipiente, domus Tolosanæ a R. R. P. P. S. Theol. Profess. Josepho *Roux* & Antonino *Mora*, domus etiam Claromontanæ in Arvernis, quem R. P. Prior Joannes Roionan ipsi misit. Indices variarum Europæ Bibliothecarum, Angliæ, Augustæ Vindelicorum, Basileæ, Lipsiæ, Sueciæ, & catalogos autorum variarum nationum, qui vel R. P. *Quetif* fugerant vel a morte ejus lucem viderant, non prætermisit, sed diligentius expendit, ex omnibus profecit, sed & aliquando eos emendavit. In vitis Belgicorum scriptorum consignan-

gnandis multum emolumenti ipsi attulit R. P. Guilberti *de la Haye* Bibliotheca Belgo-Dominicana MS. a sodalibus Insulensibus ipsi commodata, quam ut vidit accuratam, totam fere in hoc opus mutato tamen stylo convasavit. His & aliis adjutus subsidiis R. P. *Echard* opus confecisse putabat adeo ut jam prælo paratum videretur.

Id vero quum meditaretur & consilium cum viris eruditis conferret, iisque qua ratione R. P. *Quetif* opus adornasset, ipseque ejus vestigia secutus prosecutus fuisset, ordine scilicet alphabetico, significaret: tum omnes reclamarunt & ordine chronologico astruendum edixerunt. Reposuit R. P. Bibliothecas fere omnes regnorum, nationum, urbium, ordinum regularium per alphabeti literas concinnatus esse, huncque ordinem lectoribus apprime commodum videri. Fassi quidem hoc sunt amici ipsius, si ordo Prædicatorum ab uno tantum seculo vel ad summum sesquiseculo ortus esset, id forte ferendum esse. Sed quum quinque jam seculis integris in Ecclesia floreat, rationi non consentaneum esse, ut autores seculi XIII e. g. cum autoribus XVII & XVIII confusi viderentur, illud absurdum secuturum (nam hoc inter alia exempla opponebant) S. Thomam de Aquino ad finem fere hujus collectionis amandandum, quum innumeri ejus commentatores ratione nominis ab initio jam præivissent. Horum itaque consiliis adhuc aliis rationibus suffultis non adquiescere nefas duxit, etsi post tantum laboris hactenus exantlati novus ipsi subeundus erat. Nam totum fere opus dilacerandum & integrum ab ovo resumendum & exscribendum fuit, ut novo hoc ordine chronologico concinnaretur.

Ordinem itaque hujus operis hunc esse voluit. Primo scriptores ad annum mortis, quum certo rescire potuit, alligavit, si magistros ordinis excipias, quos ad annum quo ad regimen assumti sunt, collocavit, ut, qui sub iis floruerint autores, lectori pateret, vel etiam paucos alios ad annum, quo maxime florebant, adstrinxit, ut Albertum Magnum, quod ejus notitia necessaria erat ad pleniorem S. Thomæ ejus discipuli notitiam, qui sex annis tamen ante Magistrum vita functus est. Quorum annum

annum mortis retegere non potis fuit, eos ad annum quo certe floruisse scivit, retulit. Quorum seculum tantum quo vixerunt assecutus est, non autem annos seculi quibus vixerint, vel mortui sint, hos ad finem cujuscunque seculi relegavit & ordine alphabetico recensuit. Iis subjunxit de quibus ipsi dubium fuerat, an sui essent, & in ultimum ordinem amandavit ad quodque seculum, quos ab incautis scriptoribus falso suis adscriptos deprehendit. Quos ex autorum æqualium testimonio vel ex tabulis Ecclesiarum ad infulas evectos agnovit, iis hanc dignitatem asseruit, secus vero de iis, quos vel a suis vel ab extraneis scriptoribus Episcopos falso laudatos compertum ipsi fuit. In universo autem hoc opere in hunc finem solum collimavit, quod & Reverendissimus Magister ordinis *Antoninus Clochc* injunxerat, quodque nisi licuisset, nunquam laborem suscepisset, ut veritatem ubique assequeretur. Fabulas antiquas (nam ut in historiis omnium gentium sic & in historiis omnium ordinum regularium suas esse fabulas, ut iis fidem non adhibere quibusdam religio sit, sapienter monet R. P. *Echard*) rejicere voluit, certa certo, dubia dubie retulit, ubi defecerunt antiqua & coæva documenta, scriptores & eorum scripta ex fide eorum qui eas vel ea laudant, adoptavit, nihil asseruit, sed sodales cujusque domus excitavit, ut veritatem diligentius indagarent huicque operi adderent. Nec supersedit Cl. Editor in hac præf. monere, qua ratione elogia ab ipso adornata a R. P. *Quetifii* lucubrationibus distingui nonnullaque allegata intelligi debeant. Verum quum hæc ab iis facile videri queant, qui ipsum opus habent, aliis vero non prosint, ea huc transscribere nolumus. Denique reverentia erga viros eruditos, quos uterque consuluit, quique in ipso opere ubique citantur, significata, & libertate, qua eos & inter hos Actorum Sanctorum editores aliquando emendat, excusata, integrum judicium omnibus eruditis de hoc opere relinquit, atque eorum emendationes totis præcordiis exoptat, ut Dominicanorum historia literaria quam purissima tandem & ab omnibus sphalmatis expurgatissima prodeat.

Exposita itaque hujus operis historia totaque ejus œconomia considerata, quod maximam partem verbis R. P. *Echardi*

 factum

factum est, nunc ipsum opus aggredi possemus, nisi quædam adhuc dicenda esse viderentur.

Nuncupavit illud laudato Ordinis Prædicatorum Generali Magistro ab annis amplius triginta, sacræque Theologiæ Professori, cujus studium in asserenda regulari disciplina, industriam in excitandis & ad summum evehendis studiis, diligentiam in promovendo Religionis bono per distributionem operum in variis Theologiæ &c. partibus a sodalibus conficiendorum, ardentissimum zelum in mittendis operariis in utramque Indiam &c. mirificis & summis laudibus extollit.

Præmissa est ipsi operi notitia duplex tum provinciarum ab anno MCCXX ad MD, tum quoque series capitulorum generalium intra tempus prædictum habitorum longe accuratior, quam vel a *Michaele Pio* in Prolegomenis suæ secundæ partis, vel a *Vincentio Maria Fontana* initio sui operis cui titulus: *Declarationes constitutionum*, data sit, ceu quæ ex actis ipsis vel ex duobus codicibus MSS. Lingonensi uno, altero Victorino eruta est, ut omittam hanc duplicem notitiam excipientem indicem eorum, qui ad dignitates ecclesiasticas promoti sunt & in hoc Tomo primo laudantur incipiendo ab inferioribus, Magistris nempe sacri Palatii, excepto Paulo de Monelia & Joanne Annio vel Nannio, (de quibus Tomo sequenti se dicturum promittit) hinc ad Episcopos in Hispania, Gallia, Italia & Insulis adjacentibus, in Germania, Hungaria, Dalmatia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Suecia, Polonia, in Asia & Africa, Archiepiscopos in Europa & Asia, Patriarchas, Cardinales, pergendo & in duobus Pontificibus, Innocentio V & Benedicto XI desinendo.

Ad ipsius vero hujus operis Tomum I quod attinet, complectitur ille S. Dominici ejusque sodalium vitas resque gestas, qui per tria secula XIII, XIV & XV floruerunt, ex quorum primo nonnulla ex vita S. Dominici delibabimus, celebrioraque Dominicanorum hujus seculi nomina recensebimus, dissertationes simul & acta nondum edita huicque Tomo I inserta indicaturi.

S. *Domi-*

S. *Dominici* ordinis Fratrum Prædicatorum institutoris vita hujus operis initium nobilitat. Hæc quidem ab innumeris fere condita est. Ast quum nemo chronologiam ejus vitæ certam prodiderit, imo & quidam fabulis inquinarint non tolerandis (quæ ingenua R. P. *Echardi* est confessio) operæ pretium ipsi visum est sinceram & accuratam hic consignare, & monumenta, quæ huc usque prælum non subierunt, adjicere. Recensitis itaque quinque vitæ S. Dominici scriptoribus, B. nempe *Jordano*, ejus in magistratu ordinis successore, F. Petro *Ferrandi* Lusitano, *Constantino* Medices Etrusco Episcopo exinde Urbevetano, B. *Humberto* V ordinis antistite, F. *Gerardo de Fracheto*, seriem vitæ constituit hic non repetendam. Repetamus autem acta vitæ huic inserta, quæ sequentia sunt: p. 2 Vita B. Dominici prior autore B. Jordano jam supra adducto ex antiquissimo seculi XIII codice membr. apud sanctimoniales Prulianas servato cum additionibus ex B. *Humberto*, *Bernardo Guidonis* & ex aliis actis, p. 24 Caput XXVII Hist. Occid. *Jacobi de Vitriaco* de nova religione & prædicatione Bononiensium Canonicorum, p. 25 altera S. Dominici vita autore F. Constantino jam laudato ex codice membr. in 8 seculi XIII apud F. F. Prædicatores Parisienses ad S. Honorati servato cum additionibus ex B. Humberto, p. 37 Supplementa vitæ S. Dominici ex parte secunda libri cui titulus: *Vitæ Fratrum*, ex duplici codice MS. utroque seculi XIII domus Parisiensis S. S. Annunciationis Ord. Prædic. p. 56 Dicta testium super inquisitione Bononiæ facta de vita, obitu & miraculis S. Dominici, p. 58 Miracula S. Dominici in Italia & Hungaria patrata, p. 63 Miracula S. Dominici Rhotomagi acta ex MS. codice 400 & amplius annorum. Addidit præterea R. P. *Echard* quatuor dissertationes historicas, quarum prima quæstionem movet, an ex B. Reginaldi Aurelianensis visione indumenta priora S. Dominicus mutaverit & novo cultu sodales suos induerit p. 71, altera de antiquis ordinis Prædicatorum vestibus differit p. 75, tertia, quo anno S. Dominicus iter Hispanicum & exinde Parisiense egressus sit & confecerit, atque an primis comitiis ordinis Minorum Storearum dictis affuerit, disputat p. 77, quarta in annum &

& mensem, quo B. Dominicus Neapoleonem Stephani Cardinalis de Fossanova consanguineum suscitaverit & Sanctimoniales ex monasterio S. Mariæ trans Tiberim ad S. Sixti cœnobium transtulerit, inquirit p. 8. Sequitur tandem has dissertationes Tabula chronologica actorum S. Dominici inter pag. 88 & 89 collocata. Tantum de actis & dissertationibus S. Dominici vitæ insertis, qui sane hoc ipso seculo primo ordinis a se instituti innumeros fere asseclas habuit. Prodeant hic tantum in medium nomina eorum, qui præ ceteris conspicui nobis esse videntur. Sic v. g. recensetur p. 93 B. *Jordanus Saxo* ad annum 1222, p. 100 F. *Joannes Ægidii* ad an. 1228, p. 102 F. *Hugo* & *F. Petrus* nuncii a Gregorio IX ad Joannem Vatacium seu Batatzem, ut alii scribunt, Orientis Imperatorem & Germanum Patriarcham C. P. missi ut de concilianda Ecclesia Græca & Latina tractarent ad an. 1234. Quorum acta in Concilio primo apud Nicæam tum apud Nympham habito quum apud Waddingum in Annal. Minor. ad 1234 interpolata recisa & innumeris mendis deturpata sint, ex quo tamen in editionem Conciliorum Parisiensem, quam vocant Labbeanam anni 1671 inducta sunt, ad finem hujus tomi p. 911 - - 927. ex cod. MS. 250 & amplius annorum in Gymnasio Navarræo servato integra dat & genuina. P. 106 occurrit S. *Raymundus de Pennaforti* ad an. 1238, cujus summa de pœnitentia & matrimonio est notissima, p. 131 F. *Guilielmus Peraldus* ad an. 1250, p. 141 F. *Humbertus de Romanis* ad an. 1254, F. *Bonacursius* ad an. 1260 p. 162, B. *Albertus Magnus* ad an 1262, cujus vita & scripta luculentissime exponuntur p. 184, F. *Stephanus de Borbone* ad annum eundem p. 194, F. *Hugo de Sancto Charo* ad annum eundem, in cujus vita p. 203 seqq. disquisitio de sacrorum Bibliorum concordantiis quoque exhibetur p. 212, F. *Vincentius Bellovacensis* ad annum 1264, de cujus opere præcipuo Speculo nimirum majori inter alia p. 215 prolixe differit R. P. *Echard* partemque dissertationis suæ, quam sub titulo: *Sancti Thomæ Summa suo autori vindicata sive de V. F. Vincentii Bellovacensis scriptis dissertatio*, 1708 edidit, hic præmittit, altera in vita S. Thomæ de Aquino p. 293 communicata, p. 250 F.

Thomas

Thomas de Cantimprato ad an. 1270, *B. Bartholomæus de Bragentiis* ad an. eundem, p. 271 *S. Thomas de Aquino* ad annum 1274. Hunc (ut ait R. P. *Echard*) scholæ suæ magistrum solemque splendidissimum habet ordo Prædicatorum, doctorem communem agnoscunt Academiæ orbis Christiani universæ, inter Patres suos veneratur Ecclesia catholica suæque fidei ac doctrinæ tutissimum ac fidelissimum ubique adhibet interpretem. Hic omnes in hac Bibliotheca recensitos autores merito præcedere debuisset, solem quippe suum sidera norunt, ratione tamen ordinis huc prolatandus fuit. Enarrat deinde R. P. vitam & scripta S. Thomæ tam prolixe, ut 77 paginas huic uni impenderit. P. 350 *F. Petrus de Tarentasia* ad an. 1276, p. 361 F. *Martinus Polonus* ad annum 1278, famigeratus ille Chronici autor, de quo scripto hæc per ordinem discutiuntur: 1) titulus, procemium & finis seu quod idem est, quot ejus a Martino prodierint editiones; 2) quale ejus Chronici artificium & an ideo jactata de Joanna Papissa fabula ab autore suo chronico inserta fuerit; 3) qui genuini, qui spurii codd. MS. habendi, quæve impressæ editiones laudandæ; 4) Eruditorum de Martino judicia; p. 374 *F. Robertus Kilwardbius* ad an. 1279, p. 391 *F. Brocardus* ad an. 1283, cujus Descriptio terræ sanctæ nostra ætate magni habetur ab eruditis, p. 396 *F. Raymundus Martini* ad an. 1284, cujus Pugio fidei Christianæ recusus est apud nos cura Jo. Bened. Carpzovii, qui præmisit quoque introductionem (judice R. P. *Echard*) merito legendam. p. 422 *F Nicolaus de Hanapis* ad an. 1291, p. 437 *F. Nicolaus de Gorran* ad an. 1295, p. 454 F. *Jacobus de Voragine* ad a 1298. Perlustrandi quidem & erant scriptores Sec. XIV & XV; ast ob brevitatem omnibus nunc, sicco pede prætermissis, hoc tantum monemus, huic Tomo per triplicem indicem scriptorum, unum nominum, alterum cognominum, tertium anonymorum juxta argumenta finem imponi. Ceterum de hoc opere singulari observatione his Actis inserenda alio tempore agemus.

THE LIFE AND ACTS OF THE ARCH-Bishop Whitgift.

X i. e.

i. e

VITA ET ACTA JOANNIS WHITGIFT, Doctoris Theologi, tertii seu ultimi sub Elisabetha Regina Archi-Episcopi Canturiensis; Autore JOANNE STRYPE, Artium Magistro & trium Archi-Episcoporum Protestantium priorum Biographo.

Londini, sumptibus Societatis, 1718, fol.
Alph. 9 pl. 18.

ETiamsi Georgius Paulus, eques, vitam hujus Præsulis Ecclesiæ Anglicanæ nobis dederit, noluit tamen, quæ de eodem collegerat, nobis invidere Autor Clarissimus, qui vitis binorum præcedentium Episcoporum, Thomæ Cranmeri & Edmundi Grindal (quas nos quoque in Actis A. 1704 M. Sept. p. 315 & Suppl. T. V S. VII p. 294 recensuimus) jam pridem editis inclaruit. Enimvero pro more suo non solum Whitgifti vitam, singularemque in gubernanda Ecclesia curam; sed & varia, quæ ad statum reformationis ejus temporis saltem aliquo modo spectant, secundum annorum seriem, ab Anno scilicet 1530 ad 1604, adspergere constituit. Quibus ut majorem fidem conciliaret, Acta authentica, ex Archivis Archi-Episcoporum Cantuariensium, Academiarum, Collegii Armigerorum, Bibliotheca Petyti, Episcopi Eliensis, (Mori puta: quæ Regis liberalitate nuper coemta, & Academiæ Cantabrigiensi dono data) in appendice integra adjecit.

Jo. Whitgift Grimsbiæ, quod Lincolniensis Comitatus oppidum est, A. 1530 vel 1533 natus, patre Mercatore, literis primum a patruo Roberto Abbate Walhoviæ, inde Londini in cœnobio S. Antonii innutritus est. Sensit hinc puer singulare providentiæ divinæ documentum, quippe cum commilitone peste infecto, qua & exstinctus est, eodem lecto decumbens, cum sitibundus ac nondum plane excusso somno, urinam ejus ex errore frigidæ loco hausisset, nulla tamen tabe infectus fuit. In Cantabrigiensem deinde Academiam circa A. 1548 profectus, ubi Bradfortium, postea Londini ob reformatæ religionis professionem crematum, nactus est præceptorem privatum,

tum, ibidem Magistri ac Doctoris Theologiæ honores atque A. 1563 Professionis Theologicæ, quæ Margarethana dicitur, munus consecutus est. Anno 1567 aulæ Pembrocianæ & post tres menses Collegii SS. Trinitatis, licet ætate nondum quadragesimum attigisset, Præses & Theologiæ Professor regius factus est; qua tamen Professione anno sequenti abdicata ab Episcopo Eliensi Præbendarius denominatus est. Porro Vice-Cancellariatum Cantabrigiæ bis A. 1571 & 1574 gessit, demumque habito A. 1574 coram Regina Elisabetha sacro sermone, ita se ei commendavit, ut A. 1576 Episcopatui Vigorniensi præficeretur. His libro I expositis, Cl. Autor Libro II ea percenset, quæ res sub Episcopatu ejus in Wallia imprimis, cujus & Propræses fuit, concernunt. Hinc Whitgiftum considerat Archi-Episcopatui Cantuariensi, vivente adhuc, sed decrepito & otium quærente Grindalio, ab Elisabetha Regina destinatum, ac rite postea, illo mortuo, A. 1583 d. 6 Jul. electum, imo imposita ab ipsius Reginæ, ut quidam ferunt, dextra inauguratum. Cum vero plures antehac sacris muneribus favore magnatum admoti essent, quibus cultus divinus parum cordi erat, hinc mox Articulos quosdam, a Regina confirmatos, Ministris Ecclesiæ subscribendos proposuit: qua re dici non potest quantum irritaverit crabrones. Neque enim deerant, qui variis in vulgus libellis sparsis, quos Noster hic sigillatim considerat, optimum Præsulis institutum evertere conabantur. Sed vicit constans Viri moderatio, adeo ut per viginti annos, quibus præfuit Ecclesiæ, multis licet Pontificiorum partim, partim Puritanorum aliorumque turbis vexatus, perpetuo tamen Reginæ gratiam retinuerit, eaque A. 1602 defuncta, Jacobi successoris animum ita sibi devinxerit, ut Rex letali morbo decumbentem solatus sit his verbis: intercessurum se apud Deum pro salute ipsius, & in summa felicitatis parte positurum, si voti sui compos reddatur. Cui multa quidem, ut visus est, responsurus Præsul, fauces sensit a vicina morte interclusas, ut nihil præter pauca verba: *pro Ecclesia Dei*, proferre valeret. Exstinctus est A. 1623 die 29 Febr. morte, ut creditur, e nimio mœrore maturata, quod illo tempore de mutanda liturgia consilia in aula, instigantibus Puri-

tanis, agitarentur. Et hæc fere proxime concernunt vitam ipsius Whitgifti; cum vero plura sint, quæ ad universum Ecclesiæ Anglicanæ, qualis illo temporis intervallo fuit, statum pertinent, ex iis nos quoque pauca, quæ nobis memorata digniora visa sint, addemus. De Jo. Hilton Ministro Ecclesiæ refertur, quod publice in æde S. Martini Londini verba faciens, Scripturam utriusque fœderis pro fabulis venditaverit, seque palam negans Christianum, Christi divinitatem & satisfactionem impugnaverit, & quæ sunt alia dictu horrenda: enimvero cum culpam deprecaretur, id tantum supplicii loco injunctum, ut & in æde Crucis D. Pauli, fasce lignorum humeris imposito, e regione Concionatoris staret, & deinde in S. Martini templo recantaret, ab omni vero munere Ecclesiastico abstineret. Legi & merentur responsa Præsulis nostri aliorumq; ad quæstionem, utrum Anglis liceat auxilium ferre Belgis ob religionem afflictis? quæ eo fere redeunt, ut generatim quidem negetur, Principem subditis alterius Principis ob religionem vim patientibus opem ferre posse, ex principio: quod tibi non vis fieri &c. in hoc tamen casu affirmetur, quod Flandri neutiquam ceu mere subditi sint considerandi, quibus quippe Hispanus non ut Rex, sed ut Comes Flandriæ, cui tyrannidem exercere non liceat, imperet. Quanto A. 1588 metu consternata fuerit universa Britannia, cum de classe Hispanica, quæ invincibilis dicta, fama accessisset, vel ex eo intelligitur, quod Noster Episcopos publicis literis admoneret, ut quanta possent velocitate equis armisque instruerent subditum sibi clerum, qui ferendis armis par esset. A. 1580 Robertus Browne, Puritanus, sed qui longius recessit, & cum reliqua Ecclesia ceu Anti-Christiana nullam communionem habendam asserens, Brownistarum sectæ nomen dedit, in sinum Ecclesiæ reverti visus est, simul tamen edito libello, quem *Tabulas* vocat, publice professus est, in Scriptura S. omnes regulas artium atque omnem omnino eruditionem contineri. Similes fere Brownistis Barrowistæ, ita dicti ab Henrico Barrow, qui cum socio Johanne Greenwood A. 1593 e furca suspensus, quod ministros Ecclesiæ illegitimos populo obtrudi, idololatriam per liturgiam invehi ac stabiliri, regimen Ecclesiasticum tyrannidem

p. 120. 228.-238. 275. 323. 114.

dem exercere, & nequissimos quosque ad Ecclesiam admitti docuissent, quorum sectæ brevi tempore viginti fere millia hominum in Anglia adhæsisse creditum est. De Richardo Fletchero Episcopo Londinensi memoratur, quod cum uxorem jam ætate provectior duxisset, ita abs se alienaverit animum Elisabethæ, quæ a clericorum nuptiis magnopere aversabatur, ut ab Episcopali munere fuerit aliquandiu prohibitus, & quamvis muneri redditus integro tamen anno jussus fuerit aula exulare. Qua re plurimum consternatus paulo post A. 1594, dum curru veheretur & tabacum, cujus illo tempore non nisi medicus usus fuit, naribus traheret, apoplexia exstinctus est. Mortem Elisabethæ a nonnemine postridie in epistola Latina ad Edmundum Lambertum his verbis refertur nuntiatam: *Regina, cum per tres fere hebdomadas morbo melancholico stuporem quendam non sine læsa phantasia indiciis inferente laborasset, nec per totum id tempus, ullis vel rationibus, vel precibus, vel fallaciis induci potuisset, ut aliquod artis Medicæ auxilium experiretur, ac difficulter persuaderi sibi passa sit, ut alimentum naturæ sustinendæ debitum sumeret; somnum autem quam minimum, eumque non in lecto, sed inter pulvinaria, ubi totos dies & insomnis & immota sedere consueverat; intelligendi autem vim ad extremum usque spiritum retineret; linguæ vero facultate tribus ante obitum diebus fuisset privata; postquam est omnibus & felicissimæ Principis & Christianissimæ Fœminæ officiis functa, die hesterno, sc. 24 Martii, hora tertia matutina, naturæ cessit.*

p. 417.

429.

558.

BELGIUM BRITANNICUM, IN QUO illius Limites, Fluvii, Urbes, Viæ militares, Populus, Lingua, Dii, Monumenta aliaque permulta clarius & uberius exponuntur; Autore GUILH. MUSGRAVE, Belga, Reg. Societatis utriusque Socio: præfixa est Dissertatio de Britannia quondam pene Insula.

Iscæ Dunmoniorum, typis Georgii Bishop, 1719, 8.
Alph. 1 plag. 10 fig. Tabb. æn. 15.

OLim equidem gentibus patria fuit sæpius haud una, Britannos in Galliis reperiri, plures norunt, Belgas in Britannia exstare, id sane non ita cognitum atque pervulgatum est, de quo tamen ipso, ut penitiorum literarum studiosis uberius & clarius constet, sedulo in libro, cujus titulum præfiximus, allaboravit Cl. Musgravius, antiquitatum patriarum indagator industrius, & eo nomine jam ex aliis speciminibus clarus. Scilicet Gallos primum in Britanniæ Insulam, ab initio rerum incultam & hominibus destitutam, transiisse, cum ipsa situs naturalis ratio, tum Atrebates, Parisii, Iceni, Cantii, Belgæ, Gentium Britannicarum nomina, evincunt. Vespasianus sane, Claudii Imperatoris auspiciis expeditione in Britanniam suscepta, & classe ad Vectam Insulam, quæ Belgica est, appulsa, Cogidunum Regnorum principem statim in deditionem accepit, Belgas autem & virtute bellica, & commerciorum fama inprimis claros hostes expertus est, quorum tamen prælio subactorum opera fideli & proficua cum Vespasianus ipse, tum Romanorum alii per CD annos, quibus istam Insulam tenuere, usi sunt, ita ut eorum & apud Tacitum, & apud Dionem, & apud Antoninum & Herodianum exstet memoria. Vectam Insulam ad Belgium pertinuisse, jam diximus: inter illam & mare, quo alluitur, interque Sabrinæ æstuarium sita fuit Belgarum regio, ita tamen, ut versus occidentem Durotrigum Promontorium versus orientem & septentrionis partem Rhegni, Atrebatii, & Dobuni fines facerent.

Hos limites noster Musgravius Capite I, addita etiam Tabula Chorographica, illustrat. C. II Belgii Fluvios exponit, Vxellæque Æstuarium male a Cl. Cellario, ubi apud Dumnonium Herculis est promontorium, locari notat, cum Iscæ Silurum ex adverso fuerit. In III Capite Belgii divisiones, in IV Urbes tradit, quæ illud nomen vix merebantur, casarum & gurgustiorum in mediis nemoribus concilia aditu ab omni parte dejectis arboribus intercluso; plurimas etiam hodiernarum urbium ex Castris demum Romanis enatas esse, vernacula illa Britannorum vox *Chester* satis docet. Peculiari opera Urbs Aquarum Calidarum, quæ nunc Bathonia dicitur, capite V, & sequenti VI Romana aquarum calidarum monumenta,





Fig.1
Fig.3
6
Fig.11

tri etiam incisa, exponuntur, Inscriptiones item non spernendæ, capita nonnulla & imagines, quæ Romanos iis in locis fuisse frequentes satis loquuntur. Eo etiam pertinent Viæ militares in Belgio, c. VII explicatæ. Insulæ Belgio adjacentes c. VIII, Belgii Populus c. IX, Belgarum Lingua c. X, Dii Belgici c. XI, immo omnis Belgicorum Penatium exercitus, apud Devisas A. 1714 effossus, c. XII exhibetur. Sunt illa ex sententia Musgravii nostri Venus, Jupiter Ammon, Neptunus, Hercules, Vulcanus, Bacchus, incerti nominis Deus, (posses forte Saturnum dicere ob faciem distortam & tetricam,) Pallas, Virgo Vestalis, Mercurius, Romulus & Remus cum Lupa, Apis, Anubis, Bucephalus, Bacchus, illo priori elegantior, & Matronæ caput pectoretenus effictum, una cum nummo Alexandri Severi. Verum enim vero, uti ipse diligentissimus patriarum antiquitatum Scriptor fatetur, Bucephalum, Remum, Virginem Vestalem, quibus Lupa, Caput Matronæ, nummum Severi addimus, in numero Penatium nunquam fuisse, eoque ipso largitur, non illa omnia, quæ sub lapide quadrato ab olitore Belga sunt inventa, necessaria consequentia pro Diis esse habenda; ita, si exceperis Venerem, & Bacchum posteriorem, quæ non plane displicent, de reliquorum divinitate dubitabunt multi, donec vel ipse Musgravius vel alii Belgæ clarioribus argumentis eam assertum ibunt. Sane icunculæ monstrosæ mitra in apicem inflexum desinente non facile se adduci quis patietur, ut illam Jovem Ammonem credat. Aliam itidem mitratam, vultu fœmineo, imberbem, Herculem quis non ita facile pronunciabit, quod utrumque crus angues manus viri aut fœminæ molliter lambentes suis corporibus implicuerint. Conjecturæ tales fidem superant. Instrumentum, quod pectini propius accedit, quam tridenti, Neptunum demonstrat. Pes altero brevior, reddit Vulcanum. Tiara nescio qua forma efficta est petases alatus & Mercurium designat. Et quid de Romulo, Remo & Lupa dicendum. Inventa est bestiæ imago, quam Lupam existimat Noster. Addidit statim alia duo signa masculini, ut videtur, generis, iisque Romuli & Remi nomina imposuit. Addere poterat alterum eorum icunculæ equi, & habuisset Bucephali sui Alexandrum. Si ejusmodi argumentis

[Margin: §. 19. — TAB. II. Fig. 1 & 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8, 9, 10. — 11.]

tis in re antiquaria liceat uti, facile in illis sigillis Romulus a Remo discerni poterit, quod a Nostro non est observatum. Alterum eorum effictum est manibus demissis, illud Remum exhibet; alterum est dextro cubito elato, quod Romulum parricidam satis demonstrat. Lupæ addi a veteribus pueros Romulum & Remum, meminimus; adolescentibus iisdem Lupam jungi, non æque recordamur. Denique informe illud Lararium ad militem, aut hominem Romanum in illorum temporum elegantia pertinuisse, valde improbabile est; Belgam autem coluisse Bacchum, Pallada, Mercurium, Apim, Anubin, & de Lupa Romulea aut Alexandri Bucephalo omnia satis cognita & perspecta habuisse, ut eorum imagines servaverint, tunc a vero propius aberit, quando certa ratione constabit, Germanos coluisse Isidem, aut Ulixem in media Germania Græcis literis Laertæ Patris memoriam posteritati commendasse. Sed persequamur reliqua Caput XIII, Belgarum mercaturam in pecoribus, stanno, ferro, mancipiis, canibus, margaritis, calce, bascaudis, calathorum specie, sale, exerceri solitam, C. XIV, Romanorum in Belgio æstiva præcipue in Camaleto colle Belgico, C.XV Colorem Belgicum, qui Cæsari Vitrum, hodiernis Britannis *Woad* appellatur, C. XVI Claudii Tropæum prope Ogonem erutum, C. XVII Urnas, Serias resque alias in Belgio dudum inventas, C. XVIII Arcam Lapideam & Monimentum Sepulcrale, denique C. XIX Andromachen Britanno-Belgicam, exhibet sive statuæ caput fœmininæ, eo quidem comæ ornatu conspicuum, quem Juvenalis Satra VI exagitat, his verbis:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput, Andromachen a fronte videbis,
Post minor est; credas aliam.

Hæc sunt, quæ in hoc libro leguntur: exstant alia, quæ Clarissimus Musgravius, cujus omnino diligentiam debitis prosequimur laudibus, Volumine II & III adducet explicabitque.

Discedimus e Belgio, hæremus in freto, quod est inter Galliam Britanniamque cum Musgravio nostro visuri, an non Britannia olim fuerit pene Insula. Illud enim est argumentum dissertationis eruditissimæ, Belgio Britannico, ut & in titulo diximus, præfixæ.

fixæ. Negat Isaacus Vossius in Notis ad Melam, naturæque constantiam laudat, cui ut respondeat Cl. Autor, in duo inquirit capita; an Isthmum perrumpere potuerit Oceanus, & an omnino perruperit? Quod ad prius attinet, merito ad horribiles freti Britannici æstus, & immensam ventorum, imprimis Zephyrorum, vim provocatur, qua fieri sane potuit, ut fluctus marini litus illius obicis, e regione oppositi, superantes terram exederint abraserintque, idq; factum etiam esse, multa loquuntur. Ex Tabula Hallejana constat, Oceanum Britannicum, ubi fretum ingreditur, esse profundissimum, eam autem profunditatem in ipso freto magis magisque decrescere. Eadem est fundi maris natura, ubi Mare Germanicum freto immittitur, ut adeo satis constet, Jugum esse eo loco, ubi minimum distat terra continens ab Insula Britannica, longe altissimum, Isthmi olim existentis manifestum indicium. De eadem re testantur rupes albicantes in utroque litore sibi invicem longa serie oppositi, terra tempestatibus maximis elota sejuncti; testatur illa regio Britanniæ, quæ incolis *Rumney-Marsh* vocatur, planities hodie longe fertilissima, olim autem, fluctibus marinis irruentibus & ab objecto Isthmo elisis, sæpissime inundata, quod ossa Hippopotami & anchoræ in locis sat altis effossæ loquuntur. Hanc denique fuisse viam lupis animalibusque aliis nocivis, qua ingressi sint Britanniam, Autor noster sibi persuadet. Desunt quidem historiarum monumenta, qui id apertius tradant; sed illud etiam cum reliquis omnibus quæ antiquissimo tempore & ante illam ætatem gesta sunt, quam Herodotus in Historiarum suarum principio attigit, ignoramus. Immo Virgilii ævo hujus rei memoria exstitisse videtur: dicit ille

penitus toto *divisos* orbe Britannos,

& adhæc Servius, *Quin olim juncta fuit orbi Britannia*, & Claudianus: nostro deducta Britannia mundo.

Ut adeo Vossium & argumentis & autoritatibus vincere Musgravius videatur.

APPENDIX AD METALLOTHECAM Vaticanam MICHAELIS MERCATI, additis Notis & novis Iconibus.

Romæ, ex officina Jo. Mariæ Salvioni, 1719, fol.
Pl. 7 Tabb. æn. 20.

SUmmi Romani Præsulis munificentiæ & erga literas amori deberi, quod Michaelis Mercati Metallotheca vaga & in tenebris plus quam integro seculo errans, luci reddita nuper sit, in Actis Anni 1718 Mens. Febr. p. 49 grati prædicavimus. Quanquam vero nec munificentissimus Pontifex sumptibus parceret, nec illustris Jo. Mar. Lancisius industriæ; fieri tamen non potuit, ut omnia ex obscuris angulis & latentibus forulis protraherentur, quæ ad perficiendum splendidissimum opus pertinebant. Vix adeo rescivit Clemens XI repertos esse typos illos, quos deperditos Lancisius doluerat, cum huic ipsi mandaret, ut de iis redimendis cum eorum possessoribus ageret, quod successu non minus felici, quam conatu, ab ipso fuit præstitum. Sunt ergo XIX numero æneæ tabulæ ad metallothe am Mercati pertinentes, frustra antea quæsitæ & nunc inte schedas repertæ, & a Camillo Dato atque Ant. Bonino Rom. Pontifici redditæ, quas hæc Appendix exhibet, cum, ne qua diligentiæ laus Mercato decederet, tum, ut graphicæ artis studiosi peritiam & antiquorum, quibus Autor usus fuit, & nostrorum sculptorum inter se comparare valerent, quæ illustris Lancisii verba sunt. Quinque vero saltem tabulæ in edita Metallotheca omnino desideratæ sunt, siquidem XI jam summi Pontificis munere æri incisæ fuerant ad exemplum iconum, quæ in autographo glutino affixæ fuerant. Trunca vero statua, quæ Herculis fuit, ex archetypo jam restituta fuerat, hic tamen repetita, quod vel major prioris artificis solertia fuerit, vel ipsa statua minus injuriarum, sive ab hominibus, sive ipsis elementis, Mercati ætate passa esset, eaq; novæ illi, in ipsa metallotheca exhibitæ, præferenda videretur. Inter novas inventas tabula est, quæ auriculares lapides sistit, pagina 23 Appendicis, qui in Metallothecæ Mercati armario nono continentur, & p. 342 descripti sunt, cujus tabulæ occasione illustris Lancisius errorem corrigit, quo lapidem in hoc armario collocavit, qui ad auriculares minime pertinet, hinc in armarii IX caput XIX nunc rejectus est, ubi agitur de lapidibus, qui e nubibus demitti solent. Neque tamen his

his denuo collectis tabulis omnes plane lacunæ in Mercati opere expleri potuerunt, & quæ etiamnum frustra quæsitæ sunt, in latentibus doctorum scriniorum angulis occultari creduntur. Interim celeberrimus Editor, clarissimi Assalti usus opera, ut in ipsa Metallotheca, novas hic notas addidit, & in fine aliquot doctorum Virorum epistolas, occasione Metallothecæ scriptas, & ad easdem responsiones subjecit, in quibus plenius agitur de nonnullis, quæ ibidem dicta sunt. Prima inter illas apologetica est, de generatione metallorum, opposita doctissimi viri Herculis Corazzi, in Bononiensi Lyceo Analyseos Professoris, dissertationi, qua sententiam celeberr. Lancisii de generatione metallorum, p. 5 Metallothecæ propositam, impugnans, asserit, metalla plantarum instar ex semine nasci, cujus argumentis, ex chymicorum penu desumtis, ita satisfecit, & tam salse chrysopœorum, qui chymicos se imprimis esse gloriantur, sagaces nugas derisit acutissimus Lancisius, ut nihil reponere voluerit Corazzius, sed animi causa talia a se prolata esse profiteatur in responsoria. Et sane vix satis intelligitur, cur isti philosophi sua metallorum semina montibus, antea horum feracibus, nunc vero exhaustis, non inferant, quo largam aliquando auri messem faciant. Inde sequitur Maxime Reverendi Ernesti Salomonis Cypriani ad Illustrem Lancisium epistola, Serenissimi Ducis Saxo-Gothani autoritate missa, quod ipse Serenissimus Princeps in Metallotheca lapidis ἰδιομόρφυ, pectoris humani formam referentis, & ab Agricola descripti, qui Salfeldiæ olim inventus, mentionem factam deprehendisset, cujus icon non invenitur in Metallotheca Vaticana, unde jussit doctissimum Cyprianum, num is uspiam reperiri posset, inquirere, quod etsi frustra tentatum fuisset a Viro rei literariæ promovendæ studioso, tamen alios hujus naturæ ad Lancisium misit, pro quibus gratias in responsione agit, adjuncto missorum indice. Qua occasione monere lubet, apud nos esse lapidem fissilem Islebiensem, cui piscis species impressa est, qui situ & forma exacte convenit cum Mercati pisce p. 319 prima icone expresso, ex quo apparet, uno plures existere unius formæ lapides, nisi dicatur hunc a Mercato visum esse. Pagina 367 e Metal-

lothecæ visenda exhibetur statua Cleopatræ, quam summus Pontifex operi propter elegantiam & quod eodem, cum reliquis loco collocata esset, addi jussit, in cuj9 brachio aspis conspicitur, qua occasione Lancisius monuit, vulgo quidem ejus morsu periisse reginam credi, quamvis alii hausto veneno corruisse putent: hoc disputationi doctæ & eleganti ansam præbuit celeberrimo Morganio, ut staret pro aspide, quam Lancisius profligat, & vel epoto veneno, vel inflicto vulneri instillato, periisse Cleopatram statueret. Rem clare & diserte veteres non definiunt, & cum non minima quæstionis pars eo redeat, an cita & placida mors, sine manifestis venenati vulneris notis morsum sequatur aspidis, an vero a Cleopatra electum mortis genus cum narcotico veneno hausto magis conveniat, præstiterat forte propriis experimentis doctissimum Morganium usum, quam autoritate Aetii & reliquorum veterum, qui in his nimis sæpe incaute procedunt.

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI, IN PATAvino Gymnasio Primarii Anatomes Professoris, Adversaria Anatomica quinta.

Patavii, apud Josephum Cominum, 1719, 4 maj.
Plag. $16\frac{1}{2}$ Fig. Tabb. 2.

EX nobilissimi Autoris *Adversariis Anatomicis*, conjunctim anno superiori editis, postquam *quarta* nuper *Mense Martio* p. 143 recensuimus, pervenimus nunc ad *quinta* itidem excerpenda, quæ sicuti celeberrimo, dum viveret, Lancisio inscripta, ita & præter L Animadversiones in Librum III Theatri Anatomici Mangetiani duas simul laudati Viri Dissertationes Anatomico-Medicas, de vena sive pari alteram, alteram de Gangliis nervorum, ad *Nostrum* exaratas, continent. In virorum siquidem non minus ac in virginum mammis lac subinde secerni, *Autor* sub *Animadversionis I* finem propriis confirmat observationibus, dum non in duabus tantum integerrimo utero atque hymene virginibus, sed in viro etiam quodam habitiore, veri albissimique lactis in earum altera multum, in hoc autem & altera

altera virgine guttas folummodo vidit, præpereaque ex mammillis recens natorum, noftri etiam fexus, infantum ferofi lactis feive guttulas manibus fuis expreffit. Mammas vero ex plurimis glandulis parvis compingi, Verheynio & Nuckio eo minorein in *Animadv. IV* habet fidem, quo fæpius & diligentius ipfe tam ficcas, quam lacte repletas mammas incidens, nihil tale adhuc invenerit, invenerit autem femper, quicquid propriæ glandulofæ fubftantiæ in mammis erat, in corpus unicum, magnum & folidum coloris albidi fuperficiei non prorfus æqualis compactum, cujus fere centrum papillæ refponderet, intra illud vero, quoties lacte fcateret, nonnullæ quafi cellulæ eodem plenæ apparerent ad ductus lactiferos pertinentes. Qualem mammarum conformationem etiamfi tum a Riolano & Whartono defcriptam, tum ab Heiftero quoque annotatam, poftea deprehendiffet, dignam tamen judicavit, quam Figura 3 Tabulæ Adverfariis quartis fubjunctæ ita dilucidaret, ut in Mamma per Papillæ centrum perpendiculariter divifa non modo Papilla, Areola, tria hujus tubercula, tegumenta ac utrumque, fuperius & inferius, pinguedinis ftratum, fed ipfa imprimis Mammæ Glaudula unica & ductus lactiferi, tam majores ad papillam, quam minores ad areolæ tubercula tendentes, confpicerentur. Duo hinc diaphragmatis foramina, per quæ nervorum intercoftalium truncos transmitti Vefalius cognovit, licet a Cafp. Bartholino & Mangeto omiffa in eodem nihilominus cadavere, in quo nervorum diaphragmatis originem indagavit, re ipfa pariter in carnea ipfius parte juxta *Animadv. XII* deprehendit, ulteriori interim difquifitioni relinquens, quid, dum fibræ diaphragmatis carnofæ vel diu contrahuntur, vel crebrius fortiusq; tenduntur alterneq; laxantur, his æque nervis, ac nervis paris octavi, una cum œfophago transmiffis, tunc five utilitatis five noxæ contingeret. Porro in quibusdam non folummodo animalibus fummum cordis feptum, fed in ipfis quoque hominibus magnam orificiorum cordis partem haud raro in fubftantiam offeam indurari, exemplo quidem tum viri, tum mulieris grandævæ in *Animadverf. XIV* corroboratur, ceu in quorum illis cordis fubftantia fub mitralibus valvulis offi-

 culum

culum extiterit transverso pollice longius, in hac vero os transversum pollice crassius, dimidiatum annulum repræsentans ac cum memoratis valvulis ipsis ossificatis cohærens; num vero omne tale osseum ad cordis tendinem spectet, non immerito dubitatur. Nec in hominis vena cava similis admittitur musculus, qualis in bovis vena cava ad dextram cordis auriculam validus & rubicundus, insignem sphincterem æmulans, in *Animadverſ. XV* ultro conceditur. Ovale autem quod in fœtu dicitur foramen ejusque valvula quomodo in adultis quoque sese habeat, in *Animadv. XVI* non minus prolixe explicatur, quam Fig. 4 Tabulæ Adversariis quartis adjectæ illustratur, quod Autor sæpissime viderit eam valvulæ partem, quæ ultra ovalis foraminis anteriorem inferioremque marginem extenditur, in senilibus etiam corporibus non modo nondum parieti pulmonalis venæ coaluisse, sed instar duorum, vel plurium inæqualium, vel quod frequentius, unius insignis sacculi, cujus orificium deorsum nonnunquam, sæpius antrorsum spectasset, crassiora specilla, tum ipsum extremum scalpelli manubriolum inter se ejusque venæ parietem tam alte admisisse, ut, quod Verheynius in vitulis diversa temporis distantia post nativitatem mactatis perspexit, valvulam videlicet, dum a parte pulmones respiciente parieti venæ pulmonalis adnascitur, adhuc crescere & extendi ubi eos respicit, id in hominibus quoque verum esse videretur. Amore ideoque veri permotus *Animadverſionis XVI* loco mox subjungit, quæ in marinæ testudinis corde annotaverit, magis omnino cum diligentissimi Mery, quam cum aliquorum ex iis, qui contra ipsum scripserunt, observationibus congruentia. Totam tamen thoracis cavitatem a pulmonibus in inspiratione neutiquam impleri, experimento evidenti adversus Willisium in *Animadverſ. XXXIII* evincitur, dum Noster vivo cani utroque in latere tantum pleuræ detexit, quantum satis esset, cum amicis autem in inspiratione & multo magis in exspiratione satis spatii inter thoracis parietes ac pulmones notavit reliqui; licet e diverso experimentum, quo laudatus Willisius nihil aeris inspirandum inter per tracheam ad lobulorum pulmonalium interstitia deferri, comprobatum dedit,

dedit, proprio Autoris experimento æque confirmetur, ac glandulæ subrotundæ & ovales asperæ arteriæ ac primorum bronchorum dorso instratæ atque a Nostro in Adversariis primis delineatæ, cum usu ipsis assignato in *Animadversione XXXVI* & quatuor insequentibus, novis observatis strenue vindicantur. Ne multa commemoremus, quæ pro partium Laryngis nonnullis figuris earumque usibus defendendis demum adducuntur; accedimus potius ad *duas Dissertationes epistolares* pariter perlustrandas, quas celeberrimus, dum viveret, *Lancisius* ad Autorem ab ipso rogatus *de vena sine pari ac de Nervorum Gangliis* A. 1717 & 1718 conscripsit figurarumque duabus Tabulis dilucidavit. In *priori* namque priusquam ad quatuor Problemata proposita respondeat, prolixe tum statum, tum structuram usumque venæ azygæ ita exponit, ut non modo de ejus in hominibus ac animantibus diversis cum convenientia, tum differentia, sed & de peculiari constet artificio, quo illa in hominibus potissimum videatur instructa, dum hi respirationis organis tum ad vocem multifariam fereque innumeros corporis ac thoracis motus, sed & ad nonnullos pectoris morbos per anacatharsin profligandos opus habeat. Omni scilicet venæ sine pari ramificatione omnique communicatione cum venis mammariis, vena emulgente sinistra, vel cava in latere dextro aut dextra vena spermatica non minus mulierum, quam virorum, descripta, iisque ramis etiam intercostalibus indigitatis, qui in aliam venam lateris sinistri desinunt, quoties talis occurrat venæ azygæ munus præstans ac in subclaviam sinistram se exonerans, tria imprimis in vena sine pari humana dudum a se observata reputat digna, quæ communicet & ad usum in pleuritide applicet. Primum quippe nervos quosdam utrinque per dorsi costas inter pleuræ membranas ferri usque ad posteriora diaphragmatis, singulas intercostales venas vago itinere ac sæpe ad rectos fere angulos secantes; deinde orificium ejusdem azygæ in cavam desciscens semicirculo musculari instar hemisphincteris cum peculiari nervo muniri; ac tertio in eadem anastomosi venæ azygæ cum cava minimos tubulos ab inferiori ingredientis azygæ atque excipientis cavæ parte inter tracheæ annulos

annulos ac membranas ſenſim irrepere atque ad internam usque ipſius tracheæ tunicam pervadere. Quorum poſtremorum uſu in pleuritide uberius explanato facilique ab azygæ & cavæ trunco intra tracheam liquidorum tranſitu comprobato, cauſam problematis primi: cur quicquid ſanguinis ex arteria magna per intercoſtales plerasque effluit, id omne per totidem venulas non in cavam pari ordine deſinentes, ſed in azygam refluat? exinde deducit, quod facilius, promtius celeriusque ſecundum voluntatis arbitrium ad reſpirationem retardandam, ſollicitandam, retinendamve curſus pariter & immiſſio ſanguinis ab azyga in cavam modo retardari, modo celerior fieri, modo etiam retineri poſſit, dum minori negotio unum emiſſarium, quam plura, uno eodemque tempore valet regi. Nec cauſa ſecundi problematis: cur vena azyga non in cavæ inferiorem truncum, ſed in ſuperiorem exoneretur? Margagnum ex Cowpero ratiocinantem latuiſſe indigitatur, nimirum ne ſanguis, qui ab intercoſtalibus muſculis aliisque thoracis partibus unico impetu ſecundum varios reſpirationis motus per azygam refluit, ſi in cavam inferiorem illaberetur, ſanguini per illam jam ægrius aſcendenti moram inferret. Solutio autem tertii problematis: cur ſanguis ab intercoſtalibus refluens non per duas, ſed per unam venam ſine pari in venam cavam inferatur? ab ipſiusmet azygæ uſu & actione deſumitur, cum hæc namq; ſanguinem reducat a ſingulis intercoſtalibus muſculis ac diaphragmate, veluti muſcularibus partibus, quæ omnes ſimul uno eodemque tempore pro reſpirationis exigentia moveri debent, oportere omnino, ut ſanguis omnis uno eodemque alveo exceptus, univerſus quoque ſimul non magno, ſed facillimo negotio retardaretur vel acceleraretur. Rationibus denique poſtremi problematis: cur azyga non in ſiniſtris, ſed dextris prorepat? a Morgagno ipſo allatis hæc ſolummodo adjungitur, quod, ſi vena ſine pari eodem itinere in ſiniſtris, ac in dextris, collocaretur, ductui thoracico ibidem jam locato plurimum obeſſet, non tantum aliquid ſpatii eidem demendo, ſed & ſanguinem in eandem illam ſubclaviam, in quam Pecqueti ductus chylum lymphamque immittit, corrivando. In *poſteriori* au-

tem

tem præter ea, quæ in genere ad Gangliorum in nervis situm, numerum & figuram spectant, quatuor imprimis, structura videlicet eorundem, vis, usus ac morbosæ affectiones, ample indagantur & enodantur. Primum siquidem diligenti & accurata Gangliorum adhibita sectione, modo crudorum, modo coctorum, modo diu in urina vel aceto maceratorum, eadem peculiares suique generis existere musculos asseveratur, i. e. universum Ganglii corpus ex duobus potissimum tendinibus & duplici fibrarum carnearum serie ac directione ita compingi, ut primus tendo externus sit ac ex duabus extimis membranis nervulisque per eosdem diffusis resultet, alter vero tendo per medullium instar axeos descendens ille habeatur, a quo penniformes fibræ oriantur aut saltem alligentur. Hinc actio & vis ipsorum in eo statuitur, ut pro animalium motuum opportunitate plus minus contracta, tum canales sanguineos, quibus annectuntur, parum elevent, tum liquidum nervorum vehementius extrudant. Quoniam ii autem nervi tantum, qui ad organa motus feruntur, gangliis gaudent, in regendis pariter iis animalibus motibus, qui vel arbitrio obsecundant, vel ipso arbitrio celeriter moveri aut retardari debent, præcipuus eorundem usus quæritur. Nec demum Ganglia nervorum aliis malis, quam quibus musculares partes utplurimum tentari solent, convulsioni nempe clonicæ sive motui convulsivo, convulsioni tonicæ ac semiparalysi vel paralysi veræ, reputantur obnoxia. De cetero num laudatus *Lancisius* Tractatum de motu Cordis atque anevrysmatibus, aut saltem ejusdem synopsin, ante fatalem vitæ terminum, quem d. 20 Januarii a. c. habuit, ultimam imposuerit manum, neque nobis, neque aliis forsan constat, qui talem anxie adhuc desiderarunt.

A TREATISE OF ENDEMIC DISEASES.

i. e.

TRACTATUS DE MORBIS ENDEMICIS;

Autore CLIFTON WINTRINGHAM.

Eboraci, apud W. Taylor, & Thom. Ward, 1718, 8.

Plag. $8\frac{1}{2}$.

MAgna quidem multaque prostant Casuum Observationumque Volumina, a Medicis Practicis consarcinata, variam variorum symptomatum syndromen exhibentium, raro tamen contingere, ut omnia symptomata, quæ in tot ægris hodie mitiganda sunt, conveniant cum historiis a Veteribus consignatis, Clinici norunt Medici. Et si vel maxime omnes aliquando circumstantiæ concurrant in ægrotis eodem morbo laborantibus, non semper tamen eundem sequi eventum, nec eodem ubique successu morbos tractari, sæpe observare licet. Cum enim morborum tam acutorum quam chronicorum causæ primariæ atque remotæ non minus ac temperamentorum differentiæ ab aere, locorum situ, vivendi genere & similibus maximam partem dependeant, fieri aliter non potest, quin eædem pariter res medicamentorum etiam maxime efficacium vim & energiam infringant, Medicorumque expectationem illudant. Hinc factum est, ut alii diversas regiones inhabitantes Medici alii medendi methodo nullo non tempore institerint, diversaque commendaverint medicamenta, a se probata, quæ tamen aliis in climatibus desideratum non exhibuerunt effectum. Quoniam igitur scrutinium harum causarum, Praxi Medicæ haud exiguum affulgens lumen, admodum neglectum hactenus fuit, operæ pretium duxit clarissimus Wintringhamius, cujus Tractatum de Podagra in Actorum Supplementis, Tom. VI Sect. VIII p. 357 commendavimus, in easdem hoc in Scripto majori solertia inquirere. Ex quo pauca nunc communicabimus.

Cap. I. Morbi Endemici quemadmodum illi dicuntur, qui certam regionem alio & peculiari quodam modo quam aliam invadunt, ita particularibus climatis, aeris, soli, situs, aquæ, & similium qualitatibus ortum suum debent, corpus non minus, quam animum afficientibus. Aeris quidem gravitas & pressio diversa ad breve tempus corpus nostrum alterare potest, diuturniores vero effectus, de quibus Autor hic loquitur, sensibilibus potius ejus qualitatibus, calori puta, frigori, humiditati, siccitati, & prout effluviis animalibus, vegetabilibus, & mineralibus plus minus refertus est, adscribendi veniunt. Per calorem

enim

tuim & frigus aer rarefactus aut condensatus modo amplius exigit ſpatium, modo intra anguſtias coercetur, & variam inde quoad elaſticitatem ſuam ſubit mutationem; quæ tamen per humiditatem & ſiccitatem magis alteratur, unde aer ad reſpirationem plus minus aptus redditur, imo fibras vel relaxando vel contrahendo inſenſibilem tranſpirationem potiſſimum, hinc & quamvis excretionem vel ſufflaminat vel promovet. Vaporoſæ exhalationes elaterem aereum ſupprimunt, & modo conſtringendo, vel laxando fibras, modo fermentando, diſſolvendo, vel coagulando humores vitales, modo partes ſolidas ad validiorem & frequentiorem vibrationem ſtimulando corpus humanum ad morbos diſponunt. A ventis potiſſimum, quibus regio una alterave expoſita eſt, variæ corporibus noſtris accedunt alterationes, quorum tamen diverſæ qualitates non tanquam totidem mutationes aeris ſunt reſpiciendæ, utpote qui fluidum tantum eſt, quod comprimi aut dilatari, & benignas pariter ac noxias qualitates ſuſcipere aptum eſt, ſed variis climatibus, terræ tractibus, aquis & ſimilibus, ſuper quæ vehuntur, originem ſuam debent. Ventos igitur, qui ex quatuor mundi plagis ſpirant, atque intermedios examinat Noſter, qualem corpori diſpoſitionem impertiant, qualemque admittant medelam, inquirens. Sequitur regionis differentia, a locis vicinis petita, num ſit inſula, an terra continens, mari, lacubus, fluviis, immediate an remote adjacens, num in montium jugis, an in vallibus ſit ſita, num plana, an cava, aperta, ſylvis circumſepta? Alia eſt differentia, quam ipſa ſoli natura ſuppeditat, num ſcilicet illud ſit ſiccum, humidum, ſabuloſum, argilloſum, lapideum, paludoſum, an metallis, mineralibus ferax, aut ſpeluncis, vulcanis, fontibus, lacubus, fluviis abundet? Et quoniam aqua eſt, quæ in majori copia corpus noſtrum ingreditur, baſin conſtituit omnium potulentorum, tum naturalium, tum artefactorum, plerisque alimentorum ſpeciebus permiſta eſt, & omnium ciborum vehiculum exiſtit, ut de coctione & præparatione omnium eſculentorum, quæ cum aqua fit, nihil dicamus, magna ipſi ineſt vis œconomiam animalem alterandi, pertinacesque & fatales morbos inducendi. Summa igitur cura

Cap. II.

III, IV, V, VI

VII.

VIII.

IX.

X.

ejus naturam & differentiam examinat Noster, & quomodo per eam Endemici morbi generari aut foveri queant, docet. Similitandem industria de cibis, tam iis, quæ ex vegetabilibus, quam quæ ex animalibus petuntur, loquitur. De singulis agere, nimis prolixum foret, ea solummodo commemorabimus, quæ de calido climate monet Autor, ex quibus benevolus Lector facile judicabit, qua methodo reliqua persecutus sit. Loca, calidis ventis exposita, imprimis ubi humiditas jungitur, minus salubria nunquam non fuerunt credita. Calor enim cum humiditate conjunctus fibras corporis humani laxando & debilitando elasticitatem & vibrationes earum infringit, hinc minus disponit homines ad duros sustinendos labores. Et quoniam simul aer vaporibus refertus vesiculas pulmonales minus expandere potest, sanguinis globuli non rite dividuntur, hinc circulatio ejus languidior redditur, partim quod hic majorem nactus viscidita tem per exiles corporis canaliculos subtilesque mæandros penetrare nequit, partim quod spiritus in cor influentes deficiunt, absumptis scilicet tenuioribus & auctis aquosis particulis. Atque hac ratione fibræ relaxantur, corpus languidum effœminatumque redditur, debitaque impeditur insensibilis transpirationis expulsio. Quæ aeris conditio quemadmodum naturalem constitutionem ita immutat, ut appetitus imminutus, bradypepsia, facultatum hebetudo, obesitas, stupor, pusillanimitas, pallor & similia in incolis observetur, ita magnam morborum seriem inducit, & in infantibus quidem rachitides, hernias, convulsiones, & asthmata, in juvenibus scrophulas, lumbricos, icteros, obstructiones, atrophias, in mulieribus abortus, partus difficiles, in ætate consistenti diarrhœas, dysenterias, lentas & malignas febres, exulcerationes ichorosas, cachexias, empyemata, in senio lethargos & paralyses. Nec minor est molestia illa, quam patiuntur in calido climate degentes, quatenus ex levissima causa in insensibilis transpirationis suppressionem incurrunt, & de frigore conqueruntur, quod alii non percipiunt, qui frigidius incolunt clima. Cum enim caloris frigorisque sensationes maximam partem a dispositione corporis impressionibus externis expositi dependeant, aliter fieri non potest, quam

quam ut idem caloris vel frigoris gradus in diversis subjectis producat, aut unum idemque subjectum diverso tempore patiatur contrarios effectus. In provinciis nihilominus talibus calidis non eadem ubique est ratio insalubritatis, prout scilicet illæ frigidis etiam simul ventis patent, vel minus, prout in altiori vel depressiori loco sitæ sunt, & prout sylvis, stagnis, paludibus adjacent; unde loci qualitas noxia vel corrigitur, vel augetur, effectusque magis funesti vel salutares insequuntur. Ex his facile colligere est, felici methodo noxas ejusmodi a situ loci metuendas averti posse, si fruantur incolæ cibo potuque, qui humores viscidos moderate attenuat, & dissolvit, tonumque partium solidarum relaxatum contrahit, & roborat, corpus in atmosphæra subfrigida & sicca exerceant, ac balneis frigidis & similibus utantur.

D. LAURENTII HEISTERI, ANATOM. Chirurg. ac Theor. Professoris Publ. Altorfini Vindiciæ sententiæ suæ de Cataracta, Glaucomate & Amaurosi, adversus ultimas animadversiones atque objectiones Diarii Parisiensis Eruditorum, ut & WOLHUSII, Ocularii Parisiensis, ejusdemque asseclarum. Adjectus est Index in omnes tres libros de hoc argumento a se editos.

Altorfi, literis Jod. Guil. Kohlesi, 1719, 8.
Plag. 20.

Quoniam ab eo tempore, quo Autor Apologiam sententiæ suæ de controversis illis oculorum morbis edidit, quam A. 1717 in his Actis recensuimus, in qua omnibus adversariorum objectionibus, ipsi notis, & sententiæ suæ contrariis, responderat, novas hi objectiones in medium attulerunt, quibus non solum sententiam ejus invertere, verum etiam gravium errorum & contradictionum aliarumq; inculpationum ipsum reum agere voluerunt; hinc Autor, partim ut a falsis his criminationibus se liberaret, partim ut vera morborum illorum ocularium, de quibus jam per tot annos tam acriter disceptatur, natu-

ram & constitutionem evidentius explanaret, se inductum esse, ait, ut hac etiam adhuc vice ipsis responderet: ne jure perhibere possent, ut alias fecerunt, ipsum objectiones suas evertere non valere; atque ut eruditi, a studio partium liberi, collatis utrinque experimentis atque rationibus, rectius judicare queant, cujusnam in hac controversia sententia cum veritate melius conveniat.

Præfat.

Ante omnia vero generatim contra adversarios suos ostendit, se in primo suo de his morbis tractatu neminem ullo duro vel iniquo loquendi modo læsisse: & tamen ob illum tractatum ab ipsis acerbioribus verbis invasum fuisse, quasi hi de industria ignominia ipsum afficiendum sibi sumserint; iisque se impulsum esse, ut paullo duriori quoque modo ipsis rursus responderet: atque hinc multis argumentis demonstrat, eos ipsos acerbioris contentionis autores jure habendos esse. Etenim in rei hujus testimonium, præter dicteria, quibus adversarii sine omni causa primi ipsum onerarint, etiam adducit verba Virorum clarissimorum, qui Memorias Trevoltienses evulgant, qui pariter severe redarguerunt modum, quo adversarius primarius, Wolhusius, quoscunque a se dissentientes aggredi & impugnare soleat, vid. p. 186 & 108.

p. 1.

Speciatim vero in paragrapho 1 & 30 ostendit Autor, *adversarios sententiam suam de Cataracta vel non intellexisse, vel data opera intelligere noluisse*; cum tamen eam Wolhusio tam perspicue literis scriptis exposuerit, se scilicet Cataractam PLERUMQUE (non semper) in humoris crystallini opacitate constituere; ideoque membranaceas cataractas, si modo ex certo probentur, non prorsus negare: hancque suam sententiam experimentis quam plurimis confirmatam esse demonstrat.

5 ad 20.

§. 2 ad 11 recenset sigillatim, *quomodo & quot modis adversarii ipsum prius inique tractaverint*, & quod propterea duram quoque responsionem sua culpa promeruerint. §. 12 contra adversariorum opinionem experimentis evincit, *plus humoris aquei ante uveam, quam post eam reperiri*: id quod deinde §. 35 & 37 uberius confirmat; unde ibidem evincit, adversarios ex hypothesi ipsorum, idoneam rationem, *quare cataracta*

21.

taracta non sæpius ante pupillam, quam post eam oriatur, non dedisse: quod fieri deberet, si cataracta ordinarie aut plerumque in humore aqueo existeret. § 13 ad 17 varias objectiones Andryi refutat, & ex ipsa hujus censura probat, se nova, adeoque non omittenda, scripsisse. §. 18 ostendit, *machinam illam curiosam*, a se in primo suo Tractatu de Cataracta descriptam, quæ, visum sine crystallino fieri posse, tam pulchre illustrat, inique ab Andryo carpi: idcirco præstantiam ejus uberius patefecit, ejusdemque alias præterea objectiones §. 19 & 20 revellit. §. 21 ad 26 *Mercurii legitimum usum*, in morbis oculorum salutarem, contra ejusdem Andryi censuram defendit, aliasque hujus animadversiones atque accusationes refutat. §. 26 *Clar. Vallisnerii*, primarii Medicinæ Professoris Patavini, epistola, Autorem contra Andryum defendens, exhibetur; §. 27 alia docti cujusdam Viri epistola in Wolhusium scripta sistitur. Postea responsio Autoris sequitur ad objectiones Wolhusii, quas in suis dissertationibus, quas *doctas & criticas* vocat, protulit; ubi §. 28 ad 30 Autor falsa & iniqua sibi ab editore illarum dissertationum impingi tradit. §. 32 ostendit, observatione Wolhusii de cataracta membranacea sententiam suam non everti. §. 33 convellit sententiam illam, qua Wolhusius contendit, *doctos nunquam voluisse, cataractam esse membranam præternaturalem*; id quod Autor noster §. 64, 65 & 66 uberius deducit. §. 34 redarguitur Wolhusius, contendens, humorem vitreum in operatione consueta cataractæ non perforari. §. 38 & 41 unum ex primariis controversiæ hujus capitibus excutitur, *de vera scilicet cataracta atque glaucomatis differentia*: & ex signis pathognomonicis utriusque evincit, cataractam in opacitate crystallini, glaucoma vero in vitrei humoris opacitate constituendum esse. §. 42 ostenditur, Wolhusium idonea experimenta non produxisse. §. 43 ad 73 examen instituitur animadversionum Wolhusii, quas hic in Tractatum primum Autoris de Cataracta edidit: quas non solum confutat, verum etiam Autorum Memoriarum Trevoltiensium judicio atque testimonio ostendit, eas in hac controversia nullius esse momenti, atque caput rei non attingere. Speciatim vero ab iniquis, quas vocat, insimu-

p. 26. 36. 43. 54. 61. 68. 72. 74. 75. 81. 86. 88.

p. 94 & 137. insimulationibus, & præsertim a plagio, cujus adversarius ipsum accusavit, se §. 48 & 71 liberat, illudque potius in Wolhusium
95. devolvit: & simul contradictiones & errata ipsius variis in lo-
98. cis hujus libri indicat. Conferantur pag. 122, 134, 139, 146,
118. 148 &c. §. 60 Autor indicat, *Wolhusium sua experientia ne unicum exemplum cataractæ in humore aqueo ex homine hucus-*
122. *que proferre potuisse*. §. 64 ad 68 contra Wolhusium probat Autor, *scriptores cataractam omnino pro membrana habuisse*:
136. id quod ille negare voluit. A §. 70 ad 79 varias Wolhusii iniquas objectiones refutat, variasque contradictiones & errores
151. ipsius indicat. §. 80 ad 89 Autor patefacit, quam inique Wolhusius multos Viros præstantissimos, speciatim *Ruyschium, Bartischium, Meryum, Cowardum, Kennedyum, Anellum*, aliosque multos tractaverit; qui vero a Nostro defenduntur, atque errores
166. illius refutantur. §. 93 ad 95 respondetur epistolæ injuriosæ
186. sive maledicæ, quam Wolhusio Noster tribuit, ab eo tamen neutiquam agnosci, accepimus; de qua rursus ostendit, Autores Memoriarum Trevoltiensium eam pro scripto prorsus ignominioso, quod nil nisi convitia contineat, declarare atque ha-
197. bere, quodque ad controversiam nil quicquam faciat. §. 97 *Responsio Autoris ad observationem Norimbergensium de cataracta membranacea*, exhibetur; qua quidem probari indicat, cataractam *quandoque* esse membranam; verum hoc non ordinarium esse, ut vulgaris erat opinio, sed raro contingere, inde patere ostendit, quia in quamplurimis aliis cataracta laborantibus oculis nulla membrana, sed crystallinus opacus repertus fuerit. Ideoque inde concludit, cataractam *plerumque* in crystallini opacitate & non nisi raro in corpore membranaceo
208. consistere. §. 98 *Analysis Tractatus primi Autoris de cataracta* ex Memoriis Trevoltiensibus perquam honorifica sistitur; ut illi, ad quos hæc acta alias non perveniunt, inde cognoscere queant, quid hi Viri Clarissimi de hac controversia judicent & quomodo magis cum Heistero, quam cum parte adversa sentiant.
223. Cui analysi §. 99 etiam ipsius Apologiæ epitome eorundem
229. Autorum adjecta est. Denique §. 100 *Dissertationum Wolhusii* (quibus titulus *doctarum & criticarum* præfixus est) analysis ex illis

illis ipsis Memoriis Trevoltiensibus refertur; quæ vero omnes Wolhusio parum favent, maxime cum de eo judicent, *eum ex capite controversiæ logomachiam facere*. His vero tribus Analysibus, ex Memoriis Trevoltiensibus desumtis, Autor noster ubique notas atque animadversiones subjecit, quibus sententiam suam de his morbis eorumque veram constitutionem latius explicat. Postremo §. 102 nonnullos insuper errores a Wolhusio commissos demonstrat.

p. 223 & 242.

OPTICE, SIVE DE REFLEXIONIBUS, Refractionibus, Inflexionibus & Coloribus Lucis Libri tres; Autore ISAACO NEWTONO, Equite Aurato. Latine reddidit SAMUEL CLARKE, S. T. P. Editio secunda, auctior.

Londini, impensis Guil. & Joh. Innys, 1719, 4.
Alph. 2 plag. 8 Tabb. æn. 12.

PRimum liber prodiit idiomate Anglico A. 1704; deinceps eum Latine vertit *Samuel Clarkius*, Vir ob studia inprimis metaphysica celebris, atque versionem A. 1706 publicavit. Sistit nunc alteram ejus editionem, quam auctiorem titulus commendat. Incepit autem versionem jussu Autoris & eodem approbante absolvit, ut adeo dubitandum non sit, eam menti Autoris ingeniosissimi esse conformem. Discrimen, quod inter editionem priorem ac hanc posteriorem intercedit, ipse Vir summus *Newtonus* his verbis enunciat: " Tractatus, inquit, mathematicos in priori Optices nostræ editione sub " finem annexos (vid. Acta A. 1705 Mens. Jan.) in secunda hac " editione, utpote ad eandem materiam minus spectantes (&, quod addere bona Autoris venia liceat, interea quoque seclusa Optica a *Jonesio* A. 1711 una cum aliis schedis ac Tractatibus *Newtoni* mathematicis editas, ceu videre est ex Actis A. 1712 p. 74) subjungere omisi. In fine libri tertii Quærendorum " numerum adauxi. Et ne quis gravitatem inter essentiales " corporum proprietates me habere existimet (probat ergo, quæ contra *Freindium* aliosque *Newtoni* asseclas in Actis A. 1713

p. 310 & seqq. alibique a nobis dicta sunt) quæstionem unam „de ejus causa investiganda subjeci. Quæstionem, inquam: „quippe qui experimentis rem istam nondum habeam exploratam. „ Hoc monitum Autor præmisit A. 1718 editioni alteri Optices Anglico idiomate recusæ in 8, unde idem quoque editioni posteriori præfixit Interpres. Cum theoriam luminis atque colorum, quæ in hoc opere experimentis ac observationibus stabilitur, jam in Actis A. 1706 p. 59 & seqq. exposuerimus, atque ab objectione *Mariotti*, quæ eam premere videbatur, in Actis A. 1717 p. 232 vindicaverimus; quid nobis supersit non apparet, nisi ut augmentum, quod quæstionibus subjunctis accessit, distinctius recenseamus. Reperimus itaque quæstionem octavam, de corporibus fixis a calefactione splendentibus, ad corpora omnia extendi, quæ partibus abundant terrestribus & præsertim sulphureis, non modo cum calefiunt, sed quando partes a causa quacunque agitantur. Adduntur hic nonnulla ad *Hauksbeji* experimentum, de quo pridem diximus in Actis nostris. Huc pertinet, quod a *Newtono* notatum, vaporem electricum (sic enim appellat lucem ex vitro erumpentem) ea vi nonnunquam ad digitum allidi, ut etiam tactu percipi queat: quod idem quoque evenire ait, quando cylindrus e vitro electrove longus & amplus charta manu admota eo usque confricetur, donec vitrum incaluerit. Ad quæst. 11 nonnulla adjecit *Newtonus* pro confirmanda sua hypothesi de natura Solis atque fixarum, quæ corpora mundi totalia ingentes terrarum globos vehementer calidos esse suspicatur. Notatu dignum videtur experimentum, quo inter alia in rem suam utitur. Scilicet mixturam stanni & plumbi ferro candenti in vacuo impositam fumum emittere atque etiam flammam, quorum neutrum in aperto aere accidit. Ad quæst. 16 nonnulla annotat de causa orbis ignei, quem videmus carbone candente motu celerrimo in orbem acto, ab aliis etiam jam tradita. Quæstiones, quæ a decima septima usque ad 25 sequuntur, prorsus novæ sunt, ita ut in nova editione sit vigesima quinta, quæ in priore fuerat decima sexta. In his quæstionibus agnoscit fluidum æthereum, per quod lumen propagetur, & in quo planetæ circa Solem moveantur,

veantur, cujusque ope sensationes in nervis perficiantur. Ad stabiliendam fluidi hujus existentiam utitur experimento, quo a pluribus jam annis ad probandam existentiam materiæ calorificæ ex uno corpore in aliud migrandis uti solet Cel. *Wolfius*. Scilicet si thermometrum parvum in amplo vitro cylindraceo inverso ita suspenditur, ut vitrum non contingat atque aere exhausto e loco frigido in calidum deferatur, spiritus perinde ac in altero, quod in vitro simili aere pleno suspenditur, ascendit, & quidem eadem utrobique celeritate. Inde autem concludit, calorem trans vacuum deferri vibrationibus medii cujusdam longe, quam est aer, subtilioris. Hoc ipso medio lumen refringi ac reflecti & cœlos universos repleri. Ab eodem nunc ipsi probabile videtur oriri gravitatem, quod hactenus plerique, Anglorum autoritate Cel. *Newtoni* moti agnoscere recusarunt. Deducit autem gravitatem a vi elastica hujus medii, qua corpora a densioribus medii partibus ad rariores impellantur. Sumit enim, medium hoc multo rarius esse intra corpora densa Solis ac planetarum atque Cometarum, quam in spatiis cœlestibus interjectis, densitatemque a Sole usque ad Saturnum continuo crescere. Ceterum vim elasticam esse valde magnam, ex celeritate, qua lumen propagatur, colligit. Quoniam enim soni feruntur circiter 1140 pedes Anglicos intra minutum temporis secundum & spatio septem octove primorum 100 milliaria Anglica emetiuntur, lumen vero a Sole septem octove circiter primorum spatio ad nos defertur, quod ex supposita parallaxi Solis horizontali 12″ æstimat 70000000 milliarium Anglicorum; vim elasticam ætheris pro ratione suæ densitatis esse debere statuit amplius 700000 partibus majorem quam vim elasticam aeris pro ratione suæ itidem densitatis. Hujus medii resistentiam adeo exiguam esse statuit, ut per decem millia annorum vix planetarum motibus variationem ullam inducat, quæ sensu percipi possit, nempe amplius 600000000 partibus minorem, quam aquæ. Discunt ergo hinc *Newtoni* asseclæ, quod ex præjudicio autoritatis pro demonstratione venditarint argumentum, quod contra existentiam ætheris in Principiis Philosophiæ naturalis Mathematicis a motu planeta-

 rum

rum desumtum proposuerat. Sub finem quæst. 30 omittuntur, quæ in priore editione de quantitate attractionis radiorum luminis docuerat. Quæst. 31, ubi vim attractricem materiæ stabilire conatur, addit alia nonnulla experimenta atque naturæ phænomena, quæ ab eadem pendere existimat, inprimis *Hauksbejana*, de ascensu aquæ intra laminas vitreas. Delevit vero paulo infra verba, quibus asseruerat, ex imperio voluntatis oriri posse motum in universo. Agnoscit etiam nobiscum, qualitates sua natura inexplicabiles & exploratu impossibiles esse qualitates occultas scholæ & progressum Philosophiæ naturalis impedire, quemadmodum contra *Freindium* aliosque *Newtoni* asseclas in Actis A. 1713 loc. cit. alibique inculcavimus.

INTRODUCTIO AD VERAM ASTRONOMIAM, seu Lectiones Astronomicæ; Autore J. KEILL, M. D.

Oxoniæ, e Theatro Sheldon. impens. H. Clements, 1718, 8 maj. Alph. 1 plag. 9½ Tabb. æn. 2.

Ex discursibus seu Lectionibus post susceptam a Cl. Autore Astronomicam in Academia Oxoniensi Professionem enata est hæc Introductio ad Astronomiam, quam stylo sibi familiari vocat veram, eadem publicata in usum auditorum, quo ipsi non solum memoria tenere, quæ in illis exposita fuerant, sed & quotiescunque lectionum earum repetitio ab Autore instituetur, in qua sibi corrigendi & supplendi, quæ videbuntur, libertatem reservavit, iisdem uti possint. Quoniam adeo tironum in gratiam scripta est, ea saltem afferre, quæ captui eorum accommodantur, visum Cl. Autori, eoque nec sublimiorum in Astronomia, nec calculi aut tabularum usus, vel rationis motuum cœlestium e Physica petendæ mentione abstinendum sibi judicavit, ordinem observans plane arbitrarium; a Phænomenis motus explicatis ad systema mundanum, motum telluris & Lunæ doctrinamque Solis & Lunæ eclipsium transiens, in qua Eclipsium solarium phases particulares tam Orthagraphicæ Projectionis, quam parallaxium ope pro quovis loco determinare

nare docet. De planetis deinde superioribus eorumque stationibus & cometis postquam egerat, sphæram mundanam explicat, deque crepusculis, refractione & parallaxibus disserit. Atque hæc quidem parte generali. Progressus dein ad particulares motuum theorias, problematis Kepleri de invenienda Anomalia vera ex media solutiones variorum exponit, clauditque tractatione de tempore & Calendariis. Ceterum ne omni commendatione ex novitate careret opus suum, variis ab Ill. *Halleyo* solutis & passim in Transactionibus Anglicanis publicatis problematibus veluti gemmis idem distinxit. De proprio vero addere voluit solutionem problematis, quo petitur locus Terræ, e quo planeta in dato orbis sui puncto visus stationarius appareret; cui junxit solutionem Hallejanam alterius affinis problematis, quo stationis alicujus tempus definitur. Supplere hoc ipso instituit, quæ in Miscellaneis Berolinensibus de eadem materia leguntur a Cel. *Hermanno* nostrate proposita. Quæ quidem, cum imperfecta in illo opere reperiantur, in eam sententiam Cl. Autorem deduxerunt, ut ipsam solutionem a Cel. Viro ad finem non esse perductam, eoque supplemento illo opus esse crederet. Visum est vero monere, integram solutionem ab ipso Cel. *Hermanno* Regiæ Berolinensi Societati simul & semel transmissam esse, eam autem judicasse dividendam illam dissertationem, & partem ejus relinquendam, qua alterum quendam Tomum exornaret. Cujus quidem editio nisi partim morte Illustris Præsidis *Leibnitii*, partim aliis de causis impedita fuisset, publicum egregio illo specimine tam diu nequaquam careret.

AN ANSWER TO MR. MARTINS &c.

h. e.

RESPONSUM AD DN. MARTINI DISSERtationem criticam in locum 1 Joh. V, 7 in quo argumentorum ejus imbecillitas & hypothesium errores, dum ad autoritatem illius loci stabiliendam suppositis Codicibus utitur, ostenduntur.

Londini, apud Joannem Barby, 1719, 8.
Plag. 18.

CUm Pl. Rev. *Martinus* in Dissertatione Critica ad locum 1 Joh. V, 7, de qua diximus in Actis Anni 1718 Mens. Oct. p. 447 sq. non tantum Simonium, sed etiam quendam Anglum, cujus dissertatio de hoc commate A. 1716 prodierat, refutasset, se peti intellexit *Thomas Emlynus*, & ut suam opinionem tueretur, ei hoc responsum opposuit. Videtur autem eidem primo, veteres Theologos parum præsidii in hoc loco ad confirmandum Trinitatis dogma invenire potuisse, qui æque faveat Arrianis ac Sabellianis, tum notat in quæstione, quæ tantum sit facti, non nisi ea afferre Cl. Martinum, quæ prorsus sint incerta sed tantum possibilia, seq; recipere ad stylum Johanneum & contextum, cui illud comma sit conforme, facile quippe ostendi posse locum quendam contextui obscuriori congruere, neque id esse alicujus pretii, quod nullius antiqui scriptoris locus produci possit, ex quo pateat, unquam de eo dubitatum, siquidem antiquitus plane nihil de eo vel visum sit vel auditum. Quare stat sententia Cl. Autori, hoc comma septimum plane esse suppostitium, idque ideo quod *primo* non possit adduci genuinus antiquus Græcus scriptor, qui ejus meminerit, synopseos enim Scripturæ autorem, quem Athanasium ferant, id non ante oculos habuisse; neque *secundo* usque in hunc diem codex Græcus ostensus sit, in quo compareat; neque *tertio* ullus testis fide dignus afferri potuerit, qui aperte planeque dicat, se vidisse peculiarem codicem Græcum, qui illud exhibeat; qui enim proferantur, eos indefinite loqui, aliorumque narrationes sequi. Ac argumentum negativum in hac causa insigne habere pondus, inde conficere vult, quod doctoribus Græcis eo loco utendi multoties oblata sit occasio, cum vero id non fecerint, inde constare, illum eorum ætate in Græco N. T. codice non extitisse; Cypriani vero verba esse interpretationem commatis octavi mysticam. Concedit, illud comma in codicibus Latinis a tempore Caroli M. usque ad Seculum XIII legi, sed nec in omnibus

bus,nec eadem ratione, ut ex Lotharii Bibliis apud Simonium constet, nec rationem existimat habendam ordinis Romani, quia in libris ecclesiasticis diversimode afferantur loca Scripturæ, ut ex liturgia Anglicana cognosci possit. Si etiam detur, illud in Bibliis Caroli M. extitisse,non tamen eo confici,idem in Græcis ejus temporis codicibus comparuisse,& ex iis illud petiisse eos,qui illis corrigendis præfuerint,quoniam illi in occidentalibus regionibus tum temporis fuerint rarissimi, & si extitissent, etiam ad posteros & ad nostra tempora fuissent transmissi,potius illos correctores secutos esse lectionem sibi vero similem, neglectisque optimis & plurimis codicibus sibi imponi passos præfatione,cujus autor Hieronymus feratur, ac adeo nondum constare,illud vel in ullo Græco codice,vel in Bibliis Hieronymi,vel in versione antiqua Itala deprehendi;caruisse eodem olim optimos codices Latinos,a Bentlejo ostensum iri,qui viginti codices mille annorum possideat. Ceterum præfationis illius epistolarum canonicarum autorem non esse Hieronymum,id argumento esse, quod in nullo suorum scriptorum commatis illius mentionem fecerit, cum tamen non uno in loco ejus producendi causam maximam habuerit. Victorem tantummodo mysticam commatis octavi exhibere interpretationem,quæ usu trita sub finem seculi quinti textui inserta fuerit,quo tempore quidam ausi fuerint,novas versiones privatim adornare,quas deinde doctores in suis scriptis adducere non sint veriti. Etsi vero majoris momenti ei videtur locus Eucherii scriptoris Seculi V, in quo utrumque comma legitur, tamen ei ita occurrit, ut judicet, eum esse interpolatum, idque ex contextu & scopo autoris planum facere studet. Quia vero omnis hujus rei disputatio in Græcis codicibus versatur, negat Autor, & Simonium concessisse hunc locum in ullo extare, & talem, in quo se offerat, in manibus habuisse vel Laur. Vallam, vel Cajetanum, vel eos, qui Complutensia Biblia adornarint, vel Erasmum, qui nequaquam codicem Britannicum viderit, vel Lovanienses, qui de impressis loquantur, vel Amelotum, cujus fides eruditis suspecta sit. Contendit præterea,codicis Berolinensis textum eo carere, dum conspicia-

ſpiciatur in margine, imo deeſſe in omnibus codicibus Stephani, qui tantum ſeptem poſſederit, ut teſtetur Rogerius, Bezam vero eosdem non inſpexiſſe, a quo tantum Henrici Stephani variantes lectiones obiter inſpectæ fuerint, Stephanum ſecutum eſſe Complutenſem editionem & Britannicum codicem, & quamvis is locus ſe offerat in libro Græcorum liturgico, eum tamen non eſſe valde antiquum & præterea mutationi obnoxium. Ad reſponſa, quibus Cl. Martinus Adverſariorum objectionibus p. 11 ſatisfacere voluit, monet, *primo* extare codices magnæ autoritatis, in quibus ea legantur, quæ in aliis deſint, *ſecundo* omnino cauſas fuiſſe Patribus concilii Niceni & Sardicenſis, ut ad divinitatem Filii & Spiritus S. confirmandam dicto Johanneo uterentur; *tertio* vanum eſſe, ſibi imaginari, illud perdita Patrum ſcripta habuiſſe, cum in iis, quæ ad nos pervenerunt, non compareat: *quarto* omnino graviores habuiſſe Patres cauſas adducendi comma ſeptimum quam octavum, & ſi *quinto* ratio detur, cur ad id Chryſoſtomus non attenderit, non tamen dici poſſe, qui factum, ut nec Beda, nec Oecumenius, qui in integra Johannis epiſtola exponenda verſati ſunt, ejus ullam mentionem fecerint. Cum vero Thomas Emlynus in præfatione hujus ſcripti fateatur, ſe eſſe autorem libri Anglicani: *a full Inquiry into the original autority of the text of St. John*, patet illud VVhiſtono minime deberi, quod Celeb. Pfaffium Juniorem, Tubingenſem Theologum, in primitiis Tubingenſibus (p. 80) his verbis aſſeruiſſe recordamur. *Unicum*, inquit, *id adhuc adjicimus, eos, qui exiſtimant, locum 1 Joh. V, 7 genuinum eſſe, ſaltem heic corruptionem codicum extantium univerſalem agnoſcere debere, cum nullus notari poſſit in Bibliothecis Europæis extans codex Græcus ante typographiam inventam ſcriptus, ubi hic verſus compareat, id quod poſt R. Simonium egregie demonſtratum dedere Lud. Roger S. Th. D. & Eccleſiæ Bituricenſis Decanus in* Diſſertatione Critico-Theologica ad h. l. *quæ Pariſis 1713 prodiit, & Guil. Whiſtonus in* A full Inquiry into the original autority of that text 1 hoh. V, 7, Lond. 1715. Ceterum quid Cl. *Martinus Emlyno* noſtro repoſuerit, proximo Menſe indicabimus.

):(o):(

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Maji, Anno M DCC XX.

BIBLIOTHEQUE HISTORIQUE DE LA FRANCE &c.
h. e.

JACOBI LE LONG, PRESBYTERI ORAtorii & ejusdem Congregationis Bibliothecarii Parisiensis, Bibliotheca Galliæ Historica, continens Catalogum omnium Operum cum impressorum tum manuscriptorum, quæ ad Historiam hujus Regni pertinent, cum Notis Criticis & Historicis.

Parisiis, apud Carolum Osmontium, 1719, fol.
Alph. 12 plag. 4.

QUanta sit Historiæ Gallicæ ubertas, & scriptorum eo pertinentium copia, nullo alio opere magis demonstratum est, quam hoc ipso, cujus modo titulum tradidimus. Debemus illud industriæ & indefesso studio Reverendi le Long, qui meliorum plausum dudum meritus, hoc inprimis libro plane excellenti non Galliam modo suam, sed omnem, qua cultior est, Europam ornavit. Illa equidem suas in hoc genere opes, quas forte ipsa hactenus ignoravit, intuetur & miratur; ceteræ etiam gentes, id, quod ipsas potissimum latebat, productum in lucem atque magna cura indicatum gaudent atque lætantur. Nec peregrina prorsus sunt, quæ hic memorantur; sua haud raro legent vicinæ gentes, utpote quæ antiquissimo ævo magna Imperii Francici pars fuerunt, aut successu saltim temporis ea habuere fata, ut patrias res penitus non intelligant, si Gallicas prorsus nesciant. Amplissimæ illi scientiæ, quam Historiam vocamus, idem fere quod reliquo Eruditionis corpori, usu venit, ut diversissimæ licet partes

communi quodam vinculo, quod unam ab altera prorsus divelli & sejungi non patitur, colligentur inter se atque conspirent. Historicos Galliæ hæc Bibliotheca exhibet; sed splendidissimum illum titulum, cum ex recentioribus quam plurimi, tum inprimis edentuli illi Chronicorum compilatores, qui res seculis barbare loquentibus gestas consignarunt, non merentur. Probe hoc intellexit Cel. Autor noster; sed & illi fere omnes nonnihil inter tot quisquilias habent auri, & antiquorum illorum Chronographorum labores tigna incondita haud incommode diceres, sed quæ studio Fratrum Tiliorum &, qui hos magno numero secuti sunt, Pithœorum, Vignerii, Duchesniorum, Cointii, Jordani, Mabillonii, Ruinarti, Gothofredorum, Puteanorum, Sammarthanorum, de Marca, Mezeraji, Cangii, Baluzii, & qui huic laudi supersunt, Danielis, le Gendre, le Grand, aliorum cæsa, dolata, runcinata, emendata, perpolita in magnifica Historiæ Gallicæ ædificia coaluerunt. Numerum utriusque generis esse insignem, vel hoc Historiæ Gallicæ Rationario docuit Reverendus Autor, ex quo simul in colligendo diligentia, in digerendo ingenium ubique elucent. Compendium operis laudatissimi facere non licet, de ordine & utilitate Libri nonnulla delibabimus.

Duo hic notanda sunt, quos fines Galliæ suæ constituat Autor, & quas Historiæ partes. Illi sunt Oceanus, Mare, quod appellant Mediterraneum, Rhenus, Pyrenæi Montes & Alpes; earum itaque gentium, quæ his finibus continentur, Historicos collegisse, suæ Lelongius putavit esse industriæ. Historia eidem est vel Ecclesiastica, vel Civilis, hæc vel Politica, regnantium puta, vel Civilis in specie ita dicta, civium scilicet, qui parent. Sunt nonnulla, quæ extra hos limites vagantur: Geographia & Naturalis Historia. Habes quatuor Historicorum Gallicorum Classes totidem Libris a Nostro expositas.

p. 1. De primo eorum, ut multa dicamus, vix est; exhibentur illo Chartæ Geographicæ omnis generis, & aquarum medicatarum plantarumque scriptores, quibus illi, qui de antiquis Gallis

33. aliquid memoriæ prodiderunt, subjuncti sunt. Uberior est Liber secundus Historiam Galliæ Ecclesiasticam, origines Ecclesia-

rum

rum Regni, locorumque B. Virginis Mariæ adorationi sacrorum, Vitas Sanctorum Gallicanorum, Historias Cultus, Origines Ecclesiarum Sanctis dedicatarum, Historias litium inter Theologos & Heresium in Galliis exortarum, Acta Synodorum & Conciliorum, & Conventuum Cleri Gallici generalium, Jura ejusdem & Libertatis, Reditus & Beneficia, Hierarchiam denique, Clerum & Secularem, Metropolitanos eorumque Suffraganeos, & Regularem, Ordines monasticos, Societatesque religiosas alias, quatenus nempe de his omnibus exstant scriptores historici, complectens. Libro Tertio Autores Historiæ Politicæ, quam vocat, continentur, capite I scripta de Origine Francorum, Methodi, Introductiones, Compendia Historiæ Francicæ, Chronologiæ Regum, Catalogi Historicorum, capite II Historiæ generales Franciæ, & particulares Regum, eo quidem momento temporis annotatæ, quo finiunt, capite III Historiæ genealogicæ Regum Francorum, Vitæ Reginarum, & Principum Regibus sanguine junctorum, & quæ alias ad familiæ Regiæ notitiam facere possunt, capite IV Cerimoniæ Regni Gallici publicæ, capite V scripta de Juribus, Prærogativis, Præeminentia Regum, de Palatiis, de Insignibus Regiis, de Statibus Regni, de Magistris Palatii, de Tutelis & majori ætate Regum, de Statibus Generalibus, eorumque conventibus, Collectiones Legum, Capitularium & Constitutionum Regiarum; scripta de Domaniis & Reditibus, de Matrimoniis Regiis, de Jure Successionis, Jure Regum in vicinos, collectiones fœderum, conventionum publicarum, Actorum publicorum & Chartarum, Literæ Historicæ, Commentarii omnis generis, capite VI scripta de dignitatibus, officiis, & omnibus Regni & Aulæ officialibus. Liber denique Quartus Historicis Provinciarum & Urbium Gallicarum, scriptoribus Genealogicis familiarum illustrium, Historicis Universitatum & Academiarum, scriptoribus denique de viris fœminisque pietate, armis, consiliis, & eruditione claris tributus est. Ordo in diversissimis argumentis est aliquando Alphabeticus, aliquando Chronologicus, prout alterum altero magis expedire visum est. Tituli Librorum sermone, quo conscripti sunt, exhibentur, si Germanicos, Anglicos.

p. 299.

737.

glicosque excipias: quos in Gallicam linguam translatos suis locis inseruit Rev. Autor, simul autem, qua illi lingua loquantur, nunquam non annotavit. Numerus scriptorum est fere XVIII M. Autorum circiter VI M. Anonymi & Pseudonymi mille & ducenti deteguntur. Hoc imprimis agitur in Notis Criticis & Historicis copiosissimis, tituloque libri, qui affertur, statim subjunctis, in quibus præterea tempus, quo historia incipit, aut desinit, si ex ipso titulo id non appareat, declaratur, annus, quo obiit Autor, aut ætas, qua floruit, adjicitur, si Liber est manu scriptus, locus, in quo exstat, traditur, judicia etiam probatissimorum autorum de scriptis allatis sæpenumero inseruntur. Uberius de nonnullis celebratissimis Historiæ Francicæ scriptoribus egit Reverendus Autor, quæ quod suis locis inserta totius operis contextum inæqualem reddidissent, & integrum volumen perlustrantem nimis suspendissent, maluit ea sub finem p. 947. operis annectere. Sunt autem illi, de quibus eleganter commentatus est clarissimus Vir, Bernardus Girardus Dominus du Haillan, Franciscus Belleforestus, Joannes Serranus, Andreas Quercetanus, Sammarthani, Carolus, Scævola, Abel, Scævola & Ludovicus Scævolæ Filii, Petrus Scævola, Abel Ludovicus, Nicolus Carolus, & Dionysius, Scipio Du Pleix, Philippus Labbeus, Joannes Labourerius, Gothofredi, Theodorus & Dionysius, Franciscus Eudes Mezerajus, Antonius Varillasius, & Gatienus Courtilius. Opus omne claudunt Indices locupletissimi, I Autorum Alphabeticus, II Topographicus eodem quo prior ordine, III Manuscriptorum secundum argumenta, quæ continentur, IV Chronicorum & Historiarum generalium Chronologicus, secundum ea temporis momenta, in quibus desinunt, ubi simul annotatur tempus, quo Historia incipit, & an liber sit manuscriptus, nec ne: mox iidem libri ordine Alphabetico digesti comparent, additis annis, in quibus desinunt. Indicem Indicis esse, quis non videt? V Personarum, quarum Historia, Vita, Elogium, aut Oratio funebris in ipso opere memoratur ordine Alphabetico, VI Commentariorum Historicorum, VII Fabularum Historicarum, Historiarumque Romanensium, in quibus pessimo exemplo verum falso a Gallis misceri cœpit.

Pau-

Paucissimis ita expressimus Argumentum Operis sane non satis laudandi commendandique, cujus multiplicem usum intelligent ii, qui illud nocturna diurnaque manu versandum sibi sument. Innumeras gazas reclusit fidissimus ille noster Historicorum Gallicorum promicondus, impressas longè plurimas, manu scriptas non paucas, de qua re qui adhuc dubitant, eos ad capita, quibus Literæ & Commentarii Historici recensentur, omnino ablegamus. Locupletem ex editis hactenus pronunciavimus Galliæ Historiam in talibus; pauper est, si inedita spectes, quæ hic allegantur, & in Regiis aliorumque procerum scriniis latent. Sed & alia multa in accuratiori perlustratione nobis observata sunt opera Virorum doctorum, vel adhuc viventium vel nuper mortuorum, digna, quæ in publicam lucem protrahantur. Pertinet eo *Polypticon Vesontino-Sequanicum*, sive Ecclesiarum omnium, quas late complectitur diœcesis Vesontina, ipsaque superior Sequanorum Burgundia, Syllabus, absolutus opera & studio Andreæ a S. Nicolao, Carmelita: obiit Autor A. 1713, opere ad imprimendum paratissimo superstite; *Vie & Histoire de Louis XI, par Joachim le Grand, Prieur de Neuville les Dames*, quam vitam Autor in suis scriniis servat; Petri Puteani Opus *de Juribus Regis Christianissimi* alia plane facie & longe locupletissimum, quod Dionysius Gothofredus, Theodori Nepos, molitur: confer splendida ejus promissa, allegato loco allata, ubi simul demonstratur, opus illud insigne non Puteano tantum, sed Theodoro etiam Gothofredo, quem ipse Cardinalis Richelius ei junxerat, deberi; *Remarques Critiques sur quelques Historiens de France, par Francois de Camps Abbé de Signi*; *Dissertation de Claude du Moulinet Sieur des Thuilleries au sujet de la dispute entre le R. P. Germon & le R. P. Mabillon sur la maniere de distinguer les titres veritables d' avec les titres faux*, quorum scriptorum utrumque in Autorum Bibliothecis exstat; *Histoires des Generaux de Galeres, par Antoine de Ruffi Conseiller d' Etat*, quod Filius Ludovicus Antonius Ruffi servat; *Bibliotheque des Illustres Parisiens, par Martin Billet de Fanieres de Paris*, qui liber in manibus Autoris est; *Bibliotheca Tornacensis*, seu Autores Tornaci orti, vel qui ibidem domicilium vel Beneficium Ecclesia-

p. 137.
380.
613.
635.
636.
697.
872.

clesiasticum habuere, in scriniis Autoris Nicolai de Fief Tornaci latens; Prosperi Marchand, Galli, Guisiani, Syntagma *de Vitis Stephanorum*, celebrium Galliæ Typographorum; ut alia nunc omittamus novissime edita, aut in Actis Eruditorum diurnis passim nunciata.

p. 888.

Tacemus insignes MStorum collectiones, quarum Catalogi peculiari capite allegantur: ipsi Codices opus ubique illustrant; Claudii Fabri Peirescii, quæ Thomassino Mazauguio, Cognato Peirescii, & Gaufrido Advocato Generali Provinciæ cessit; Puteanorum, qua gaza incomparabili Menarsii Præsidis scrinia superbiunt; Antonii Lomenii Secretarii Status, Comitis Bethunii & Roberti de Gaignieres, quæ in Regiam commigrarunt; Seguerii Cancellarii, quæ ad nepotem Ducem Coislinum Episcopum Metensem pervenit; Claudii & Leonis Bouthilleriorum, Patris & Filii, Secretariorum Status, quæ apud Franciscum Bouthillerium Nepotem, Episcopum Trœcensem, superest, & Cancellarii Daguessaui, cujus eminentissimi Viri amplissima de Historia patria bene merendi voluntas alia etiam ratione nuper cognita est atque perspecta. Andreæ & Francisci Duchesniorum conatus in vulgus noti sunt; interrupit laudatissima consilia temporum iniquitas. Restituere volebat omnia in integrum immortalis memoriæ Vir, Colbertus, deliberatumque est a Viris doctissimis, Carolo Cointio, Carolo Cangio, Antonio Herovallio, Adriano Valesio, Joanne Gallesio, & Stephano Baluzio; sed Cangii pertinax animus, qui, neglecto Duchesniorum labore, omnia nova ratione ordinari edique contra reliquorum sententiam volebat, effecit, ut omnia irrita essent, ipse vero gratia Regis excideret, stipendioque privaretur. Anno demum 1717 mense Junio Viri selectissimi jussu Cancellarii illustrissimi coiere in unum, decreveruntque, duplici societate rem esse peragendam, quarum altera Duchesnium emendatiorem, & Historia diplomatica, compendiis chronologicis, iis autoribus, qui post Duchesniorum mortem in lucem protracti sunt, criticis dissertationibus, & bonis Indicibus auctiorem ederet, altera Duchesnii opus continuaret, scriptoribus coævis non modo Latinis, sed Gallicis etiam & Italicis

311.

Italicis insertis. Legenda hic sunt ea, quæ Carolo Cangio olim, & Abbati Gallesio, nuper vero Abbati Thuillerio de novo illo consilio visa sunt, in fine Bibliothecæ, ubi de Andr. Duchesnio separatim differitur. p. 955.

Ceterum sunt & in hoc opere, quæ hominem loquuntur, cujus ea est natura, ut, quo etiam studio contendat, infra perfectionem subsistat. Multa sunt ab exteris, Germanis imprimis, scripta, quæ, quod in Galliam non penetraverint, suum in hac Bibliotheca locum non invenere. Sed & in iis, quæ adducuntur, passim nonnulla possent moneri. Esaias Pufendorffius perperam Ezechiel appellatur; Conradus Samuel Schurtzfleischius, cujus perpauca allegantur, in indice dicitur Cornelius Samuel; Daniel Guilielmus Mullerus Mollerus est Prof. Altorffinus; Joannes Burchardus Menckenius noster male Joannes Baptista dicitur. Iniquius est judicium de Christiani Gryphii Sylloge scriptorum Seculi XVII de Rebus Galliæ, qui, nescio qua erroris benignitate in Struvium commutatur. *Struvius*, inquit, ***a ramassé dans son discours des titres de Livres, qui ne meritoient pas, qu'il en fit mention.*** Sane, quæ Gallos scripsisse non pudet, Germanum recensuisse non pigebit. Nec de Hermanno Dieterico Meibomio plura expectari poterant, qui intra Programmatis Academici limites se continere debebat. Et hoc non omittendum videtur, Vitam Cardinalis Richelii MStam in Bibliotheca Vratislaviensium Rehdigeriana asservatam, ipsi Rehdigero præter rem adscribi; neque enim de Thoma, illo Silesiorum Peirescio, dici poterat, cum per plures annos Parisiis, Cardinale illo fasces Gallicas moderante, vixisse, qui anno Seculi XVI sexto & septuagesimo Coloniæ præmaturo fato exstinctus est; & ipsa elegentissimi voluminis inspectio satis docet, deberi nitidissimum fœtum ingenio Alberti Sebisii, Equitis Silesii, Rubræ Cohortis apud Vratislavienses Centurionis & Munitionum Urbis Præfecti, qui anno proxime elapsi seculi octogesimo octavo, octogenario major decessit, postquam Bibliothecam instructissimam, donatione in testamenti tabulis egregio publico facta, Rehdigerianæ jungi jussisset. Unde hujus Codicis notitiam hausit Reverendus

29. 32. 311. 404. 311. 713.

dus Autor, forte divinare licet: ex schedis scilicet Tribuni Cæsarei, Hohendorffii, qui brevi tempore eas librorum opes conquisivit, ut Galliæ suæ & tot principum Virorum opulentiam hoc Germani hominis supellectile auxerit Noster & ornaverit. Ea fini hæc a nobis dicta sunt, ut id magis constet, quod amplæ emendationes atque additiones, quæ illo tempore, quo liber impressus est, accessere & nunquam non consulendæ sunt, satis testantur, nempe a perfectione longius abesse opus nobilissimum, quod tamen, non Autori Clarissimo, diligentissimo Viro, sed imbecillitati humanæ a nobis tribui, denuo profitemur.

Nil superest, quam ut Germanorum aliquis isto Galli conatu sese excitari patiatur, & Patriæ suæ Historicos eadem ratione colligat. Ingens is inveniet scribendi argumentum, & ex hoc ipso, quod descripsimus, opere copias suas augere poterit. Neque enim video quid obstet, quo minus ille scriptores Episcopatus Basileensis, Metropoleon, Moguntinæ, Coloniensis, Trevirensis, scriptores Helveticos, Alsaticos, Lotharingicos, Juliacenses, Clivenses, Belgicos vindicet, & Patriæ nostræ postliminio restituat. Novimus equidem, non deesse, quæ talem laborem nostris hominibus reddent difficiliorem. Non habemus Germaniæ compendium, quale Galli habent sui regni, Lutetiam Parisiorum, quibus diversa in sacris pariter atque politicis rebus studia adjungas. Nihil tamen adeo arduum est, quo virtus non possit eniti.

p. 156. 161. 799.

M. Peter Kolbens Reise an das Capo de Bonne Esperance &c.

hoc est,

M. PETRI KOLBII ITER AD CAPUT BONæ Spei, Africæ Promontorium, & ejus accurata Descriptio, Tomis tribus comprehensa.

Norimbergæ, ap. Petrum Conradum Monath, 1719, fol. Alph. 10 pl. 7 Tabb. æn. 26.

CL. Autor, hodie Rector Neustadii ad Aiscam, circa finem anni 1704 sumtibus *Bernhardi Friderici* L. B. *de* Krosick

Krafick in Promontorium Africæ, quod Caput bonæ spei salutatur, profectus observationum Astronomicarum gratia; quibus per triennium continuatis, cum nullæ amplius a Patrono pecuniæ mitterentur, studio Astronomico valedicens, ad munus Secretarii duarum Coloniarum de Stellenbosch & Drackenstein a *Ludovico Assenburgico* Gubernatore promovebatur. Enimvero postquam A. 1712 unius noctis intervallo inter 26 & 27 Aprilis oculorum usu orbatus fuisset, cœcus in Europam rediens, opera *Christiani Ludovici Gœckelii* Archiatri Badensis visum recuperavit. Hortantibus itaque amicis statum istius regionis una cum itinere descripsit, præsertim cum non pauca erronea tum de ipsa regione, tum de *Hottentotis* ejus incolis apud alios scriptores passim tradi non ignoraret. Placuit autem aliorum exemplo per Epistolas totum digerere opus, quarum Tomus primus complectitur 22, secundus totidem, tertius 20. Tomo primo describit statum Promontorii naturalem, ubi singula expenduntur, quæ ad triplex Naturæ regnum referri solent. Postquam igitur ab Epist. 1 usque ad Epist. 4 iter ad Promontorium descripsit, Epist. 5 latitudinem Capitis bonæ spei Geographicam $34\frac{1}{4}$ graduum, longitudinem 37° 55′ definit. Declinationem acus Magneticæ versus occidentem A. 1707 deprehendit 11° 55′. Observationes ipsas, unde latitudinem ac longitudinem deduxit, non communicat, quod alterius jussu ac sumtu eas instituerit. Primum Meridianum in insula *Teneriffa* supponit. Epist. 6, 7 & 8 continet Geographicam Promontorii descriptionem, ubi notatu dignum occurrit, in cacumine montis Tabulati, cujus altitudinem 1857 pedum Rhenanorum reperit, occurrere fontes aquam largiter effundentes, ipsumque cacumen floribus suavem odorem spargentibus superbire. Epist. 9 & 10 terræ fertilitatem commendat, ubi simul agriculturæ ibi usitatæ modum describit. Etsi feræ, elephantes imprimis, una cum insectis semini terræ immisso ac segeti haud parum damni inferre soleant; triticum tamen fert fructum trigecuplum aut quadragecuplum, secale in ratione 40 vel 45 ad 1, hordeum in ratione 50, 60 immo 70 ad 1, faba in ratione 20 vel 25 ad 1, pisum denique in ratione 30, immo sæpius 60

 ad 1.

ad 1. Vaccæ lac non edunt, nisi vitulo adducto: unde eodem mortuo vel mactato, pellis vitulo alteri imponitur, ut odorem percipientes lac emittant. Oves habent caudas adeo pingues, ut pondus 15 vel 20 librarum cauda una adæquet. Immo se vidisse ait caudas ovium ex Persia allatas, quæ ad 30 librarum pondus accessere. Vites ex Europa illuc allatæ sunt, quas multiplicaturi frustula ligni ab iis resecti, aliquot nonnisi gemmis instructa, instar seminis sub terra condiderunt: unde brevi tempore in tantum excrevere numerum, ut nullas amplius ex nostris oris illuc deportari opus esset. Radicem quandam, rapæ similem, quam incolæ *Bottatas* appellant, per orbes ab ea refectos & sub terra defossos propagare solent. Arbores propagant, surculis frugiferis inferiore sui parte in terram defossis, qui statim radices agunt. Epist. 11 recensentur animantia bruta, ubi accurata extat descriptio cynocephalorum, quod est simiarum genus a Batavis Baviane dictum. Notat *Gesnerum*, qui inter cibos refert pisces & carnem ferarum, experientia invita. Narrat etiam de Chameleonibus, quæ propria experientia ipsum edocuit: ubi inter alia confirmat, eos ex templo assumsisse colores objectorum, in quibus eosdem collocaverat. Erant autem tunc temporis coloris viridis, cum eos ramis viridibus insidentes accepisset. Onagros a forma maxime commendat, qua ceteris animantibus præstant. Notat *Thevenotium*, capitis magnitudinem nimis exaggerantem. Vidit dentes elephantinos 120 librarum pondus adæquantes; carnem vero elephantinam coctam minus sapidam deprehendit. Perstringit quoque errorem eorum, qui elephantes stando dormire referunt, cum ipsemet propriis oculis spectaverit loca, ubi in terram prostrati, somno indulsere. Stercus arefactum herbæ Nicotianæ vicem subire monet: saporem similem propria experientia nisus judicat. Ossa leonum, etsi mole ingentia, adeo tamen exigua cavitate prædita sæpius vidit, ut filo crassiori cannabino vix spatium concederent: unde intelligitur, quam parum medullæ in iis contineatur. Atque ea in re *Aristotelem* & *Plinium* contra recentiores quosdam Anatomicos defendit. Carnem leonum saporis minime ingrati expertus est, nec ullum ab ejus esu sanitatis

nitatis detrimentum passus. Præfert tamen carnem leopardorum, quam vitulinæ melioris notæ æquiparat. Cum passim Autores de Rhinoceronte tradant, quæ parum inter se concordant; ipsemet hoc animal prolixe describit, Salamandros igni commissos in cineres combustos fuisse, plus simplici vice vidit. In amphibiorum numero sunt hyppopotami, de quibus passim veritati minus consentanea occurrere observat. Sub aquis degunt & fame compulsi ex mari in terram ascendunt gramina depasturi. A quadrupedibus *Epist. 12* ad volatilia progreditur, ubi se telam pertexere non posse fatetur, ob jacturam, quam dolet, MSC. in quibus a se observata descripserat. Avem inter alias bene multas commemorat, vocem *edolio* ingeminantem: quam adeo eandem esse credit, cui nomen *Edolionis* tribuitur a *Gesnero*. Omnibus præfert, quam *Rajus* in synopsi Methodica de avibus *Phœnicopterum* dicit. *Epist. 13* pisces marinos describit, quibus *Epist. 14* insecta cum serpentibus succedunt: ubi inprimis de multitudine muscarum & pulicum conqueritur, multum incommodi hominibus afferentium. Mirum tamen videtur, Europæos advenas fugere pediculos, qui Hottentottos indigenas multum infestare solent. *Epist. 15* mineralia recenset cum metallis ac lapidibus terrarumque speciebus. De metallis nonnisi conjecturas affert ab aliis in casu simili propositas. *Epist. 16* herbas enumerat ordine alphabetico, quarum plerumque nonnisi nomina hic invenies. His jungit *Epist. 17* plantas exoticas, in hortis crescentes. *Epistolas 18, 19 & 20* aquis impendit, cum fluviatili, tum pluviali, tum etiam marinæ. Monet, aquas prope montium præaltorum cacumina scaturientes esse copiosiores, limpidiores magisque salubres iis, quæ ortum ex fontibus prope radices montium ducunt. Easdem longo temporis tractu conservari incorruptas. Aquas pluviales dulces, ubi post stagnationem evaporatæ fuerint, sal in solo relinquere. Describuntur etiam thermæ, quarum aquas infuso etiam herbæ Thée ac potui Coffé inservire, nec ad cibos coquendos inutilem esse, observat. Si quis nondum quadrantis intervallo in iis, tanquam in balneo, consederit, spasmos circa ventrem infimum cieri validos ad pectus successive serpentes, mox

tamen evanescentes, ubi in lecto decumbens sudorem largiter profuderit. Alvum etiam atque vomitum movere solent. Inter effectus salubres refert, quod *Henricus van der Linde*, Batavus, a surditate liberatus fuerit, materia, quæ aures obduraverat, largiter effluente,& serva Gubernatoris intervallo quatuor hebdomadum a morbo Gallico fuerit sanata. Cum de aquis marinis disserit, inter alia commemorat, A. 1707 d. 24 Sept. ab hora 8 usque ad 10 ante meridiem, quo tempore aquæ a litoribus abesse debebant, fluxum & refluxum septies iteratum fuisse, donec tandem h. 12 verus affluxus contingeret. Nulla tunc temporis sæviebat procella, vento ex plaga inter occidentem & septentrionem intermedia leniter admodum spirante. *Epist. 21* statum aeris cum meteoris delineat, ita ut maximam partem ventis impendat. Tandem *Epist. 22* morbos commemorat, quibus Europæi ibi locorum vexantur, itidemque remedia,quibus adversus eos utuntur. Fœminam partu difficili laborantem, fœtu ante terminum mortuo, a doloribus tandem liberatam fuisse ac partum edidisse autor est, decocto herbæ Nicotianæ largiter hausto, quo alvus dejiciebatur vomitusque ciebatur. Præsens contra dysenteriam remedium ipsemet expertus potum calidum lactis, præsertim caprini, cum infuso herbæ Thée aut Thée Boys, per aliquot dies continuatum. Infuso herbæ Thée vel Coffé contra capitis dolores ex ebrietate contractos non sine successu utuntur.

Tomo secundo *Hottentotorum* mores, ritus ac vitæ genus describit accuratius, quam ab aliis huc usque factum. Non operæ pretium videtur singularum epistolarum argumenta sigillatim commemorare: suffecerit nobis hinc inde nonnulla notatu digna excerpere. Cl. Autor itaque Epist. 1 communicat Syllabum quarundam vocum *Hottentoticarum* cum versione Latina & Germanica, quia *Ludolfinum*, in Comment. de Vita, Scriptis & Meritis *Ludolfi* per *Junckerum* editum,non satis accuratum censet. Quamvis autem largiatur, ipsos immunditia atque sordibus delectari, nimia segnitie haud parum conferente; varios tamen notat *Dapperi*, *Vogelii* aliorumque errores, qui *Hottentotos* sordidiores depingunt, quam par erat. Neque

eos

eos adeo stupidos esse, ut vulgo fertur, uno alteroque exemplo probat. Sunt vero fideles, in cursu veloces, in pactis etsi non scriptis servandis tenaces, plerumque longævi, nisi potui Europæorum assueti ebrietati indulgeant. Singuli pagi singulos habent Duces, qui judicum munere fungentes unius Domini imperio subsunt in rebus omnes pagos concernentibus. Dignitas hereditaria est, sed nullius emolumenti, ita ut Dux & Dominus privatis sumtibus vitam tolerans nonnisi autoritate differat a ceteris *Hottentotis*. Habet etiam quilibet pagus Medicum suum & parochum. Parochus eligitur, qui ritus ipsorum sacros callet. Medicus vero, qui herbarum & artis Chirurgicæ ac Medicæ, quam ab aliis per traditionem accepit, censetur peritus. Lunam instar Dei venerantur *Hottentoti* atque ideo novilunia & plenilunia cantando seu potius vociferando ac tripudiando celebrant. Masculis solenni ritu testiculus sinister exciditur, cui actui ipsemet interfuit Autor. Superaverat adolescens, cum id fieret, annum ætatis 18. Nec minus solennes sunt ritus, quibus maritum initiare solent. Multa de magicis artibus fabulantur; sed magicum habetur, quod insolitum & cujus caussas ignorant. Singulares quoque, immo ridiculos prorsus observant ritus in nuptiis, puerperio & sepulturis. In partu difficili utuntur decocto ex lacte & herba Nicotiana, quæ ab eo demum tempore ipsis innotuit, ex quo Europæi in illa loca fuerunt delati. Infantes recens natos non aqua abluunt, sed stercore vaccino, atque aeri vel soli exponunt. Mox etiam succo ex foliis ficus expresso, tandem denique pinguedine vervecina illinunt. Si gemellæ nascantur, proles una vel viva sepelitur, vel ramis arborum alligatur, vel in campo projicitur misere peritura aut a bestiis carnivoris devoranda, præsertim si parentes fuerint pauperiores. Gemellis vero masculis parcunt: laudi enim ducitur, duorum filiorum fieri una parentem. Liberis imponunt nomina a brutis, quam primum lucem adspexerunt, matre vel, hac nimis infirma, patre eligente. Sponsus & sponsa copulandi a Parocho pene erecto urina irrigantur, durante hoc actu conjugibus novis fausta quæcunque, inprimis fœcunditatem matrimonii, apprecante. Uxorem repudiare licet, si

Cc 3 nulla

nulla adhuc ex conjugio proles ſuſcepta : ſecus nonniſi alteram ſuperinducere conceditur. Adulterium perinde ac inceſtus crimina capitalia habentur. Cum filius primogenitus ſit heres unicus parentis ſui, filiabus nulla dos conſtituitur. Butyrum confecturi *Hottentoti*, lac ſacco coriaceo ſordibus ſqualenti infundunt & tamdiu agitant, donec in butyrum abierit. Rident fœminæ mammas contrectaturum, omnium oculis expoſitas. Nullo utuntur ſale, nec aromatibus, nec niſi cibis ſimplicibus veſcuntur. Morbis minus obnoxii ſunt ceteris, qui Europæis ſervientes cibis ſale ac aromatibus conditis fruuntur. Mares non una cum fœminis epulantur, quod impuri cenſentur, qui in conſortio fœminæ menſtruis laborantis degunt. Ignem excitant lignorum aridorum affrictu, ſine chalybe atque pyrite. Pediculos, quibus abundant, comedunt. Pinguedine vervecum corpora & capillos illinunt, ipſam etiam faciem. Capite nudo incedunt, niſi quod tempore pluvio idem tegant cucullo pelliceo. Collum cum pectore ac infimo ventre pariter nudum; tergum pelle ovina circumdatur; ex collo ſaccus pendet, in quo victualia cum aliis neceſſariis conduntur. Pudenda itidem pelle teguntur ab utroque ſexu adulto : pedes annulis pelliceis amiciuntur, ubi Noſter erroris redarguit tradentes, quod annuli iſti ex inteſtinis ovium conficiant. Utuntur autem iisdem, ne per dumeta repentium pedes vulnerentur. Ob pinguedinem tetrum odorem afflant e longinquo ipſos adſpicientibus. Cibum ſub dio capiunt. Mares & fœminæ abſtinent a carne ſuilla & piſcibus ſquamma carentibus, quales ſunt anguillæ; mares ſoli a leporibus, cuniculis, lacte ovino ; fœminæ ſolæ a ſanguine & talpis. Loco panis utuntur radicibus, quas fœminæ quærunt: mares contra feras capiunt, quarum carne veſcuntur. Nec a carne cadaverum abhorrent : immo a pedibus annulos depaſcunt & calceos Europæorum vetuſtate detritos in cibum vertunt, qui ex corio bubulo vel pelle cervina iisque crudis parantur. Juvat eos vinum aduſtum itemque vinum fæcibus turbidum, quod ut alvum cieat, fumum Nicotianæ una deglutiunt. Ædes ipſorum clibanis ruſticorum noſtrorum ſimiles ſunt, figuræ ovalis, aperturam unicam habentes, pulicibus ac pediculis

plenæ.

plenæ. Foveas in ſolo effodiunt, in quibus dormituri decumbunt. Media fovea fornacis inſtar eſt, in qua ignem excitant cœlo frigidiore ac pluvio. Ex hoc vitæ genere haud obſcure colligitur, quibusnam artibus manuariis habeant opus, ut eas ſigillatim perluſtrari operæ pretium non videatur. Moneta carentes res, quibus perpaucis indigent, permutant. Ignaviæ admodum dediti, atque ea de cauſa mercede prænumerata ſervitia promiſſa non præſtant. Ebrietate valde delectantur, ad vindictam proni. Polygamia vitium non eſt, multo minus crimen. Qui ob ætatem cibo quærendo inepti deprehenduntur, in loca deſerta deportantur, ut vel a beſtiis devorentur, vel fame pereant. Animum a curis vacuum habent, ideo Chriſtianiſmum deteſtantes, quod Chriſtianos ſorte ſua minime contentos continuis de parandis opibus curis ad extremum usque vitæ halitum angi obſervant. Erga egenos benefici & ne fruſtum quidem panis, quod accipit ab Europæis unus, ſolus comedit. Fidem datam minime fallunt. A furto, adulterio & ſcortatione abhorrent. Crimina capitalia habentur furtum, homicidium, adulterium, inceſtus, ſodomia. Carnificis munere fungitur Dux, penes quem eſt ſumma rerum, mox tamen ſocias operas præſtant promiſcue adſtantes: baculis enim tunditur maleficus, donec animam exhalaverit. Cadaver veſti pelliceæ involutum humo condunt. Honeſta ſepultura in gratiam familiæ non denegatur. Fœminæ ab hereditate prorſus excluduntur, filio natu majore ex aſſe herede, cujus ſerviſiunt fratres ætate juniores. Naſos habent *Hottentoti* omnes admodum latos, non a natura, ſed ab arte, parentibus ſtatim a nativitate infanti recens nato naſum complanantibus. Cum male ſe habent, ſcarificatione ac venæ ſectione utuntur: ſed modus, quo utramque adminiſtrant, exquiſitis cum doloribus conjunctus. Mortuos lugent, ejulatu ac ploratu horrendo. Nulla ipſis ſunt cœmeteria, cum ædes fixas non habeant, de loco in locum migrantes paſcendi pecoris gratia. Sepeliuntur eodem modo, quo malefici, ſexta a morte hora. Omnis vicus comitatur funus & poſtquam ad domum defuncti redierunt, ſenior extenſa haſta virili præſentes omnes utriusque ſexus

urina

urina humectat & mox cineribus conspergit: nonnulli stercore vaccino corpora illinunt. Altero a sepultura die ædes omnes dirimunt, solis ædibus defuncti exceptis, & aliam sedem quærunt. Atque hæc de moribus *Hottentotorum* retulisse sufficiat.

Tomo tertio eoque ultimo Cl. Autor describit statum incolarum Europæorum. Multa ibidem narrat, quæ ibi gesta sunt, cum ibidem locorum commoraretur, ac tandem suo in Europam reditu colophonem operi imponit. Scilicet *Epist. 1* de primis incolis Christianis agit, & supremos rerum moderatores a prima origine ad præsens usque tempus recenset. *Epist. 2 & 3* formam regiminis delineat. *Epist. 4* de munimentis, ædibus sacris ac publicis disserit. *Epist. 5* sumtus determinat, qui quotannis fiunt ad alendum militem præsidiarium aliasque publicas necessitates: quibus *Epist. 6* reditus jungit, & *Epist. 7* emolumenta Ministrorum Societatis illustris ultra salaria annua. *Epist. 8* mores ac ritus incolarum Europæorum depingit. *Epist. 9 & sequentibus* multus est in describendis controversiis *Guilielmi Adriani van der Stel*, Gubernatoris: & his fuse pertractatis tandem *Epist. 20* eaque totius operis ultima reditum in Europam describit. Adducit Cl. Autor ubique fere aliorum quoque Autorum testimonia, quibus sua confirmat.

LEGES FRANCORUM SALICÆ ET RIpuariorum, cum Additionibus Regum & Imperatorum variis, ex MSCtis Codicibus emendatæ, auctæ & Notis perpetuis illustratæ &c. opera & studio JO. GEORGII ECCARDI.

Francof. & Lipsiæ, sumtibus Nicolai Foersteri, 1720, fol. Alph. 3 pl. 18.

NOvum idque egregium ex reconditæ eruditionis penu specimen prodit Vir celeberrimus & de Germanorum Antiquitatibus jamdudum variis felicissimi ingenii monumentis optime meritus, Jo. Georgius Eccardus, Magnæ Britanniæ Regis, Electoris Brunsv. & Luneburgensis Consil, Historiographus

phus & Bibliothecæ Præfectus, dum leges Salicas & Ripuariorum pereruditio commentario illustrat. Etsi enim supervacaneus videri poterat labor ille post tot præstantissimorum superioris nostrique ævi Virorum, Avissonii, Baluzii, Bignonii, Chifletii, Cocceji, Cointii, Danielis, Gosselini, Guyarti, Haillani, Heroldi, Lacharii, Leibnitii, Lindenbrogii, Pithœi, Seysselti, Valesii, Vignerii, Wendelini aliorumque in hac palæstra labores uberiores nec indoctos, vel in legem ipsam, vel de ejus autoribus natalique solo Commentarios, novam tamen lucem affudit rebus plurimis, in quibus hactenus plerique visi sunt cœcutire. Non tantum enim, quo magis leges istæ emendatæ post ceterorum, præsertim Steph. Baluzii, curas prodirent, manu exaratos Codices adhibuit Guelferbytanos duos, quorum prior vetustissimus est, necdum a Carolo M. emendatus ac sub Pipino ut omnia indicio sunt, exaratus, Gothanum item unum circa A. 961, ut conjicit, conscriptum; sed & in annotationibus, textui legis subjectis, non raro aliorum, maxime Wendelini lepidas conjecturas & errores notavit, infinitas deinde difficilioresque legum vocumque interpretationes & etyma, qua pollet in istis rebus sagacitate, adduxit & in populorum nationumque origines tam sollicite inquisivit, ut non vanum Illustris Leibnitii ante aliquot annos de hoc labore fuisse augurium videatur.

Ut singula curatius consideremus, Salicam legem in Pago Salico, *Salageue* (corruptas lectiones sive terminationes in *heim*, *cheim*, *houe*, *gagme*, *hagin*, *camne* &c. prorsus rejicit) inter Salam Franconiæ & Mœnum sito, a quatuorviris Francorum Judicibus *Windo*-vel *Werrogasto*, Werræ fluvii accola (*gast* enim a *Ga* vel *Gaue* i. e. integra provincia, neutiquam pago vel villa, derivatum Nostro, & ex ejus indicio jam antea Leibnitio, non sapientem sed provincialem significat) *Bodogast* vel *Art*-aut *Hart-gast*, Bodæ fluminis aut Harticorum montium, tum *Salogast* & *Windogast*, fluminis Unstrut, ejusdem cum Winda amne notationis, incerti nimirum cursus (nam *strut* est cursus vel alveus fluminis) ripæ inhabitatore conditam, & quidem Latina lingua absque glossis istis Germanicis (patrium enim sermonem tum scribere nesciebant) postea autem a Clodovæo au-

ctani & quasi renovatam conjicit. Nam lata erat Lex ista Francorum genti, non Alamannis aliisque populis, ut existimarunt aliqui, Ripuariorum potius, Bojoariorum & Alamannorum legibus a Theodorico seniore Rege constitutis, Claudio, Chadoin, Domagno & Agileofo (aut rectius Claudio Burgundiæ, Chadoindo magno Alemanniæ, Agilulfo denique Bojoariæ Ducibus, ex Catulina sive Guelphica familia oriundis) earundem pactionum postea renovatoribus. Et hujus ipsius Salicæ Legis contextum ter nobis in elegantissimo opere quidem exhibuit Amplissimus Editor, Heroldinum scilicet, & Lindenbrogio-Bignonianum, ac postremo ex codice Guelferbytano emendatiorem, plurimisque in locis ab Heroldi editione plane diversum; quæ non minus atque ea, quæ in appendicem rejicit, ubique animadversionibus perquam eruditis illustravit.

De Malbergiorum inprimis explicatione sollicitus (quod judicii genus Noster a *Mal* judicium & *berg* collis, neutiquam vero a *berg* tegumentum, derivari censet) glossas passim insertas, ab imperitis scribis post Pipini aut circa Caroli M. tempora, ut p. 18 colligit, interpolatas & sæpissime fœde depravatas esse evincit, & conjecturis satis curiosis restituere conatur. Correctiones istas primo aspectu paulo violentiores dixeris, ut cum Vir doctissimus absque ullo plerumque Codicum MSCtorum suffragio censet pro *rhannechala lerechala* vel *rhannechalteo* legendum *spanneverc-chalt*, i. e. porcelli lactantis compositio, pro *christiao* & *chredunia* leg. *herdistog* & *vereclugia* i. e. gregis porcinæ dux & ductrix, pro *stalacha* leg. *mulatha* i. e. pinxerit, pro *Authumia* leg. *Authilmagd*, i. e. ingenua puella, pro *Arba theus en lanthamo* l. *charla theveent anter namo* i. e. marito vivo alienum tulerit, pro *bila* l. *hicha* i. e. sepes, pro *urbis* l. *vernis* i. e. molendinum & alio loco *Idis* i. e. mulier, pro *Aurappo* l. *Saugloggo* i. e. tintinnabulum porcinæ appensum, pro *lictamina* l. *stice augina* i. e. oculum tulerit, pro *daudinaria* l. *faurti nahte* i. e. quadraginta noctes, pro *nare* l. *folo* i. e. pullus equinus, pro *indulgus* leg. *ubarlegit* i. e. superinserit &c. nisi conjecturis passim aliquid dedisse fateatur ipse, ut aliis meliora proferendi occasionem subministraret, & præterea pleraque

miris

miris quibusdam ex interiori de verborum caufis notitia petitis argumentorum perfuafionibus muniviffet, quibus diffentientes, licet invitos, in fuam veluti traheret fententiam, quamvis etiam quibusdam in locis e. g. p. 25 in fignificatione vocis *folampinam*, p. 35 voc. *honomo*, p. 39 v. *Alacfacis*, p. 53 v. *obreppus*, p. 58 v. *leudinia*, p. 59 *Anthamio*, p. 60 v. *Avena*, p. 66 *Auftrapo*, p. 72 *daudinariæ*, p. 83 *chalib fub dupio* & alibi hærentem offendere licuerit. Legi Salicæ adjecit *Legem Ripuariorum* ex Guelferbytano MSCto caftigatam, ut nimirum omnium Francorum leges conjunctim haberentur. Tulit eam fecundum p. 208 (aut emendavit potius juxta p. 256) Theodoricus Rex, ut fupra memoravimus, Ripuariorum populis, ex quorum prifcis fedibus, lingua aliisque rationibus contra R. P. Danielem Galliæ Hiftoricum in notis elegantibus probat, eos omnino Germanorum non vero Gallorum fanguine oriundos. Sequuntur *Formulæ* antiquæ, quod noftris eas ignotiores effe animadverteret. Alfaticas cognominaverunt Editor Parifinus & Mabilonius, forte quod in Alfatia repertæ effent; fed Nofter eas accuratius San-Gallenfes vocari poffe, in præfatione & notis evincere ftuduit, ubi fimul nominum non integre in iftis formulis expreflorum lacunas explere annifus eft. Denique, ut lectorem fimul de tempore quo Lex Salicæ compofita, Francorumque nativa fede inftrueret, addidit Ill. Leibnitii de potentiffimæ gentis origine difquifitionem, a nobis in his Actis A. 1715 M. Dec. p. 536 jam laudatam, eamque auctiorem, una cum his, quæ Turnemino Gallo ante obitum fuum pro tuenda & confirmanda Francorum prope Balthicum mare patria brevibus Gallice regefferat Leibnitius; quamvis non adeo in magiftri verba juraverit Nofter, quin interdum ab illo, prout veritas poftulat, recedat, alibi ubi opus eft, fummi viri cogitationes contra fecus fentientes erudite defendens. Sic p. 250 ff. pro Rheno apud Gregorium Turonenfem *Rheganum* fluvium intelligit, & Francorum migrationes & fedes juxta hanc lectionem exponit, Leibnitiumque, dum eidem Gregorio Sicambriæ urbis mentionem adfcribat, erraffe innuit; lacunam porro vocis *ungani*, patriæ Albis, apud Ravennatem Geographum, Harzum Brunfuicenfem

cum magna Hercynia miscentem,per *Hartungani* non infeliciter supplet,& montosam hanc regionem non aliam quam Bohemiæ saltum, *Bajas* autem Bojos notissimam gentem suspicatur; cujus insuper nomen a pice Pech vel *harz* derivat, ut adeo *Bojus* & *Hercynius* Nostro sint synonima. *Bisigibilias* item apud eundem Geographum non de Vistula, ut Leibnitius, nec de Visurgi,ut alii, sed de *Bisigi*,*Bili* & *As*, quemadmodum & *Sexaginta* de *Sefa* & *Swinga* fluviis in Albin prope Oceanum influentibus p. 252 interpretatur, & contra Virum quendam celeberrimum, Gallumque Jesuitam, *lineam* nunquam extremitatem aut terminum vel partem denotasse, ostendit,id quod jam ipse Leibnitius tum in responsioneGermanica,Gundlingianis inserta,tum hic in Gallica posthuma p. 263 probatum iverat. Eodem loco Vir præstantissimus *Mauringiam* in Wagria Ducatibusque Lauenburgico & Meclenburgico ponit, non vero per Pomeraniam multo minus trans Vistulam extendit, & hujus etymon nomen *Pomorze* a Slavis esse inditum non quod mari, (ita enim integro littori nomen Pomeraniæ conveniret) sed quod veteri Mauringiæ vicina; quæ & alia non pauca Cl. isti Viro prolixius reponit & Francos veterum Cimbrorum ipsas esse reliquias ex eorum nomine & etymo censet, quamvis hic liberalius conjecturis Etymologicis indulgere videatur. Ubi p. 256 antiquis Francis Reges asserit, R. P. Danielem sine causa omnem Childeberti Historiam in dubium vocare, & contra Ill. Leibnitium Legem Salicam omnino Latina lingua conscriptam putat, nec, ut ille, Palatium Caroli M. de quo Poeta Saxo canit, in Konigshofa, sed in Salisburgo prope Neostadium quærit. Sic plura hactenus recondita erudite in annotationibus observat, ut p. 4 de verbo *dictare* & *dictamen* ejusque in scriptoribus ævi præsertim medii MSCtis pro stylo usu, p. 7 de Pactis,p. 11 de *Mallis*,p. 38 de voce *Romanus*, Provincialem seu Gallum origine denotante it. de v. *Barbarus*, de lingua Romana & Fabularum Romanensium ortu,p. 55 de Brachili,de Francorum regibus crinitis,it.de Tonsura, p. 63 quare Thuringi communi convicio *Heringsnasen* appellari soleant,p. 74 de Gallorum & Germanorum numeratione per noctes & quid sit: collocare Solem, p. 81 de Placitis,

p. 87


p. 87 de *Tunginis & Centenariis*, it. de judicio vulgo *Zentgericht*-*te*, p. 89 de voce *Knie*, gradus cognationem exprimente, p. 180 de natalibus & antiquitate Urbis Cellæ ad Alleram, it. Norimbergæ, p 191 de legum Salicarum, Bojoariarum, Longobardicarum &c. per Italiam usu & autoritate, p. 192 de falso jactato Ducum Sabaudiæ a gente Saxonica vel Wittichindo ortu; etyma porro atque causas vocum, *Schilling* a solido p. 13, *ambascia* ex ant & bieden, ib. *Herzog* it. *curte* p. 26, *biene* ab api p. 27, Gallicum *poltron* a poledro juveni equo vel asino, animali timido p. 30, *Via lacina* p. 40, *Aristatones* p. 41, *Leudis* p. 43, *Sal* p. 44, notabiles porro de vocabulis *Hundsfot*, *Kunkel*, *Schulfuchs*, *Schelm*, *Baron*, p. 65, *Krumstab* & *Burdo* p. 71, *Rachimburg* p. 96, *Allode* p. 105, *Hergerathe* p. 225, & p. 213 de *Kirche* cogitationes offendimus. Ut tandem simul de apparatu & libris, quibus in texendis animadversionibus adjutus est, MSCtis constet, citatos invenimus p. 4 Ægidium Parif. in Carolino, Engelhusium in Vocabulario Saxonico, Guil. de Mandagato & aliorum libros dictaminum sive de modo scribendi, p. 5 Traditiones Fuldenses, Pistorianis auctiores, p. 18 Glossas Theot. Florentinas, p. 54 Junianas, p. 23 Ratisbonenses, p. 225 Emmerani, a R. P. Bern. Pezio cum nostro communicatas, p. 25 Lindenbrogianas, p. 213 ad Bedæartem metricam, quæ olim Goldasto fuere, & passim alias, p. 1 Rhabani Mauri Glossarium & Notkeri Paraphrasin Psalterii Theot. p. 65 Hymnos Francicos, p. 111 Fabulas Romanenses Provincial. varias, p. 25 Reimarum sen. p. 54 N. von Gravenberg, p. 58 Walther von der Vogelweide, p. 71 Marner, p. 105 B. von Hohenvels, p. 112 Gœli it. Chunrad von Wurtzburg, p. 175 Nic. von Gravenberg, Versificatores Germanicos, & alios, quos fusius enarrare supersedemus, quorumque pleniorem notitiam lector curiosus ex Indice autorum citatorum non sine cura confecto magna cum voluptate hauriet.

Agmen voluminis claudunt Emendationes Otfridinæ sive in Otfridi Theotiscam & metricam Evangeliorum Paraphrasin Basileæ 1571 sed mendose admodum typis exscriptam ex antiquissimo Codice MSCto Palatino-Vaticano, ad quem editio Basileensis exacta creditur, Romæ A. 1699 ab Illustri

Viro Friderico Rostgaard, permissu Laurentii (non Alexandri) de Zaccagniis, collectæ & Amplissimo Schiltero ab eodem inscriptæ, postea vero etiam Nostro Editori transmissæ. Quod eo gratius linguæ Theotiscæ vel Francicæ amatoribus arbitramur fore munusculum, cum idem illud hucusque cum eruditis, quibus nescimus de causis, communicare constanter recusaverit illustris Collector; & ad lucubrationes porro Stadenianas brevi in lucem proferendas non adeo spes magna affulgeat, præsertim cum ea, quæ in Præfatione nostri voluminis de summe Reverendo Hasæo affert Noster, haud certis nunciis ad eum pervenisse, sciamus. Sperandum igitur omnibus Philoteutonibus & patriarum Antiquitatum studiosis, fore ut tandem aliquis antiquissimum hoc sed depravatum fere linguæ nostræ monumentum, dum Schilterianum Thesaurum premit adhuc ejusdem possessor, integritati restituat. Ad quod negotium feliciter conficiendum multum conferre poterit incomparabilis Codex MSC. Augustissimæ Bibliothecæ Vindobonensis. Licet enim Vaticanæ istæ emendationes, ut ex amici relatione habemus, in plerisque cum exemplari Vindobonensi concordent, differunt tamen & in non paucis, & cum correctiones illæ Rostgaardinæ numerum bis mille locorum non excedant, asseverare audemus, vix sextam Otfridi partem sanatam esse, reliqua autem adhuc medicam manum expectare. Quod ut quantocyus fiat, tum ut diligentissimus Eccardus editionem reliquarum veterum legum, quas dudum cum MSCtis variis collatas notisque expositas in Museo asservat, mox prelo absolvat, in literati Orbis commodum serio precamur.

J. G. ECCARDI OBSERVATIO DE NUMIS *Attilæ Hunnorum Regis.*

CUm R. P. Banduri Numismatum consideratio me ad numos Attilæ Hunnorum Regis, ex rebus fortiter gestis inclyti, deduxerit, nonnulla hic de numis ejus commentari lubet. Crudelitatis accusatur a scriptoribus novitiis; Priscus tamen, qui eum de facie noverat, mansuetum, sobrium & morum optimorum


Fig.1
Fig.4
Fig.5
ADV
LA
REX
Fig.8
F
D
M
B
N

[illegible]orum fuisse indicat, atque in eo fere laudatissimi Principis exemplar nobis sistit. Crudeliorem illum adversus Romanos exhibuisse non mirum est, cum multis ab iis insidiis petitus & dolis circumductus vindictæ non potuerit non litare. Joh. Andreas Bosius in Numophylacio suo numum majoris moduli adservavit, in cujus una parte Attila exhibetur, vultu truculento & barba promissiore cum inscriptione: ATTILA REX; in altera urbs Aquileja comparet cum inscriptione AQUILIEIA. Sed numum hunc suppositititum omnes eruditi agnoscunt. Certius Attilæ nomine signatos numos invenisse sibi visus est in numis duobus argenteis Vesontione effossis Jo. Jacobus Chifletius Vesont. Part. I pag. 211. Exhibetur in iis *vultus juvenilis* pectore tenus expressus, *humeris alatis*, & inscriptum ATEVLA: in postica unius exhibetur *equus cornutus* caput dextrorsum in altum levans, supra tergum *lituus* & sub equo *pentagonum*, in ima vero parte, quam Galli *exergue* vocant, *luna decrescens*, & adscriptum: VLATOS. In altero numo eadem cernas. *Equus* tamen in postica *non* est *cornutus*, & *sinistrorsum* respicit. Lunæ decrescenti in alio numo Numophylacii Regii Berolinensis *stellam* insertam esse Begerus observavit. Loco lunæ in alio a Camdeno & Gibsonio in Descriptione Britanniæ producto numo extat *arista*, & sub equo *flosculus*. Reverendissimus Abbas Lucensis Gerhardus pro sua in bona studia & nos benevolentia similem communicavit, in quo figuræ alatæ *sinistrorsum* respicienti appositum ATIVLA. Equus in eo dextrorsum respicit, supra se *lituum* & infra *pentagonum* ac *lunam decrescentem* habens. Literæ vero nullæ adsunt. R. P. Bandurus primus produxit etiam alium cum ATEVL. equo vero in altera parte, alias Gerhardino simili, appositum: VLATOS. Cangius & Mediobarba æreum exhibuere, in quo caput juvenile nudum in una parte cum literis: ATILA; in altera leo gradiens sine epigraphe. Mediobarba adhuc alium æreum vidit, in quo caput cum ATHIL. & equus iterum sine epigraphe. Omnes hosce numos etiam Bandurus Attilæ Hunnorum Regi tribuit. Begerus tamen eos cuidam *Ulato Attulo* Celtico Principi adscribit, argumento admodum infirmo. Melius

TAB. III. Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

lius

lius sensit Camdenus, qui Reguli Britannici esse statuit, quem secutus Gibsonius in Additamentis ad Britanniam illius. Eruta enim sunt aliqua ejus exemplaria in Britannia: & argentum purum, quo constant, nihil cum vili metallo, quod Attilæ tempore ad numos fabricandos adhibebatur, commune habet. *Pentagonum* apud Celtas sacrum & fausti ominis erat signum, unde illud adhuc in Germania superiore *Druttenfuß* h. e. *pes Druidum* sive sacerdotum Celticorum vocatur. *Arista* tanquam Britanniæ insigne apud Camdenum & Gibsonium in numis Cynobellini Britanniæ Regis pluribus extat. *Luna* quoque decrescens in ejusdem & Carataci numis frequens occurrit, & iterum boni ominis erat. Unde adhuc Cambris, Davisio annotante, ADEG, *luna decrementum & tempus oportunum* aut *occasionem* simul designat. *Lituus* cultum numinis indicat. Et *equus* in omnibus fere Celticis & Britannicis numis expressus invenitur: quia apud Celtas & Britannos felix equorum proventus & cultus quoque hujus animalis erat. *Figura alata* apprime convenit cum effigie *Victoriæ Britannicæ*, in numis Antonini Pii, Commodi, Severi, Getæ aliorumque Imperatorum conspicuæ. Britannos speciatim *Deam Victoriam* coluisse Dio in Nerone testis est, ubi Boodiciæ vel Bundovicæ Britannicæ Amazonis orationem ad eam directam exhibet. Ad eandem Deam pertinent Taciti hæc Lib. XIV extantia verba: *Inter quæ nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum VICTORIÆ, ac retro conversum, quasi cederet hostibus.* Apud Dionem nomen ejus Britannicum extat una vice *Andraste*, altera vero *Andate* scriptum. Guillelmus Blancus Xiphilini interpres legit etiam *Adraste*. Dea hæc ipsa galeata & alata cernitur in numo Cynobellini Regis apud Camdenum, & subscriptum ei est: CVNO, sive nomen Regis modo nominati, cujus effigies in altera parte extat, adscriptis literis: CAMV. h. e. Regiæ sedis *Camuloduni*. Quid si igitur & in numis recensitis ATEVLA loci nomen esset? *Alata castra* Græce πτερωτὸν στρατόπεδον, apud Ptolemæum nominantur, & omnium confessione eo loco sita fuere, ubi nunc *Edenburgum* extat, post tantum tempus adhuc suo nomine *Alata castra* exprimens

primens. *Adain* einm Cambris & *aden* Wallis *alam* ac *edn* avem, alitem adhuc denotat; *Borow* vero & *burg* est *castrum*. Antequam vero Romani ibi castra locassent, Britannico vocabulo potuit urbs hæc *Atcula* sive *locus alatus*, vel, in quo *alata victoriæ imago* a Britannis culta est, vocata fuisse. *Le* enim Cambris, *lhe* Wallis, *log* Hibernis *locus*; & *lech* Aremoricis *sedes* est. Ad ultimam nominis *Ateula* syllabam videtur quoque *leonis* figura in numo quodam, ut diximus, extans respicere. Nam & leo Cambris *llew*, *lhew* dicitur, quod olim cum *a* scribi potuit, quia apud Celtas *a* & *e* vocalium unus fere sonus fuit, ut hodie adhuc apud Anglos. Nomen ipsum Victoriæ Britannicæ *Adraste* vel *Andraste* mihi quoque, ut hoc addam, nil aliud significare videtur quam *victoriam alatam*; nomen enim *adain* facile in *an* contrahitur *d* ejecto, ut fit in vulgari sermone, quemadmodum & nos Saxones inferiores vulgo *var* pro *vater*, ac *bæen* pro *beten* &c dicimus. Verbum enim *vinco* Aremorici, Britannorum posteri, sua lingua adhuc reddunt *trechi*, *tredha*, *trechda*; Cambris *DEWR* & *DRUD* est *fortis*, *audax*, *strenuus*, & *TRECH* fortior, potentior, unde superlativus *TRECHAF*. In his *ch* sonum literæ *s* vicinum habere notum est linguarum peritis. Vox VLATOS Principis, qui numum cudi fecit, nobis ignoti nomen est. Forte autem illud nomen hic contractum saltem est ex *Vellocatus*, quo Britannicum Regulum quendam insignitum novimus.

Attilæ tamen numus si unquam genuinus extitit, unius exemplar nos possidere certum est. Æreus is est, & magnitudinis ejus, qua in delineatione hic adjecta apparet. Vultu imberbi sistitur princeps & miti adspectu. Caput tiara, aliquantum tamen detrita in numo, tectum, corpus paludamento barbarico vestitum est. In postica numi legitur, literis admodum perspicuis, ADVLA REX; & nomen hoc circulo veluti laureacio inclusum est, ut & imago Principis in antica. In effigie & vestitu Principis aliquid comparet Baduillæ sive Totilæ Gothorum Regi simile; cujus tamen causa Attilæ hunc numum surripere nolim. Similitudo enim hæc procedit ab Attilæ instituto, quo mores & linguam Gothorum amabat; & videtur usum

TAB. III. Fig. 5.

vestimenti Gothici recepisse barbarus, quod patrio id commodius & elegantius esset: quemadmodum Gothi a Getis, quibus in terris ad Danubium successere, etiam vestitum mutuarunt, ut alibi clarissime ostendam.

AN ACCOUNT OF A SURPRIZING METEor, seen in the Air March 19, 1719 at Night.

hoc est,

DESCRIPTIO METEORI MIRABILIS D. 19 Martii A. 1719 noctu in aere visi; Autore GUILIELMO WHISTONO, M. A. quondam Mathematum in Academia Cantabrigiensi Professore.

Londini, apud W. Taylor, 1719, 8.
Plag. $2\frac{1}{2}$ Tabb. æn. 1.

CL. Autor 1 describit phænomenon ex litteris eorum, qui id diversis in locis observarunt: ipse enim nihil ejus vidit. Deinde 2 historiam contexit similium meteororum antea observatorum. 3 *Wallisium* & 4 *Hallejum* confutare nititur, quorum ille ejusmodi meteora pro Cometis, hic pro concursu vaporum supra atmosphæram nostram habuit. Tandem 5 propriam de iis hypothesin exponit & inde 6 quædam corollaria deducit.

TAB. III. Fig. 6. Apparuit meteorum hora 8 vesp. sub forma globi ignei, ejusdem fere cum sole magnitudinis apparentis, instar Lunæ plenæ omnem circumjectam regionem illustrans. Figura mox in oblongam AB mutata; flamma intervallo quatuor ad summum secundorum duravit. Cum subito evanesceret, in eodem loco AB nubecula coloris cinerei sed subrubentis apparebat. Eodem temporis momento ignis quidam tenuis a B per E in C sensim sensimq; serpebat relinquens tramitem cinereum 15 circiter minutorum latum. Perinde videbatur, ac si pyrobolus accensus ascenderet. Post horæ quadrantem nihil ejus amplius videri potuit. Integra figura ABEC baculum repræsentabat. Alicu-

bi etiam strepitus auditus, qualis percipitur ex simultaneo plurium pyrobolorum ascensu. Ipsum Lunæ lumen ejus lumine obfuscatum. Idem videtur hoc meteoron specie cum illo, quod in Actis A. 1708 p. 526 & seqq. ex observatione *Wolfii* exhibetur, qui idem ex eadem materia generari docuit, ex qua fulgur gignitur. Affinitatem cum eodem habent radii pyrobolorum ascendentium motum æmulantes in aurora boreali, quam fulgur imperfectum esse idem *Wolfius* monstravit, quemadmodum refertur in Actis A. 1716 p. 368. Plura meteora isti affinia ex Posthumis *Hookii* f. 199, 200, Transactionibus Anglicanis N. 341 & 115 atque Diario Observationum *Ludovici Fevillée* p. 116 & 199 recenset *Whistonus*.

Wallisius in Transactionibus N. 135 meteora istiusmodi pro Cometis habet: quam hypothesin tolerari non posse arbitratur *Whistonus*, postquam vera theoria motus Cometarum innotuit. Non opus est, ut rationes *Whistonianas* contra eandem distinctius recenseamus, cum cuilibet facile appareat, phænomenon nostrum cum apparitionibus Cometarum nihil commune habere. *Hallejus* hæc phænomena deducit a collectione cujusdam materiæ in æthere per fortuitum quendam concursum atomorum formatæ extra atmosphæram nostram. *Whistonus* hanc hypothesin principio precario de vaporum in æthere collectione superstrui observat & non una ratione contra eandem disputat. Ipse itaque pro fulgure ac coruscationibus prodigiosis in superioribus aeris regionibus habet. Inter corollaria, quæ inde deducit, effectus quoque seu influxus in hæc sublunaria atque significatus infaustus rejicitur.

Eodem die, nempe 30 Martii st. n. visum est idem phænomenon in Batavia, quod in Diario Batavo *de Bækzael* A. 1719 mense Aprili p. 513 describitur.

PHYSICES ELEMENTA MATHEMATICA experimentis confirmata, sive Introductio ad Philosophiam NEWTONIANAM, Autore GUILIELMO JACOBO 's GRAVESANDE, A. L. M. Jur. Utr. & Phil. D. Regiæ Societ. Lond. Socio, Astron. & Math. in Acad. Lugd. Bat. P. O. Tomus primus.

Lugduni Batavorum, apud Petrum & Balduinum Janssonium van der Aa, 1720, 4.
Alph. 1 plag. 2½ Tabb. æn. 33.

CL. Autor in his Elementis Physices ea tradere intendit, quæ a Mathematicis in partibus Matheseos mixtæ ad cognitionem rerum naturalium spectantia demonstrantur, ita tamen ut in demonstrationum locum experimenta surrogentur: quod sane consilium haud quaquam spernendum videtur, tum quod plurimi, quorum intererat nosse conclusiones, demonstrationes non capiant, tum quod etiam volupe sit experimentis confirmata contueri, quæ demonstrationibus corroborata didicimus. Intentio Autoris doctissimi ex præfatione liquet, ubi: „dividitur, inquit, totum opus in quatuor libros. Primus agit „de corpore in genere & corporum solidorum motu. Secun„dus fluida spectat. Quæ ad lucem pertinent, in tertio tra„ctantur. In quarto tandem motus corporum cœlestium & „quæ in terris ad hos relationem habent, explicantur. Primi duo libri in hoc Tomo continentur. Quis non videt, librum primum propositiones ex Mechanica, secundum ex hydrostatica, hydraulica & aerometria, tertium ex Optica, quartum denique ex Astronomia mutuare? Liber primus in duas dividitur partes. Prima est de corpore in genere: secunda de motu corporum solidorum. Liber secundus tres habet partes. Prima agit de gravitate, pressione & resistentia fluidorum; secunda de motu fluidorum; tertia de aere fluido elastico. Corporis in genere spectati recenset proprietates, extensionem, soliditatem, divisibilitatem, mobilitatem, figurabilitatem. Soliditatem *Lockium* secutus vocat, quod impenetrabilitatem dixere veteres. Unde eam probaturus ad resistentiam aeris provocat, quam sentimus embolum ad antliæ aere plenæ fundum protrudentes. Ad probandam divisibilitatem corporis in infinitum communibus utitur argumentis ex Geometria petitis, ad subtilitatem particularum a natura separatarum vero stabiliendam argumentis *Boylii*. A divisione ad cohæsionem partium digreditur, ubi de duritie, mollitie, fluiditate & elasticitate agitur.

Cohæ-

Cohæsionem a vi attractiva particularum cum nonnullis Anglis modernis derivat. Istam attractionem hisce legibus subjicit, ut in ipso particularum contactu sit perquam magna & subito decrescat, ita ut ad distantiam quam minimam, quæ sub sensus cadit, non amplius agat, immo etiam ad majorem distantiam sese mutet in vim repellentem, qua particulæ sese mutuo fugiunt. Vertumni hujus existentiam patere arbitratur per guttarum figuram sphæricam & duarum sese mutuo tangentium in unam coalitionem etiam in vacuo factam & per ascensum aquæ spontaneum in tubulo capillari etiam in vacuo contingentem, itemque inter duas laminas politas vel duo plana vitrea contigua. Repulsionis exempla sibi invenire videtur inter aquam & corpora pinguia, Mercurium & ferrum &c. De duritie, mollitie ac elasticitate præter definitiones vocum parum aut nihil habet. De motu generalia quædam præmittit ubivis obvia; sed quæ de effectibus eodem tempore productis & actionibus potentiarum comparandis addit, non videntur adeo levi negotio confici posse. Pertinent ad dynamicam, quam dare constituerat *Leibnitius.* Explicat deinde modo experimentali libræ, vectis, axeos in peritrochio, rotarum dentatarum, trochlearum, cunei & cochleæ vires & pauca quædam de machinis compositis monet. E. gr. vectis compositi legem, quod potentiæ ratio ad pondus æquilibratum componatur ex rationibus potentiarum ad pondera in singulis vectibus, ita adumbrat. A, B, D tres sunt vectes ita dispositi, ut potentia M unius libræ pondus P 120 librarum suspendat. Cetera ex schematis intuitu colliget attentus lector. Accelerationem gravium sequenti machina ad experimentum revocat. Libra AB unica lance instructa exacte est in æquilibrio, quando pondus lanci imponitur, gnomon ferreus sustinet brachium A, cui in f annectitur lamina elastica tenuis fg, quæ extensa ad i pertingit, ubi extremitas g retinetur ope laminæ minimæ i cum brachio A cohærentis. In extremitate brachii B datur foramen, per quod filum unco D suspensum liberrime transit, quod appenso pondere N in situ verticali retinetur. Pondus M perforatum est & filum per illud imittitur. Lanci imponitur pondus P unius libræ & cor-

TAB. III. Fig. 7.

Fig. 8.

pus M cadens ab altitudine trium pollicum movet libram. Idem contingit, si pondus P fuerit 2 librarum & M cadat ab altitudine 12 pollicum, aut si P fuerit 3 librarum & M cadat ab altitudine 27 pollicum &c. Agit deinde de gravitatione super plano inclinato & de oscillatione pendulorum, mox etiam de percussione & communicatione motus, de congressu corporum elasticorum, de motu composito, de potentiis obliquis, de projectione gravium, de viribus centralibus, de legibus elasticitatis. Regulas motuum ad examen revocat ope peculiaris machinæ globis ex filo suspensis, exemplo *Mariotti* aliorumque. Potentias obliquas sequenti machinamento illustrat. Est illud orbis ligneus, diametri circiter octo pollicum, horizontalis & pede sustentatus. In medio crassitiei sulco circumdatur, quo trochleæ ad libitum in quocunque circumferentiæ puncto Machinæ junguntur. Sulco enim huic inseritur lamina ænea, cui trochlea perpendiculariter cohæret, ut in F repræsentatur. Orbis prædictus in superiori parte paululum excavatur, ut recipiat orbem minorem DFA, crassitiei quartæ partis unius pollicis & paululum supra orbem primum prominentem, ita ut filum super trochlea machinæ annexa horizontaliter extensum superficiem DAF perstringat. Orbis minor charta obtegitur, ut lineæ commode duci possint. Sit C centrum orbis minoris & in hoc delineatum triangulum ABC, cujus latera sunt inter se ut 2. 3 & 4. Detur linea CE lateri AB parallela & continuetur latus AC versus D. Nunc dentur tria fila in C juncta & juxta lineas CD, CE & CB protensa super trochleis. Si filo CD appendatur pondus 4 librarum, filo CE pondus trium, tandem filo CF pondus duarum librarum, fila non moventur & nodus in C quiescit, non item si ex C dimoveatur. Digna foret machina, qua propositiones circa vires centrales præcipuas ad examen revocat, quæ hic exhiberetur, nisi prolixitas obstaret. Idem esto judicium de machina, qua elasticitas illustratur.

TAB. III. Fig. 9.

Librum secundum orditur a gravitate partium fluidorum & illius effectu in ipsis fluidis. Progreditur ad actionem liquidorum in fundos & latera vasorum, quibus continentur, gravitationem solidorum in fluidis, comparationem densitatum liquido-

quidorum (ubi de aræometris) determinationem hydrostaticam gravitatis specificæ solidorum & resistentiam solidorum. Circa motum fluidorum expendit primum celeritatem fluidi ex pressione fluidi superincumbentis, deinde altitudines aquarum prosilientium, tandem liquidum ex vasis profluens & irregularitates in isto motu. Subjungit nonnulla de motu fluminum atque undarum. De aere primum ostendit, quod fluidorum proprietates habeat, nempe quod in pressione servet leges ceterorum fluidorum. Probat postea elasticitatem aeris & ex ea rationem structuræ antliæ pnevmaticæ reddit. Antlia Autoris duobus constat cylindris æneis, ad imitationem antliæ *Hauksbejanæ*, a qua tamen in nonnullis differt. Experimenta, quæ profert circa aeris gravitatem & elasticitatem, notiora sunt, quam quæ hoc loco commemorentur. Describit etiam varia instrumenta, quibus in experimentandis aeris effectibus utimur, una cum machinis hydraulicis, in quibus motus ab aere pendet. Colophonem imponunt experimenta de sono.

Fatetur Cl. Autor in præfatione, se in his tradendis imitatum esse Anglos, quorum docendæ Philosophiæ naturalis methodus ipsi occasionem dederit cogitandi de hac, quam in hoc opere secutus sit. Illorum, inquit, vestigia tenere semper gloriabimur, qui, Principe Philosophorum duce (*Newtonum* intelligit, summum in Anglia Geometram) primi in Philosophicis detegendæ veritatis viam ingressi sunt. Non videtur vero Autor Historiæ Philosophiæ experimentalis satis esse peritus, cum pleraque eorum, quæ habet, experimentorum ante *Newtonum* extra Angliam facta fuerint. Methodus etiam probandi per experimenta propositiones de motu geometrice demonstratas a *Galileo*, *Hugenio* aliisque fuit usurpata. Et de machinis simplicibus olim apud Nostros experimenta dedit Jungenickel, homo quidem illiteratus, sed Mechanicæ non imperitus, in Clave Machinarum. Immo jam *Stewinus* talia dedit in Staticis.

NIC. BERNOULLI JO. FIL. EXERCITATIO Geometrica de Trajectoriis Orthogonalibus, continens varias earum tum inveniendarum tum construendarum metho-

methodos, sua vel Demonstratione vel Analysi munitas, cum præmissa discussione quarundam ejusdem problematis solutionum.

Sectio I.

§. 1.

EXcitata jam passim fama inter Geometras de problemate Trajectoriarum, dignum illud utique est, cujus solutio ad supremum possibilem perfectionis gradum (quem hucusque nondum obtinuit) promoveatur. Cum anno 1718 illius Historiam describerem in Actis Lips. publicatam, contentus tunc fine demonstratione tradidisse duos solvendi modos a Patre meo inventos, atque olim cum Illustri Leibnitio communicatos, quibus exemplum ab ipso Anglis propositum plenarie & conditionibus convenienter, hoc est per quadraturas solvebatur, non potui abstinere quin judicium nostrum sine ullo carpendi animo candide aperirem de quibusdam aliis solutionibus aut solutionum tentaminibus, hinc inde in lucem emissis, nec certe, ut spero, quisquam æquitatis amans mihi, quod monui, vitio vertet, si considerare voluerit, Patri meo, cui origo hujus problematis debebatur, sicuti in Historia narravi, ex necessitate incubuisse, ut declararet suam de illis solutionibus mentem, quin etiam indecorum fuisse, si, quod desiderari videbatur ad omnimodam conditionum adimpletionem, silentio præteriissem, præsertim defuncto jam Leibnitio, qui alias ipse hoc debuisset exequi.

§. 2. Ex eo tempore nova de eodem problemate schediasmata ad manus nostras pervenere, unum a Cl. Tayloro Transactionibus Londin. anni 1718 insertum a pag. 695 usque ad pag. 701, duo alia, *supplimenti* primum, alterum *additamenti* nomine, quæ Autore Celeb. Hermanno prodierunt in Actis Lipſ. 1718 M. Julio, & 1719 M. Febr. quæque in primæ suæ solutionis in Actis Lipſ. 1717 M. Aug. editæ partim dilucidationem partim perfectionem inservire debuerant. Officii nostri esse putamus, ut in honorem veritatis & incrementum scientiæ ista quoque schedisamata sub modestum examen revocemus, & ad

ad ea, quæ nos propius tangunt, respondeamus; quod inprimis Cl. Hermanno, qui demonstratos errores defendere non solet, minime displicebit.

§. 3. Optarem equidem, ut Cl. Taylorus præfatiunculam suam utpote ad rem nihil facientem omisisset, verba enim, quæ profert in Exteros Geometras nimis fastidiosa ac nescio quem contemptum spirantia, utut a nemine læsus, parum laudis merentur. Piis manibus Leibnitii, viri certe magni, de quo forsan immoderate magis quam vere loquitur, parcere debuisset. Injurius est in Parentem meum, de quo temere asserit, quod eo *hortante Leibnitius Problema Geometris Anglis solvendum proposuit*. Liquet enim ex iis, quæ in Historia attuli, Leibnitium Parente meo inscio proposuisse primum problema de Trajectoriis Hyperbolarum, cujus postea ego solutionem dedi, vid. Act. 1716 p. 227, alterum vero Problema Leibnitio petenti a Patre quidem suppeditatum, sed a Leibnitio sponte ita volente, neque Patre hortante, fuisse Anglis propositum, quo fine, nostrum non est indagare. Vix interim nobis persuadere possumus, id factum esse, ut summi Newtoni vires, plus satis nobis omnibus perspectas, experiretur Leibnitius, ingeniorum, dum viveret, æstimator æquissimus. Nemo, quod sciam, denegavit Newtono *immunitatem ab hujusmodi contemplationibus*, qua jure suo merito fruitur post tot exantlatos labores. Sed quidni vicissim similem concedunt Angli immunitatem Parenti, qui suis quoque defunctus laboribus dudum demonstratum dedit, quid in resolutione problematum a se exspectari possit.

§. 4. Quos intelligat Taylorus per Leibnitii Fautores, quibus affingit *licentiam provocandi ad certamen ingeniorum*, haud facile conjecerim, nisi quod ex conficta hortatione modo ante memorata colligere liceat, Parentem meum hisce Leibnitii Fautoribus aggregari, ut sub hoc nomine tanto licentius eum exagitare possit Taylorus. Quid mali est fautorem fuisse Leibnitii? fuit certe Vir singulari ingenio, eruditione & virtute præditus, adeoque dignus, cui faverent omnes, qui scientias & artes amant. Eodem modo favemus etiam Newtono, ipsiusque merita maximi facimus; sed favor, quo hos prosequimur,

 est

est purus & in nullo partium studio fundatus; favemus utique merentibus, sed non in præjudicium veritatis; amicus Newtonus, amicus Leibnitius, sed magis amica veritas. Si quem lapsum a Leibnitio commissum observavit Pater, aut si qua in re ab ipso dissentiendum putavit, non veritus est ejus admonere Virum optimum, quandoque publice quandoque privatim, prout occasio postulabat, quod plane non ægre tulit. Credo Newtonum quoque, sicuti solent omnes generosæ mentes, ita esse animatum, ut ab inferioribus etiam, citra amicitiæ læsionem, se corrigi patiatur, si forte ab ipso erratum fuerit.

§. 5. Sed minus urbane agit Cl. Taylorus cum Leibnitio ejusque, quos vocat, *Fautoribus*, quando crude adeo illos *imperitiæ* coarguit, quod contenti non fuerint solutione illa Anonymi, quam *maxime generalem* deprædicat, quæ prodiit in Transactione N. 347, quodque *nondum viderint quomodo ex illa*, præsertim pro exemplo proposito, *æquationes sint deducendæ*. Meruissent sane honorificum scil. hunc *imperitiæ* titulum, quo illos tam liberaliter mactat, si ipse præstitisset, quod *Fautores Leibnitiani* nequiverunt, atque ostendisset, quomodo, *premendo vestigia solutionis generalis modo citatæ*, casus particularis Leibnitii ad æquationem & constructionem reduci possit, sed illa prorsus neglecta, aliam iniit viam longe diversam. Si ita argumentari fas est, ut Taylorus facit, ad demonstrandum aliquam solutionem esse justam & legitimam, facile mihi erit quamvis chimæram cuivis obtrudere tanquam genuinam alicujus problematis solutionem; quis enim audeat conqueri se non intelligere, nisi vellet *imperitiæ* notam incurrere? Verum ea esse debet natura Regulæ, canonis, formulæ aut solutionis alicujus generalis, ut applicatio etiam a Tyrone institui possit, quodsi hac facilitate & claritate careat, jam non amplius pro solutione habenda est, sed pro ænigmate, quod difficilius quam ipsa quæstio problematis. Casum primum Leibnitii de secundis hyperbolis per Trajectoriam orthogonalem dicit Taylorus *a quibusdam Anglis fuisse illico solutum*, quod credimus libenter, nam & ego solvi, cum vix adhuc sublimiorem Geometriam a limine salutassem. Sed qui fit, quod iidem illi

illi Angli alterum caſum, qui jam eſt in quæſtione, non pariter ſolverint, etſi fatente Cl. Tayloro non ſit difficultatis adeo inſignis? ſcilicet *hoc manſit ab illis omnino intactum*; quo circa nihil exinde conſequitur, quod eos afficiat, cur vero prius illud non æque ac hoc alterum voluerint intactum relinquere, aliis divinandum trado.

§. 6. Acutiſſimi Taylori venia tranſeo nunc ad ipſam ejus ſolutionem, & quidem ſtatim ad ſecundam partem, quæ nunc ſola eſt in controverſia, qua nempe quæritur ſolutio & conſtructio Trajectoriarum ad angulos rectos ſecantium ſeriem curvarum & nominatim earum, quæ pro æquatione habeat $dx = \frac{y^m dy}{\sqrt{a^{2m} - y^{2m}}}$, ſumtis nimirum y pro abſciſſa, x pro applicata & a pro parametro variabili in tranſitu ex curva in curvam. Equidem non diffitemur, ſolutionem Taylori in ſe ſpectatam eſſe juſtam & bonam, imo talem quæ ſolutoris ſingularem ſagacitatem indicat; ſed permittat nobis, ut quædam annotemus. 1 Modus perveniendi ad æquationem fluxionalem terminorum infinitorum pro natura curvæ quæſitæ, non ſatisfacit uni ex conditionibus Leibnitii, qua cautum, ut æquatio conſtet terminis numero finitis & ut per ſegregationem indeterminatarum ad quadraturas reducatur, quod per ſeriem Taylorianam non obtinetur. 2 Ingenioſe quidem dicit æquationem finitam differentio-differentialem ex analogia ſerierum $\frac{Ax^n ax}{a^n}$ + &c. & $\frac{Ax^n dx}{a^n}$ + &c. Sed præterquam quod hæc via videatur nimis aliena & remota, hoc inſuper ex inſpectione operationis quilibet videt, iſtam duarum illarum ſerierum analogiam eſſe mere caſualem vel fortuitam, atque huic exemplo forſan ſoli peculiarem, unde per conſequens nulla methodus elucet in aliis exemplis ſimiliter procedendi. 3 Immediate non deducit ad differentias ſeu fluxiones primas, ad quas tamen per methodos a Parente meo uſitatas, & infra uberius explicandas, immediate pervenitur. 4 Reductio fluxionum ſecundarum ad primas peragitur a

Tayloro, modo non valde naturali, permixtio quippe secundarum & primarum, cum ipsis indeterminatis reddit integrationem difficilem aut incertam, neque adeo a quovis alio minus versato instituendam. 5 Æquatio fluxionalis primi gradus quam tandem sic eruit Taylorus, etiamnum laborat indeterminatarum permixtione, quæ ideo manente *m* in terminis generalibus, ut ad quadraturam curvarum revocetur, putat ipse haud proclive esse: etsi problema, ut jam constat, facillime per quadraturas construatur.

§. 7. De cetero eleganter observavit, quod postea observandi nobis etiam & Cl. Hermanno ansam præbuit, curvam nempe quæsitam describi posse per intersectiones continuas curvarum datarum, totidemque singulis respondentium algebraicarum, quarum æquatio exhibetur. Aptissime etiam animadvertit, curvas secandas esse similes, sed miror, quod ex similitudine animadversa non elicuerit solvendi methodum longe facillimam, quæ non ad hoc tantum, sed ad omnia alia similia curvarum exempla applicatur; constructio, quam dedi §. 10 Schediasmatis mei a Patre suppeditatam, inventa est per hanc methodum, deinceps explicandam, quæ si in mentem venisset Viris ingeniosissimis Hermanno & Tayloro, non dubito quin suos calculos, quos pro similibus curvis instituerunt, satis operosos, prorsus neglexissent, amplexuri modum, qui nullo quasi calculo, ut videbimus, ad quæsitum ducit. Quod vero illis non in mentem venerit, tanto magis miror, quod æquatio $\frac{da}{a} = \frac{dx^2 + dy^2}{xdx + ydy}$ ab Hermanno *modularis* dicta & cujus *analysin* Taylorus *celare statuit*, nonnisi ex generali similitudinis idea fluat, quemadmodum infra per analysin non celandam constabit.

§. 8. Confero me ad schediasmata Cl. Hermanni: ubi in antecessum monere debeo, quod quæ annotabo, non alium habeant scopum, quam ut Virum acutissimum omni qua possum humanitate invitem ad perficiendum opus, quod laudabili conatu inchoavit; videbit enim pro æquitate sua multum adhuc abesse, quo minus solutiones allatæ supremum perfectionis apicem

apicem attigerint. Quæ menſe Junio 1718 notavi in primum ipſius ſchediasma, menſe Auguſto anni præcedentis 1717 editum, eodem ſane fine erant ſcripta, ut nimirum loco Patris, qui poſt Leibnitii fata officium diſcutiendi ſolutiones in ſe devolutum putarat, ob rationem ſupra dictam, amice aperirem, quid in illis deſideraremus. Interim non ſine aliquo mœrore vidimus ex Februario 1719, Virum Cel. non eodem quo nos animo accepiſſe monita noſtra, ſiquidem paſſim ita loquitur, quaſi, quæ ſcripſeram, ex ſtudio carpendi atque verbis ipſius alienum ſenſum affingendi fuiſſent prolata, quam autem mentem nobis nunquam fuiſſe ſanctiſſime teſtamur, ſpe freti fore, ut de iis benignius ſentire incipiat, quando legerit ſequentia, quæ vel ipſe notavi, vel notata habeo a Parente.

§. 9. Placuit Cl. Hermanno primæ ſuæ ſolutioni editæ in Actis Lipſ. 1717 pag. 348 & ſeqq. præfigere ampliſſimum Titulum *generalitatis;* cum autem illa ſolutio ſundetur in ſuo, quem vocat, canone de permutandis coordinatarum elementis cum variato alterutrius ſigno, monui illam ſolutionem non poſſe dici generalem, quia canon iſte ad curvas tranſcendentes generaliter nequeat applicari, hoc eſt, ita applicari, quod notari velim, ut in æquatione prodeunte modulus vel Parameter variabilis eliminetur: hæc enim eliminatio conſtituit partem eſſentialem regulæ, ut ipſe Cl. Hermannus in canonis enunciatione clare indicat pag. 349, præcipiens moduli valorem ſubſtituere, quod nihil eſt aliud quam modulum eliminare, idemque Pater meus jam antea indicaverat in literis ad Nob. Monmortium 10 Julii 1717 datis, vid. Act. 1718 p. 258. Certe quamdiu æquationem aliquam, quæ naturam curvæ exprimere debet, tres ingrediuntur indeterminatæ, ſicuti hic fit per ſolam tranſmutationem elementorum coordinatarum manente parametro variabili, curva quæſita nondum determinata dici poteſt. Videtur Cl. Hermannus ipſe hoc poſtea agnoviſſe, quando traditurus menſe Julio 1718 ſupplementum primæ ſuæ ſolutionis, ab initio ſtatim ingenue fatetur, hanc ſolutionem generalem quidem eſſe pro curvis algebraicis, ſed viam,

quam in analysi exempli quarti illic secutus sit, non satis expeditam, nec æque generalem esse ac primum putarat.

§. 10. Quæ cum ita sint, miror, Virum perspicacissimum velle assertum meum, quod concessisse videbatur, nunc iterum improbare, vid. ipsius additamentum Act. 1719 mens. Februar. p. 75, distinguendo inter *amplitudinem* & *sufficientiam*. Nunquam profecto negavi permutationem elementorum coordinatarum ubique locum habere in transcendentibus, æque ac in algebraicis: at vero in hac sola permutatione non consistit canon, requiritur præterea, quod rei caput est, ut parameter variabilis eliminetur; in algebraicis res nullam patitur difficultatem, quia valor ejus (concessa extractione radicum ex æquationibus algebraicis) semper dabilis est in terminis finitis, id quod non perinde se habet cum curvis transcendentibus, utpote in quibus omnibus (paucissimis exceptis ex. gr. quibusdam exponentialibus) valor parametri ex æquatione curvæ secandæ in terminis finitis obtineri non potest, aut quomodo obtinendus sit, saltem Canon Hermannicus non docet. Hoc itaque sensu non potest dici *generalis* vel *completus*, id quod unum idemque mihi est, sed erit etiamnum imperfectus seu insufficiens. Quando dixi, Canonem non esse *generalem* pro curvis transcendentibus, neque ideo majorem ei extensionem quam ad algebraicas adscripsisse Patruelem meum hujus Canonis Coinventorem (si modo inventio vocari mereatur, quæ ipso fatente nihil aliud est, quam commoda quædam formula, qua exprimitur methodus ita pluribus annis ante finem superioris seculi usurpata a Leibnitio & Patre meo) certe per *non generale* intellexi idem quod per *insufficiens*, sicuti patet ex meo Schediasmate pag. 260, in quo loco directe dixi, exemplum tertium etiamsi transcendens & a Patre & a Patruo olim solutum, tale tamen esse, ut valor moduli in terminis finitis exhiberi possit, adeoque nec hoc *sufficientiam Canonis* probare, ad quod si animum advertisset Cel. Hermannus, non opus habuisset mihi inculcare suam distinctionem inter *amplitudinem* & *sufficientiam*; siquidem, ut jam innui, universalitatem transmutationis elementorum coordinatarum nunquam negaverim, sed petitam inde

frustra

frustra totius canonis sufficientiam seu generalem extensionem ad cujuscunque generis curvas.

§. 11. Sed non est, cur hisce diutius immorer, sufficit Virum Clariss. Canone suo publicato, postea sponte ejus imperfectionem perspexisse, qua visa id agere voluit, ut suam, quam ingenue nominat, αἶδλεψίαν festinando commissam repararet per novam, quam exhibet, constructionem, ut vocat, generalem & facilem sub titulo *Supplementi solutionis problematis de Trajectoriis;* verba ipsa, quibus concepta est hæc constructio, ita habent: „Sit generalis æquatio curvarum secandarum $dx =$ „pdy, ubi p data supponitur quomodocunque per y & constan-„tes, factaque $q = \sqrt{(1+pp)}$ æquatio log. c. − log. $a =$ „$\int (qqdy: y + p\int pdy)$ præbebit constructionem generalem & „facilem ope logarithmicæ perficiendam, existentibus a mo-„dulo curvæ secandæ, & c quantitate qualibet constante. Ad „id enim aptandæ solummodo sunt in logarithmica duæ ordi-„natæ a & c, atque in curva, cujus abscissæ y, ordinatæ vero „sint $qq: y + p\int pdy$, abscindenda area proportionalis distan-„tiæ applicatarum illarum logarithmicæ; abscissa hujus areæ „dabit ordinatam ejusque valor in æquatione $x = \int pdy$ substi-„tutus, abscissam trajectoriæ quæsitæ in puncto intersectionis „ejus & Curvæ secandæ. Q. E. F.

§. 12. Interim novam hanc regulam, quam tunc generalissimam existimabat, saltem pro iis curvis, secandis in quarum æquatione differentiali litera x non reperitur, coactus est pariter insufficientem declarare, restringendo eam ad solas curvas similes in postremo suo schediasmate Act. Febr. 1719, cui Titulus *Additamentum ad schedas* &c. ubi ingenue fatetur pag. 73, *se veritatis amore minime dissimulare voluisse*, quod æquatio sua modularis, ut & illæ omnes paragraphi sui præcedentis, inter quas hæc eadem $\frac{-da}{a} = \frac{dx^2 + dy^2}{xdx + ydy} = \frac{qqdy}{+p\int pdy}$, ex qua deduxit suam constructionem, communes quidem sint omnibus curvis similibus, sed solis similibus, licet antea per errorem generales esse arbitratus fuerit.

§. 13.

§. 13. Vidit itaque demum Vir sagacissimus, quantum adhuc desit quo minus generale problema Trajectoriarum solutum nobis dederit, quandoquidem omnes æquationes, quas hactenus ab ipso habemus (illa enim quæ ex transmutatis elementis coordinatarum oritur, utpote per se nequaquam determinans curvam quæsitam, non computanda est) respiciunt duntaxat curvas similes, excepta unica modulari, quam dedit pag. 76, $\frac{da}{a} = \frac{dx^2 + dy^2}{ydy + \overline{1-m}\,xdx}$, pro curvis quibusdam transcendentibus dissimilibus, quales sunt, quæ per hanc ex. gr. æquationem differentialem exprimuntur, $dx = \frac{b^m\,dy}{\sqrt{a^{2m} - y^{2m}}}$, quarum Trajectoriam cum nonnisi per æquationem differentio-differentialem exhibuerit, a me petit, ut eandem exhibeam æquatione differentiali primi gradus; hoc autem quod operæ pretium, sinon impossibile putavit, infra præstabo.

§. 14. Lubet autem paulo penitius inspicere præfatam constructionem, quam Vir Cel. nullius quidem usus in dissimilibus jam agnoscens, ad similes tamen curvas quascunque applicari posse, contendit. Ego vero qui hujus Viri erga me benevolentiam plurimi facio, nollem eum offendere proterve obloquendo; quare quam fieri potest officiosissime rogatum volo, ut ponderare dignetur rationem, ob quam mihi videtur constructionem illam non sine periculo paralogismi deduci posse ex inventa æquatione $\frac{-da}{a} = \frac{qqdy}{y + p\int pdy}$, ratio est, quia si $\frac{qqdy}{y + p\int pdy}$ integrabilis est per logarithmos, inde non statim licet concludere, quod ideo $lc - la$ sit = illis logarithmis, quorum differentialia faciunt $\frac{qqdy}{y + p\int pdy}$; cujus rei veritatem infra demonstrabo.

§. 15. Poterit quidem Vir ingeniosissimus urgere sub aliqua veri specie, suam hanc constructionem sibi dedisse genuinam

nuinam Trajectoriam pro fecandis $dx = y^m dy : \surd (a^{2m} - y^{2m})$ atque conformem illi, quam a Patre meo exhibui in Actis 1718 p. 253. Sed ad hoc refpondeo, fucceffum iftum effe mere fortuitum & tali cafui adfcribendum, qui in mille aliis exemplis non occurret, originem habens in præfenti exemplo ex eo, quod introducendo novam litteram R. quæ ponitur $= \int \overline{1 - m a^{2m}} pdy : y^{2m}$, tota illa quantitas $qqdy : y + p\int pdy$, mutetur in $dR : \overline{1 - mR}$ ubi commodum accidit, ut præter unicam indeterminatam R nulla alia reperiatur, id quod facit, ut integratio feliciter procedat. Quo vero magis pateat conftructionis fallacia, proponamus nobis exemplum, cujus folutio aliunde jam cognita, curvarum fecandarum fimilium, nempe parabolarum communium eodem vertice & axe defcriptarum, quarum fcimus trajectorias effe ellipfes fuper axibus conjugatis fe habentibus ut $\surd 2$ et 1. Sit itaque parabolarum parameter variabilis, a; earum æquatio $ax = yy$, unde $dx = (pdy) = \frac{2ydy}{a}$ adeoque $p = \frac{2y}{a}$ & q feu $\surd \overline{1 + pp} = \frac{\surd \overline{aa + 4yy}}{a}$, quæ fi fubftituantur in æquatione pro trajectoriis $\frac{-da}{a} = qqdy : y + p\int pdy$, habebimus $\frac{-da}{a} = (aa + 4yy)\, dy : (aay + 2y^3) = \frac{dy}{y} + \frac{2ydy}{2yy + aa}$; quare integrando, ut exigit conftructionis præfcriptum, prodibit $\int (qqdy : y + p\int pdy) =$ Log. $y + \frac{1}{2}$ Log. $(2yy + aa) =$ Log. $c -$ Log. a, atque adeo abjectis logarithmis $y \surd (2yy + aa) = c : a$, vel reductione inftituta, $2aay^4 + a^4 yy = cc = ($ suppletis homogeneis$)\, b^4 cc$, quæ effet æquatio determinans Trajectoriam Parabolarum, ut vero illa inveniatur inter coordinatas y & z, furrogetur pro a ipfius valor $yy : z$ (eft enim ex natura parabolarum $az = yy$) quo facto refultabit $y^{10} + 2zzy^8 = b^4 cc z^4$, æquatio valde diverfa ab ea, quæ ad ellipfin fpectat.

§. 16. Video Cl. Autori tandem fuboluiffe latentem in

ſua conſtructione defectum, quem expiſcari & tollere poſtea conatus, in additamento Febr. 1719 p. 71, ſcopum ſuum non attigit; monet ibi, *non eſſe reticendum, quod utique per x, y, dx, dy, intelligi debeat* $\frac{x}{a}, \frac{y}{a}, \frac{dx}{a}, \frac{dy}{a}$; Verum ſi in æquatione inventa pro parabolarum trajectoria $\frac{-da}{a} = \frac{dy}{y} + \frac{2ydy}{2yy+aa}$, pro y & dy, ſcribatur $\frac{y}{a}$ & $\frac{dy}{a}$ ſicuti monet, prodibit hæc alia haud multum diſcrepans $\frac{-dy}{a} = \frac{dy}{y} + \frac{2ydy}{2yy+a^4}$, ſed quæ tractata ut ante reddit æquationem inter z & y adhuc magis compoſitam, neque adeo ellipſi competentem; quare non obſtante Cl. Autoris medela, nondum ſublatus eſt defectus quo laborat ipſius conſtructio. Certe ſi conſiderando a tanquam conſtantem, exhiberi poſſet $\int \frac{qqdy}{y+pſpdy}$ in terminis finitis felicius ego ſuccurrerem laboranti; nam nihil aliud faciendum eſſet, quam ut pro y & a, ſcriberetur $\frac{y}{a}$ & $\frac{a}{a}$ ſeu 1; hoc modo æquatio pro parabolarum trajectoria in terminis finitis inventa $y\sqrt{(2yy+aa)} = \frac{c}{a}$ abibit in hanc a defectu emendatam $\frac{y}{a}\sqrt{\left(\frac{2yy}{aa}+1\right)} = \frac{c}{a}$, ſeu $2y^4 + aayy = ccaa$, quæ, ſubſtituto $\frac{yy}{z}$ pro a, nobis dat hanc aliam $2zz + yy = cc$, manifeſte ſpectantem ad Ellipſin illam, quam diximus parabolas orthogonaliter trajicere. Ob hanc rationem factum eſt, ut in æquatione, ad quam p. 73 Vir Cl. pervenit $\frac{dR}{1-mR} = \frac{-da}{a}$, non ſtatim, ſed poſtquam integrando ad terminos finitos redacta eſſet, dividendum fuerit R per a, ut vera reſultaret æquatio Log. $\frac{c}{a} = \frac{1}{1-m}$ Log. $\frac{R}{a}$;

alias

alias si jam in æquatione differentiali secundum monitum suum pro R & dR scripsisset $\frac{R}{a}$ & $\frac{dR}{a}$, mansisset æquatio invariata $\frac{dR}{1-mR} = \frac{-da}{a}$, quæ ad logarithmos & postea ad quantitates absolutas perducta dedisset æquationem erroneam & problemati minime satisfacientem $c^{1-m} a^{m-1} = R$.

§. 17. Atque sic veram dedimus correctionem constructionis Hermannianæ, sed simul inde liquet, illam non posse in usum vocari nisi rarissime, quando scilicet $qqdy : y + p/pdy$, integrabilis est vel *absolute* vel per logarithmos. Videt ergo jam Cel. Autor constructionis (quam primo prædicavit generalem, postea ad similes curvas restrinxit) nunc tandem eam, prout concepta est, ne ad has quidem (nisi adhibita quam memoravi cautela) adeoque ad nullas valere. Recurrendum itaque erit ad alias construendi methodos & commodissime quidem ad illas Patri meo usitatas, quia sunt faciles sive inventionem sive effectionem respicias.

§. 18. Hæc si perpendere dignetur Cl. Hermannus, monita nostra, ut speramus, haud amplius iniq; feret, sicuti nec hoc quod diximus, ipsius æquationem $xdy - ydx = c^{1-m} y^m ds$, permixtione indeterminatarum laborare; cum præsertim jam videat Cl. Taylorum non tantum in eadem nobiscum opinione fuisse, sed credidisse omnino, ***quod haud proclive sit æquationem illam manentem in terminis generalibus, revocare ad æquationem fluentes tantum involventem, vel ad quadraturam curvarum*** Id quod regerit Vir Cl. permixtionem istam indeterminatarum esse tantum apparentem, minime vero realem, nondum plane satisfacit; notum enim est quid per separationem indeterminatarum intelligatur, scilicet separare indeterminatas in æquatione aliqua ad cujus originem non attenditur, vel quæ simpliciter proposita supponitur, est artificiose excogitare aliquem arbitrarium valorem pro alterutra vel utraque indeterminatarum, qui in æquatione substitutus reddat novam æquationem ab ista permixtione immunem; Hoc autem sensu rem nondum esse confectam in

præfenti exemplo $xdy - ydx = c^{1-m} y^m ds$ agnofcet ultro fi attendere voluerit, quod æquatio, ad quam pervenit

$\int \frac{1 - ma^{2m} dy}{y^m \sqrt{(a^{2m} - y^{2m})}} = a^m c^{1-m}$, non tam ex ipfis vifceribus

æquationis feparandæ $xdy - ydx = c^{1-m} y^m ds$, quam ex præfuppofita æquatione curvarum fecandarum $dx = y^m dy : \sqrt{(a^{2m} - y^{2m})}$ fuerit elicita, quem feparandi modum non effe genuinum vel methodicum, qualem intendimus, hinc quo-

que patet, quod in transmutata $\int \frac{1 - ma^{2m} dy}{y^m \sqrt{(a^{2m} - y^{2m})}} = a^m c^{1-m}$

adfit litera a defignans modulum vel parametrum variabilem quæ nullam dependentiam nexumve neceffarium habet cum æquatione propofita $xdy - ydx = c^{1-m} y^m ds$, in abftracto fumpta, utpote in qua non reperitur. Quod fi vero Vir Cel. exiftimet etiam in his dari certam methodum, aut fi quam poffideat, quæ methodi nomen mereatur, non melius de publico mereri poterit quam fi eam communicaverit; tentet interim feparationem indeterminatarum in eadem fua æquatione mutato duntaxat unico figno $-$ in $+$, nimirum $xdy + ydx = c^{1-m} y^m ds$, ita ut per quadraturas conftrui poffit; auttricat nobis, cur in hac permixtio indeterminatarum, non æque fit tantum apparens, ac in altera illa fua $xdy - ydx = c^{1-m} y^m ds$.

§. 19. Supereft adhuc Cel. Viri querela, quæ me follicitum habet; patietur itaque ut amota illa fibi excutiam finiftram de mente mea non fatis percepta opinionem: mirabar quod ille optime judicans, tentamen anonymi illius Angli fore calculi laboriofiffimi, ipfe interim calculi prolixitatem & moleftiam evitare non ftuduerit; mirabar etiam dicentem fecunda differentialia effe fuperflua; cum ipfe tamen in calculo fuo exempli IV ad ea delapfus fuerit. De hoc nunc queritur in Additamento p. 76, quafi verba fua aliter intellexerim, vel potius, quod pejus effet, quafi aliter interpretatus fuerim, quam ipfa fonent: fed pace Viri Excell. aperte profiteor, me ipfius verba probe intellexiffe, & ita quoque, ut fonant, interpretatum fuiffe, at ipfe videtur mentem meam non fatis affecu-

tatis. Proinde ut clarius me explicem, innuere volebam me mirari, quod improbarit in Anglo Anonymo calculi prolixitatem *non necessariam* & usum *superfluum* differentialium secundorum, ipse tamen in utrumque inciderit soluturus exemplum suum quartum, cum tamen, si recta methodus adhibeatur, neque longo calculo, neque secundis differentialibus opus sit; exceptio igitur, quod Anonymi tentamen non nisi ad curvas algebraicas pateat, circa quas Vir Cl. non inciderit in calculi prolixitatem aut in secunda differentialia, nihil prorsus ad rem facit: licet enim lubens largiar, quod ipsi objici non possit, id quod Anonymo, scilicet in exemplis curvarum algebraicarum nimiam & superfluam operam collocasse, in eo tamen comparationem justissimam facio dicendo, quod quemadmodum Anonymi Angli tentamen deducit ad nimium calculum, & ad differentialia secunda circa exempla curvarum algebraicarum, ubi neutro opus est, ita pariter Cel. Vir prolixum calculum fecit & delapsus est ad differentialia secunda, ad solvendum exemplum suum quartum, ad quod tamen etsi transcendens non longiori calculo nec magis differentialibus secundis opus est, quam ad curvas algebraicas, ut ex Analysi paterna apparebit, ipseque jam suspicit Vir acutissimus, sponte nunc agnoscens *in curvis transcendentibus similibus* (in quorum censu sunt curvæ exempli quarti) *usum secundarum differentialium vitari posse*: hoc itaque fuit quod miratus sum ipsum non vitasse quod vitare poterat: meum interim non est probare quod idem obtineret circa quascunque curvas transcendentes *dissimiles*, quandoquidem hoc nusquam dixi: dabo tamen æquationem differentialem primi gradus quam petit pro Trajectoria Orthogonali ejusmodi curvarum transcendentium quæ exprimuntur hac æquatione differentiali $dx = \frac{b^m dy}{\sqrt{(a^{2m} - y^{2m})}}$; aliaque communicabo hisce magis ardua; quorum labor erit, ut loquitur, operæ pretium.

Hæc hactenus; Sectionem Cl. Autoris II & III proxime Supplementis inseremus.

ISTORIA DELLA REPUBLICA DI VENEZIA.

i. e.

HISTORIÆ VENETÆ PARS II, QUÆ simul bellum ob successionem Hispanicam motum continet; Autore PETRO GARZONE, Senatore Veneto.

Venetiis, apud Jo. Manfredum 1717, 4 maj.

Alph. 4.

CUram in Historia Europæa describenda, quæ nostra imprimis tempora attingit, Serenissima Venetorum Respublica Petro Garzoni, Senatori suo, jam dudum demandaverat, cujus operis Partem primam T. V Supplem. p. 383 perlustravimus. Operæ nunc pretium est, ut secundam Partem in medium producamus, serius sane ad nos translatam, quæ bellum acerrimum inter Europæos de hereditate Hispaniarum gestum ob oculos sistit. Non sinunt fata funesta, quæ omnem ferme Europam tunc afflixerunt, ut eorum memoriam sigillatim refricemus; attamen causas saltim tantæ conversionis rerum remisisse sufficiet. Primos inter fuisse Comitem S. Stephani, qui (p. 15.) Carolum II ad Andegavensis partes pellexerit, pluribus Ill. Autor probat. Carolo paulo post defuncto, Galli omnem Hispaniam, terrasque eidem subjectas occupaverant, ne tamen autores belli viderentur, ab aperta quidem vi abstinebant, unde facilior (77.) Germanis aditus in Italiam per Tridentinum agrum patuit. Ut Catinatus Carpium rebus necessariis privaret, ab exploratoribus fuerat delusus, quo facto Galli levi negotio inde sunt deje- (89.) cti. Interea Veneti neutris partibus addicti Cæsareos pariter ac Gallos ab ingressu in munita loca prohibuerunt, sed his Pa- (98.) latium occupantibus, illi etiam in arcem Clarii clam admissi, Galli vero, dum Cæsareos non omni vi adoriuntur, haud parva (145.) clade accepta sunt repulsi. Philippo 1702 Neapolim intrante animadversum est, ei populum clementissime salutanti nemi- (178.) nem fausta acclamasse vota. Pugnæ prope Fridlingam improspere pugnatæ culpa fertur, quod Galli præter opinionem fuissent numero superiores, Badensis autem copias manipulatim locasset. Bavarus interea partes Gallorum amplexabatur, Tirolensem Austriacorum tractum petens, ut cum Vindocinensi ex

Italia adventante copias conjungeret. Primus in Kufffteinam fiebat impetus, quæ incendio fuburbiorum, vi venti in arcem translati brevi ad deditionem eft coacta. Hinc Boji ulterius progreffi Tirolenfibus duriffima imponebant tributa, atque licentia militari adeo agreftes exacerbabant, ut pedem referre fubito neceffum haberent. Auguftam Vindelicorum, literis ad Bibranum Præfectum interceptis, quibus fuppetias fruftra expectari monebatur, Bavarus fpe citius in poteftatem redegit. A. 1704 Angli Belgæque laboranti Germaniæ auxilium ferre conftituerant, confilia tamen adeo occultantes, ut & Imperator eorum, quæ agitabantur, effet ignarus. Victoria porro ad Schellenbergam maxime debetur virtuti Ducis Wartenbergici, qui Gallos a latere adortus fubito in fugam vertit. Poftea cum Galli ad Hochftadium cum Fœderatis manus conferuiffent, atque ad aditus undique intercludendos magnam copiarum partem ex media acie dimififfent, tandem infigni clade funt affecti. Heraclea a Fœderatis oppugnata, & rebus ad obfidionem fuftinendam neceffariis deftituta, brevi victoris legibus fe fubmittere cogebatur. Poft Pacem Carolovicenfem Imperator Turcarum Muftafa in otio defidiofiffimo Adrianopoli delitefcebat, omnem Imperii curam ferme facrorum Antiftiti credens, homini avaro, & militibus invifo, qui tandem ob ftipendium non folutum in feditionem proruperunt, & Muftafa fuprema dignitate privato, qui paullo poft diem obiit fupremum, fratrem ipfius juniorem Achmetem III in folium evexerunt. A. 1705 haud procul Caffano dubio marte pugnatum eft, quod Gallos nihil tale metuentes adorirentur Cæfarei, ipfi vero ab ulteriori impetu nimia aquarum profunditate diftinerentur. Hagenoam acri obfidione ad incitas redegerant Germani, fed dum portam, qua Tabernas Alfaticas itur, negligentius intercludunt, præfidium noctu Præfectus clam fubduxit. Ob fingularem peritiam igniarii cujusdam Belgici Barcino Fœderatorum oppugnationem diu fuftinere non potuit. Anno fequenti Barcinonem Galli recuperare fruftra tentaverunt; fed claffe Fœderatorum adventante omnem pœne Hifpaniam derelinquere neceffum habuerunt. Hoc facto Carolus Rex, neglectis Petroburgii con-

p 213. 215. 259. 261. 267. 273. 287. 311. 321. 329. 349. 371.

consiliis, Cæsaraugustam petiit, multum ibi temporis consumens, quo factum, ut Galli recentibus copiis collectis Mantuam Carpetanorum, in potestatem Caroli jam redactam, imperata facere denuo cogerent. Dum inter Judoniam Ramiliasque aperto marte decertarent Fœderati cum Gallis, inclinatam primo impetu aciem suorum restituere conabatur Marloburgius; sed inter consertos dimicans, equo excussus est, summo cum vitæ libertatisque periculo, nisi virtute Anglorum fuisset servatus. Cæsareus exercitus A. 1707 mittebatur, ut Regnum Neapolitanum armis vindicaret, qui dum agrum Romanum transit, multi ex Romanis pertæsi Regiminis Ecclesiastici Grimanium adeunt, ipsumque, ut in Festo Corporis Christi subita irruptione facta Romam caperet, Imperatori subjiciendam, hortantur, arma auxiliumq; conjuratorum polliciti. Verum non amabat proditores Grimanius, unde re detecta noxiisq; capite punitis, quies Romanis fuit restituta. A. 1710 prope Almenarium pugnam cum Fœderatis contulerat Philippus, sed cum Marchio Villadariæ ad locum opportunum occupandum cum equitibus longius paullum digressus latera nudaret, pedestris acies fuga salutem quærere cogebatur. Deinde Gallis haud procul Cæsaraugusta ad internecionem ferme cæsis, Stanhopius in ea persistit sententia, ut nec Catalauniam omnem recuperarent, nec Vallisoletum tenderent Fœderati, ad Gallos ab ingressu in Hispaniam excludendos, sed ut Mantuam Carpetanorum recto itinere peterent. At cum Galli novo exercitu coacto Hispaniam ingrederentur, atque finibus Extremaduræ milite obseptis prohibuissent Lusitanos cunctabundos, ne Carolo se jungerent, fructus victoriarum cito evanuit. Ceterum animadvertimus, quod sub initium hujus Tomi iniquior paullum in Cæsareos atque Protestantes fuerit Ill. Autor, quamvis in progressu operis sententiam mutasse videatur; præterea nomina locorum hominumve propria hinc inde corrupit: attamen leves istiusmodi errores exteris, Italis præsertim, fere familiares facile sunt condonandi.

(Marginal references: p. 437. 460. 582. 586. 588. 129. 134. 159. 341. 178. 211. 542.)

Prostant Supplem. Tomi VII Sectio VI & VII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno MDCCXX.

L'ANTIQUITE EXPLIQUEE ET REPRE-sentée en figures.

i. e.

ANTIQUITAS EXPLICATIONE & schematibus illustrata per Domnum BERNARDUM DE MONTFAUCON, Benedictinum Maurianum.

Tomi V Volumina X.

Parisiis, apud Florentinum de Laulne, & rel. 1719, fol. maj. Alph. 23 Tabb. æn. 963.

Antiquitatis studium esse longe vastissimum, fatentur omnes ii, qui in elegantissima doctrina non plane sunt hospites. Infinitæ veteris ævi reliquiæ productæ sunt in lucem, & perennitati restitutæ, postquam semel compertum est, tempus rerum edax non omnia illius ætatis monumenta invido dente contrivisse penitus & destruxisse, sed insignem illorum partem in magnæ Matris sinu abdidisse, futuras venientibus seculis epulas. Intercessere Viri docti & adhuc quotidie intercedunt; erutisque illis priscæ elegantiæ magnificentiæque fragmentis, & cum naufragii tabulis alterius generis, veteribus puta scriptoribus collatis, pomœrium eruditæ antiquitatis admodum proferunt. Ubertas hæc, &, quod hi thesauri casu non consilio nobis obveniant, maxima in multis obscuritas, nobilissima ingenia omni tempore exercuit, eamque scriptorum copiam produxit, & in posterum producet, ut mole tandem sua hæc etiam doctrinæ pars sit laboratura. Lau-

dem eximiam merentur Duumviri quondam celeberrimi Joannes Georgius Grævius, & Jacobus Gronovius, ut de crescente illo Ill. Salengri Thesauro nihil dicamus, quorum cura laudabili effectum est, ut scripta optima, quæ singula passim Bibliothecas ornaverant, in uno illoque pulcherrimo corpore junctim appareant. Lucro itaque ponendum est, quod libri illi aliquando rarissimi non amplius sint conquirendi: sed ex tot diversissimi argumenti voluminibus justam antiquitatis compagem eruere, hoc opus, hic labor est, quo ut harum literarum studiosi in posterum supersedere queant, aut saltim facilius eo defungi, sibi elaborandum esse duxit Reverendus Montfauconius, æternis meritis in bonas literas dudum illustris, ita tamen, ut ex omni antiquitate illa tantum seligat atque decerpat, quæ oculis usurpari & imaginibus ex residuæ antiquitatis penu depromtis illustrari poterant.

Anni sunt quinque fere & triginta, ex quo Noster a suæ congregationi Præfectis Patres Græcos edere jussus est, quam provinciam cum alacriter susciperet, statim ipse deprehendit, in iis etiam studiis absque profanæ eruditionis præsidiis nihil agi. Omnem itaque diem sic partitus est, ut partem Scripturæ S. & Patrum lectioni, partem antiquitatis cognitioni impenderet. A. 1698 iter Italicum suscepit, & exactis tribus in illa peregrinatione annis ditissimus antiquitatis in patriam reversus est. In ipsis etiam Galliis, quicquid ad tantum opus ornandum facere poterat, certatim contulere Viri cum Lutetiæ Parisiorum, tum in provinciis illustres & doctissimi, quos in præfatione ordine dilaudat & celebrat Reverendus Autor, magis autem nitidissimæ Tabulæ loquuntur, in quibus Illustrissimi Foucaltii, de antiquitatis studio immortaliter meriti, Abbatis Fauvelii, Abbatis de Fontenu, Charleti Abbatis Lingonensis, de Boze Academiæ Gallicæ Socii & Academiæ Inscriptionum humaniorumque literarum Secretarii, Moræi de Mautour humaniorum pariter literarum Academici, nomina frequentius leguntur. Inter Exteros Amicos in hac re expertus est Anglum, Fontanium literatissimum Equitem, Italos, Abbatem Fontaninum & Paulum Alexandrum Maffejum Equitem, & Hispanum, Emanuelem Martinum

Decanum

Decanum Alonensem. Ex suis studiorum comites & socios operis habuit Domnum Carolum de la Rue & Domnum Martinum Bouquetum, quorum ille editionem parat Origenis, hic Josephi, quas noster sperat publicis votis facturas satis: opera etiam usus est Domni Josephi Doussatii & consiliis Domni Vincentii Thuillerii Theologiæ Lectoris, quem acris & exculti ingenii Virum appellat. Hoc apparatu, his subsidiis instructus dedit Opus excellens, in quo doctrina insignis cum eximio nitore certare videtur.

Tomi sunt V, quorum unusquisque in duas Partes, hæ in libros & capita dispescuntur. Principium operis merito a Diis, quorum exercitus ingens, postquam nonnulla in Prolegomenis de origine Idololatriæ, quam hominum defunctorum cultui inprimis tribuit, de Deorum Græcorum Romanorumque numero, & quas sedes habitaverint, de diversis Deorum classibus apud Romanos, & quid de Deorum suorum natura censuerint veteres, disseruisset, longo ordine in scenam hic producitur, Libro I Cybele, Saturnus, Cœlus, Terra, Titanes, Oceanus, Prometheus, Janus, Lib. II Jupiter & fratres sororesque, Juno, Vesta, Neptunus, Pluto, Ceres, Lib. III Filii ejus filiæque, Vulcanus, Apollo, Mars, Mercurius, Minerva, Diana, Venus, Cupido: Partis II Lib. I Hercules, Bacchus, & Bacchici cœtus Dii, Lib. II Æsculapius, Dea Roma, Dioscuri, Fortuna, Penates, Lib. III dona muneraque cœlestia, & res malæ, perniciosæ, atque vitia virtutesque in Deorum numerum relatæ, Lib. IV Nox & Nocturni Dii, Mithras, Nympha, Panthea, & varia fabularum monstra.

Deos proxime excipit Deorum cultus Tomo II & partis equidem I Lib. I Sacerdotes & Ministri Sacrorum apud Græcos & Romanos, Lib. II Templa, Lib. III Aræ, Instrumenta sacra & Sacrificia, Lib. IV Festa, Supplicationes, Devotiones, Vota, Oracula, Fanatici, Sortilegi, Præstigiæ, omina; partis vero II Lib. I Religio Ægyptiorum, numina inprimis Ægyptiaca, quæ cum Græca & Romana antiquitate superent, & primum eo nomine locum in hac antiquitatis collectione sibi vindicaverint, immani tamen figura & horribili specie, qua se plerumque conspiciendos præbent, meruerunt, ut Senatu cultiorum Deorum moti ultimo

ultimo hoc loco in posterum cum barbaris numinibus Arabum, Æthiopum, Phœnicum, Syrorum, Persarum, Scytharum & Germanorum, L. IV explicatis, & Gallorum, Hispanorum, Carthaginensium, Lib. V in unum gregem coactis, stabulentur. II Liber mensam Isiacam & alia Ægyptiaca Lib. III Abraxeas figuras magno numero collectas complectitur.

Antiquorum supellex, & quicquid ad quotidianum vitæ usum pertinet, Tomum III occupat, in cujus Parte priore, Lib. I Vestes Græcorum & Romanorum, L. II fibulas & alia ornamenta, calceos, infantium puerorumque vestes, ceterarum denique gentium vestitus, Lib. III domos, earumque varias partes, supellectilem ædium, triclinia, mensam, & villas, Lib. IV vasa omnis generis, mensuras, assem & partes, monetas, pondera, L. V septem orbis miracula, ædificia publica, & mundi partium, regionum, fluminumque & urbium symbola; Parte altera Lib. I Balnea, thermas, connubia, annulos, sigilla, Lib. II Theatra & Amphitheatra, Lib. III Ludos magnos Græcorum, Circum, & Pompas, Lib. IV saltationem, naumachiam, venatum, piscatum, Lib. V Artium instrumenta exposita videre est.

Tomus IV rem bellicam complectitur, parte priore terrestrem, posteriore navalem. In illa Lib. I militum delectus, vestis militaris, arma peditum cujusvis nationis, Lib. II armatura & singulæ ejus partes, Lib. III equitatus omnium gentium, signa, & opera militaria, Lib. IV adlocutiones, exercituum profectiones & pugnæ, Lib. V castrametatio, obsidiones, machinæ bellicæ & obsidionales, Lib. VI tropæa, triumphi, coronæ, arcus triumphalas & columnæ; in hac Lib. I Viæ publicæ, pontes, res vehicularis & aquæductus, Lib. II Res Navalis, forma construendarum navium, & diversa earum forma, Lib. III Naves plurimis remorum ordinibus instructæ, vel immanis magnitudinis, Lib IV naves classicæ earumque apparatus & ornamenta, pugnæ navales & portus describuntur.

Superest ultimus Tomus novissima exhibens, Partis prioris Lib. I quicquid circa defunctos agebatur, antequam sepulcro inferebantur, Lib. II Hypogæa, columbaria, urnas cinerarias, Lib, III Sarcophagos, locorum pro sepultura mensuras, urnas lacry-

lacrymatorias, mausolea, Lib. IV Inferos, descensum animarum, Elysios campos, apotheoses; Partis posterioris Lib. I funera barbararum gentium, Lib. II lucernas veterum, Lib. III supplicia antiquorum. Quemlibet Tomum Index particularis, quintum universalis omnium quinque Tomorum claudit.

En Epitomen totius Antiquitatis Gallicam subjuncta versione Latina, succinctam quidem illam, sed doctam omnino & ad antiquorum mentem compositam, copiosissimis etiam & elegantissimis imaginibus illustratam ubique atque confirmatam. Tabulæ æneæ sunt circiter mille centum & viginti, si illas duplices, quæ duas integras paginas faciunt, pro duabus numeres: quas ut omnis generis κειμηλίοις ornet locupletetque Reverendus Autor, non modo in suam rem vertit, quicquid a celeberrimis Antiquariis omni tempore erutum atque evulgatum est, sed & ipse multa profert de suo, & ex Amicorum thesauris, quæ aut plane non in publicatis monumentis extitere, aut saltem non ea facie, qua nunc comparent. Ut hoc exemplis firmemus, Archigallum Illustriss. Foucaltii, Mercurium testudine instrumento musico, ex ejusdem nominis animalis duriori parte confecto, ornatum ex MSCtis Peirescianis, Basin Hispanicam, quam mox exhibituri sumus, Gallicorum Deorum festivam copiam, pavimentum templi Dianæ Mosaici operis in monte Aventino Romæ detectum, Gallorum vestimenta, classicam pugnam ex hortis Ducis Alcalæi Hispali eductam allegasse sufficiet. Ita autem in his figuris colligendis versatus est Clarissimus Autor, ut non omnes, quæ exstant, congesserit, illud enim infinitum foret, sed eas, quæ quadam a reliquis diversitate sese commendabant. In ipso opere multa habet brevissimis verbis explicata, aliquando uberius disserit, quotiens novam rem illustrat, aut cum aliorum sententia divortium facit. Passim talia observabunt diligentes excellentis operis Lectores, nos ut salivam moveamus, nonnulla pro instituti ratione delibamus.

T.I.P.I.p.14
T. I P. I p. 130.
T. II. P. II. p. 324.
T. II. P. II. p. 412.
T. II. P. I. p. 87.
T. III. P. I p. 83.
T. IV. P. II p. 289.

Publicavit Petrus Bellorius fragmenta vestigii veteris Romæ seu Ichnographiæ illius, quæ Septimii Severi tempore delineata fuit, ubi in primo quintæ Tabulæ fragmento hæ literæ exstant:

T. II P. I. p. 93.

I VACH
A

Interpretatus eſt eas Bellorius: *Lavachrum Agrippinæ*; ſed cum primæ literæ pars, quæ adhuc conſpicitur & perpendicularis eſt, A efficere nequeat, dicatur etiam *Lavacrum* non *Lavachrum*, & R ſequens, in eodem fragmento non appareat, mavult Noſter legere: CLVACINA vel CLVACNA, excidiſſeque putat C literam & τῆ L partem transverſam, I autem more admodum frequentato antiquis in priori lineola literæ N latere, H nempe loco N errore ſculptoris ſubſtituto; favet conjecturæ quod in templum quatuor graduum ſcalis aſcendebatur, quas in lapide illo una cum ara in medio poſita ſatis licet dignoſcere.

T. II. P. II. p. 270. Edidit Raphael Fabrettus Inſcript. p. 282 Lapidem ſepulcralem, quem ſibi, uxori, liberis, poſterisque poſuit Aulus Herenuulejus Hermes. In altero latere ſunt duo ſerpentes erecti, extrema cauda nixi, quorum alter ovum ore tenet, alter auferre nititur. Ex ſententia Fabretti illi ſerpentes diuturnitatem vitæ indicant, ovum fœcunditatem connubii denotat, quod utrumque ſibi, uxori, & liberis Hermes optabat. Monfauconius aliam explicationem lapidi tribuit, & ſecundum doctrinam Ægyptiorum duo principia, alterum bonum, alterum malum, ſub anguium ſpecie de ovorum maximo, Mundo, decertantia hic expreſſa eſſe exiſtimat.

p. 324. Jam de ſtylobate quadrato, Iſidis ſtatuæ olim juncto, cujus tria latera Anubis & Ibis, Oſiris & Apis, & hæc rariſſima inſcriptio ornant:

ISIDI. PVE - - - -
JVSSV. DEI. NE - - - - - - -
FABIA. L. F. FABIANA. AVIA
IN. HONOREM. AVITAE. NEP†S
PIISSIMAE. EX. ARG. P. CXIIS=Ӿ
ITEM. ORNAMENTA. IN. BASILIO. VNIO. ET. MARGARITA
N. VI. ZMARAGDI. DVO' CYLINDRI. N. VII. GEMMA. CAR

BVN-

BVNCLVS. GEMMA. HYACINTHVS. GEMMAE. CERAVNIAE
DVAE. INAVRIBVS. ZMARAGDI. DVO' MARGARITA. DVO'
IN. COLLO. QUADRIBACIVM. MARGARITIS. N. XXXVI.
ZMARAGDIS. N. XVIII. INCLVSVRIS. DVO'. IN. TIBIIS.
ZMARAGDI. DVO'. CYLINDRI. N. XI. IN. SMIALIIS. ZMARAG
DI. N. VIII. MARGARITA. N. VIII. IN. DIGITO. MINIMO ANVLI
DVO' GEMMIS. ADAMANT. DIGITO'. SEQUENTI. ANVLVS. PO
LYPSEPHVS. ZMARAGDIS. ET. MARGARITO. IN. DIGITO. SVMMO
ANVLVS. CVM. ZMARAGDO. IN. SOLEIS. CYLINDRI. N. VIII.

Iidem celeberrimus Montfauconius mallet PVErperam, sed spatium id non admittit; an Isidi PVEllæ? ipse de hoc adjectivo dubitat. Deum illum NE - - - - - putat NEptunum; Basilium eidem est corona. Quadribacium torques, quatuor fortasse *funiculis* distinctus, Smialia forte armillæ, quod ab his in ista ornatus recensione ad annulos digitorum perveniatur. Sed ipse Montfauconius hæc doctorum examini permittit.

p. 389.

Extitit marmor in Hortis Carpensibus, nunc in hortis Principum Justinianorum visitur prope S. Joannem Lateranensem, in quo Numina duo Palmyrena, & inscriptio Græco-Palmyrena, accuratissime hic a Montfauconio exhibita, conspiciuntur. Græca sunt sequentia: Αγλιβωλω και Μαλαχβηλω πατρωοις θεοις και το σιγνον αργυρου συν παντι κοσμω ανεθηκε Τιτος Αυρηλιος Ηλιοδωρος Αιτιωχου Αδριανος Παλμυρηνος εκ των ιδιων υπερ σωτηριας αυτου και της συμβιου και των τεκνων ετους Ζ Μ Φ μηνος Περιτιου. Malachbelus Nostro est Deus Lunus, Rex Astrorum & Dominus, quod cum alia ejus insignia, tum bicornis luna ad humeros utrinque prominens satis loquuntur. Aglibolus itaque, sive quod Nostro idem videtur Aglibelus, adolescens tunica indutus altera manu baculum aut volu-

volumen tenens, non alius est quam Sol, quem cum Fratre Luno Orientalium plurimi & inprimis Palmyreni coluere. Elegans est locus Herodiani, qui de Aureliano, *Magnificum*, inquit, *Templum Soli construxit, illudque pretiosis muneribus decoravit, quæ ex Palmyra attulerat : in hoc etiam Templo, Statuas posuit Solis & Beli.* Apposite sane. Sed an homo Palmyrenus, qui ante expressit Μαλαχβηλον, in Αγλιβηλω erravit? Quid sibi vult illud Αγλι βωλω vel βηλω junctum? demus id, Malachbelum esse Deum Lunum, an ex eo, quod juxta illum alia imago spectetur, hanc ipsam Solem tuto pronunciabimus? De Palmyrena inscriptione laboravit Samuel Petitus, frustra omnino & audacia Kircheriana.

p. 436. Druidæ sunt, alter quernis foliis coronatus & sceptriger, princeps forte Druidarum, cujus amplissimam potestatem Cæsar describit, alter sinistra lunam gerens, qualis est sexta die, qua visci ceremoniam celebrarunt, quos ex Anaglypho Augustodunensi in illius urbis Antiquitatibus exhibuit Auberius. Impressus est hujus operis Liber primus & secundi pars, sed cum Autor interea moreretur, omnia illa folia iterum dissipata sunt.

T. III P. I Lib. IV. Elegantissima est mensura ad Helvii Pertinacis tempora pertinens Foucaltiana. Inscriptio vetus talis est. IMP. CÆS. P. HELVI. PERTINACIS AUG. P. II. i. e. Imperatoris Cæsaris Publii Helvii Pertinacis Augusti Pondo duarum. Vas aqua replevit Montfauconius, quæ appensa fuit unciarum viginti & unius, duarumque drachmarum. Viginti quatuor unciarum pondus esse oportuit : sed causa minoris capacitatis partim in rubigine densissima, partim in eo quærendum est, quod uncia Romana Parisina fuerit levior.

T. III. P. I p. 163. Alio loco de ea quæstione disputat, an illi numi, qui in Ciméliarchiis asservantur, fuerint communis & promiscui usus. Audiamus celeberrimum Virum insignibus argumentis rem decidentem : Servatori nostro oblatum numisma census principis imagine fuit signatum, & apud Historiæ Augustæ scriptores Antoniniani, Aureliani, Philippei occurrunt, an sunt hi numi iidem, quos in Museis videmus? Negas. Quo vero tot illæ mone-

monetæ concessere? Ingens nummorum vis quotidie eruitur. Sedecim abhinc annis Meloduni modius fere eorum e terra eductus est, quorum partem non modicam Montfauconius inspexit. In Armorica centum millia uno loco eruta sunt. Cur tanta ejusmodi numorum fuit copia collecta? cur ab avaris sub terra condita? si nullus eorum publicus usus. Denique inter numos ita junctim erutos, alii sunt prorsus incolumes, alii minus integri, alii plane detriti, omnes autem rubigine illa veneranda antiquitatis nota sunt contecti; diversæ itaque fuere integritatis cum sub terra conderentur, quod cui alii caussæ, quam communi & quotidiano usui tribuendum sit, cum doctissimo Autore nostro ipsi non videmus.

Merentur ea legi, quæ Emanuel Martinus Decanus Alonensis in Epistola ad Felicem Zandodarium Archiepiscopum Damascenum & Pontificis Legatum ad Regem Catholicum de Theatro Saguntino commentatur, & quæ noster Autor de Theatro Alaunensi (*Vallogne en Normandie*) Illustr. Foucaltii cura & sumtibus e terra producto habet. In hoc singulare est, quod plus quam hemicyclum contineat; cum in reliquis linea, quæ Theatrum finit, soleat esse circuli diameter. Alaunensis diameter est CCIV pedum regiorum, linea vero, quæ Theatrum claudit pedum CXCII. Orchestra hemicyclum magis adhuc excedit: est enim diameter pedum LXXV, linea claudens LVII.

T. III P. II. p. 237.

p. 248.

Cum in Italia esset Noster, observavit, Viæ Appiæ & ceterarum firmitatem non ex magnitudine duritieque saxorum concinne junctorum duntaxat proficisci, sed ex struc etiam supposita; incidit ipse inter Velitras & Sermonetam in partem aliquam Viæ Appiæ, cujus stratum superius avulsum alioque exportatum fuerat, quo factum ut struis hujus rationem explorare licuerit. In ima parte impoliti lapides cæmento firmissimo coagmentantur: huic strato aliud superpositum est, glana, minuto lapide & cæmento constans, huic secundo imposita sunt saxa illa, quæ pavimentum superius constituunt, ita ut, si qua esset in saxis illis ab ima parte inæqualitas, ea in secundo strato adhuc molli imprimeretur, extima superficie semper

T. IV P. II. p. 179.

plana manente. Tota autem illa structura alta erat trium circiter pedum regiorum.

Unguem Tibi ostendimus, B. L. leonem facile agnosces. Opus, inquam, ingens æstimabis ex paucis illis, quæ, uti illa evolventibus obvenere, huc retulimus. De insigni utilitate rectissime ii judicabunt, qui hunc Antiquitatis Thesaurum ipsi consulent. Ordo est concinnus, & quæcunque in hoc ordine exhibentur, manu non parca collecta sunt. Iucundum non modo est, illam unius generis rerum diversitatem spectare, sed & illis, qui ex plurium inter se collatione novum aliquid eruere norunt, perquam utile. Displicebit nonnullis nimia in multis brevitas, alii veterum autorum loca majori copia allata esse præoptabunt, de unius alteriusve monumenti sinceritate & antiquitate dubitabunt alii, nec in suis explicationibus omnibus omnium Autor merebitur assensum, qui tamen nævi tam exiles sunt, ut totius corporis pulchritudini nihil officiant. Quod paucissimi probabunt, est, quod illas partes, quas natura generationi hominum inservire voluit, prava vero hominum cupido, ut ceu pudendæ velarentur, effecit, a sculptoribus contra antiquitatis fidem aut plane omitti, aut lacinia foliove contegi jusserit. At id, quod Reverendus Autor illibata castitate, cui se solenni voto obstrinxit, in aliorum operibus millies spectavit, alii eadem continentia in ipsis tabulis visuri erant; libidinosi homines, quos vel nuda illa pectora in opere sæpissime occurrentia movere possent, voluptatis causa non hos doctrinæ thesauros, sed Aretini picta flagitia evolvent. Nec sculptorum causa hoc factum dicas, quos ita consuetudo tenet sequendi rerum naturam, ut castum illud nostri Autoris præceptum aliquotiens violaverint. Interea mutilus est Priapus, & bona amuletorum, annulorum, lucernarum pars prorsus amplissimo isto opere exulat. Forte & multorum votis sese commoveri patietur doctissimus Vir, &, quæ ob obscœnitatem omissa sunt, supplementis inseret, quæ in tanta farragine necessaria esse ipse judicat, nec ab iis edendis se abhorrere profitetur, hac tamen lege, ut alia non exspectentur, quam quæ aliquid novi & in opere nondum memorati continent, vicissimque pollicetur,

num-

nunquam se esse permissurum, ut supplementa inserantur suis locis operi, quo fieret, ut primam nacti editionem emere tenerentur secundam.

Omisissemus pene, quos fines meliori antiquitati, & suo simul operi constituit Montfauconius; tempora nempe Theodosii Junioris Imperatoris, & ejus Columnam, Theodosii Avi, quem Magnum appellant, Victoriis onustam, qua nitori elegantiæque Romanæ colophonem imposuisse videtur. Irrupere inde catervatim Gentes ex Septentrione prodeuntes, & artium, quæ pacem ornant, prorsus rudes ignarique barbariem Imperio Romano intulere; quamvis omnino fatendum sit, illas & posteras non modo res humano generi utilissimas, molendina aqua ventisque mobilia, perspicilia, telescopiaque, pyxidem nauticam, fenestras vitreas, stapedes, item typographiam & alia plurima antiquis prorsus ignorata invenisse, sed etiam ad suam quandam elegantiam atque magnificentiam successu temporis pervenisse. Operæ pretium foret, si quis illa omnia, aut saltim quælibet gens sibi propria ad restauratarum usque literarum ævum colligeret, ea ratione, quam affert & delineat ipse Montfauconius in sui operis præfatione. Rogaremus doctissimum Monachum, ut tantæ moli ipse suos humeros subjiceret, si id post ingentia in bonas literas merita, infinitosque exantlatos labores, verecundia salva a nobis fieret; non possumus tamen intermittere quin Montfauconium, qui suos reliquis rectius novit, publice hortemur, ut suæ Congregationis Viros doctos permoveat, ut laborem illum in se suscipere dignentur.

EPISTOLA AD VIRUM ILLUSTREM DE Sigilliferi per Thuringiam titulo, quem arrogavit sibi Christophorus Ignatius de Gudenus.

Miraris merito, Vir Illustris, novitatem tituli, quo compellari apud Erfurtenses gestit Christophorus Ignatius de Gudenus, qui in variis Programmatibus, quæ in Doctorum promotionibus publicari illic solent, *Emin. & Celsiss. Princ. El.*

Mog. per Thuringiam in spiritualibus Sigilliferum se dixisse deprehenditur. Enimvero tolerandus forte fuerat, si Erfurtensis Sigilliferi titulo uti tantum voluisset; nunc cum se sigilliferum per Thuringiam, scil. universam, jactet, utique res ea longius spectare, nec nullo præjudicio esse videtur Juribus Saxonicis. Habuere certè & olim Archiepiscopi Moguntini Sigilliferos suos Erfurti, quod patet ex bulla Pii II Pontificis maximi a. 1462 VI. Kal. Septemb. confecta, *quod in oppido Erfurtensi Moguntinensis diœceseos eo tempore fuerit quædam domus, sive quoddam allodium, ubi provisor, SIGILLIFER, & ceteri archiofficiales Archiepiscopatus Moguntini, vice & nomine Archiepiscopi Moguntini pro tempore existentis curiam Archiepiscopalem tenere consueverint.* Observavimus etiam A. 1647 VicecancellariumUniversitatis Erfurtensis,Urbanum Hein,Electoris Moguntini Sigilliferum se appellasse, haud additis tamen verbis: per Thuringiam. Atque id impune fieri poterat, nec erat ut quisquam eo titulo offenderetur. At novus ille Cl. Gudeni titulus minime ferendus.nam etsi is forte nulla Principis sui autoritate verba illa *per Thuringiam* intulit suis titulis, pluribus tamen exemplis jam patuit, levibus primum argumentis patientiam Protestantium tentare Pontificios, inde vero paulatim majores animos sumere. Et constat, quantopere alibi laborent Moguntini, ut jus diœceseos etiam in Protestantes extendant, quod experti sunt haud ita pridem Wærrstætenses, Ober-Sanlheimenses & Eichlachenses ad Rhenum. Quamobrem etsi multo me rectius intelligas, Vir illustris, quæ ad Sigilliferatus illius titulum moneri vel possint vel debeant, quoniam tamen ita jubes, id potissimum nunc ostendam breviter, neque Moguntino supremum unquam jus in Thuringiam competiisse, & ne diœcesanum quidem jus in eam amplius superesse.

Non morabimur nunc S. Bonifacium, cui jam olim in oppidum Erfurtense, partemque adeo Thuringiæ, imperium tribuere ausi sunt quidam Moguntinæ causæ propugnatores. Neque enim quenquam hodie futurum arbitramur, quem non suppudeat fabularum. *Conf. Sagittarii Antiqu. Gent. & Christ. Thur. l. III c. XII §. 12.*

Verum ad Wilhelmum Ottonis M. ex pellice filium juris

sui

ſui originem referre malunt Moguntini. Hunc enim ejusque ſucceſſores usque ad Conradi II Imperatoris tempora, tanquam Thuringiæ dominos nobis ſiſtit autor hiſtoriæ Landgraviorum *cap. X ap. Piſtorium p. 766. Otto*, inquit, *filius Henrici Ducis Saxoniæ & Thuringiæ, ac Imperatoris, poſt mortem patris etiam factus Imperator, civitatem Magdeburgenſem, & eccleſiam Cathedralem fundavit, & Wilhelmum filium ſuum Archiepiſcopum Moguntinum fecit. Quo facto Wilhelmus Archiepiſcopus XIV Thuringiam intravit, & in Erphordia multos nobiles pro defenſione terræ locavit, quibus multa bona in Thuringia largitus eſt. Wilhelmo defuncto ſucceſſit Rupertus: poſt quem Willuſus: poſt quem Erckembaldus, antea Abbas Fuldenſis: poſt quem Erbo: poſt quem Bardo, antea Abbas Hersveldenſis. Hi Archiepiſcopi ſucceſſive rexerant Thuringiam & Haſſiam annis fere LXX usque ad Conradum II Imperatorem.* Sequitur hunc, nec tamen ſatis ſibi conſtat, Paulus Langius in Chr. Zitizenſi, *ap. eund. Piſtor. p. 765: Hic eſt Wilhelmus ille, cui pater Otto poſt mortem Ducis Burgardi, qui ab Hungaris interfectus ſine liberis obierat, dedit totam Thuringiam & Haſſiam, cum pleno jure & dominio, ad honorem Dei & S. Martini, Moguntinenſis eccleſiæ Patroni.* Sed ipſe convictus, quam parum idoneis argumentis niteretur, mox addit: *Hoc mihi videtur verum quantum ad jurisdictionem ſpiritualem, & fortaſſis etiam ad aliquanta temporalia bona.* Utrumque Scriptorem Fabricius, Chytræus, Lehmannus, aliique recentiores incaute compilarunt.

Moguntinis autem mire placuit ea autoritas, cum civitati Erfurtenſi imminentes jus ſuum ſcriptis A. 1646 defenderent. *Vid. Summariſcher Bericht &c. ap. Lundorp. T. VI. Act. Publ. c. XL p. 97.* Non puduit eos tum aſſerere, Archiepiſcopos ſuos a Wilhelmi tempore omnem Thuring. ſupremo jure tenuiſſe, & per Vicedominos, quos vocant, rexiſſe, idq; officium tandem ad Ludovicum Barbatum perveniſſe, ac Landgraviatus dignitate exornatum fuiſſe. Ita ſubito Landgravii, potentiſſimi Principes, & haud dubie ſoli Imperio obnoxii, in ſatellites D. Martini, & officiales Archiepiſcopi Moguntini mutantur. Quamvis autem tum temporis Erfurtenſes vanitatem aſſerti ſatis demonſtraſ-

 ſent,

ſent, *Vid. Gegenbericht daſs hochgedachtes Ertzſtift Mäyntz, &c. ap. Lund. l. c. c. 41 p. 79*, tanti tamen viſa ſunt ſuavia hæc monachorum quorundam commenta, ut colorem inde cauſæ ſuæ peteret Elector Johannes Philippus, cum jam feralia in urbem arma pararet. *Vid. Aſſertio Juris Moguntini &c. ap. Lundorpium T. IX l. X c. 4 p. 63 ſeqv.* Quem licet tum facile diluerunt Saxonicæ protectionis aſſertores, non erit tamen ab hoc loco alienum ſi fabulam totam accurate diſcuſſerim.

Etiamſi tabulas donationis hujus non poſtulemus, etiamſi ſilentium ſcriptorum coævorum, & qui eos proxime inſecuti ſunt, Videchindi, Hroſvitæ, Ditmari, continuatoris Rheginonis, Hermanni Contracti, veterumque chronicorum Moguntinorum, imo ipſius Serrarii, rem, cujus nulla repererat veſtigia, memorare non audentis, minime urgeamus, res ipſa loquitur, alios Thuringiæ Principes fuiſſe ſoli Imperio perpetuo ſubjectos.

Quid de Eckardo ſtatuent Moguntini? quem Thuringiæ Principem non Præſulis Moguntini autoritate, ſed ſub auſpicio Imperatoris, a proceribus provinciæ conſtitutum, Ditmarus nobis coævus ſcriptor memorat. *Ekkihardus*, inquit, (*in Leibnitii ſcript. R. Brunſuic. T. I. p. 366. conf. Sagittarii exercit. de Eckardo, Jenæ 1675 habita.*) *Vir domi militiæque laudabilis, - - - - ſuper omnem Thuringiam communi totius populi electione Ducatum promeruit.* Quid de Wilhelmo? qui ex Vinarienſium Comitum domo ortus poſt Eckardum principatum tenuit, *concilioque procerum, Henricum II Imperatorem agnoſcentium, præfuit*, prout idem Ditmarus autor eſt: poſtquam enim Henrici in Thuringiam adventum narraſſet, ſubdit ſtatim: *l. c. p. 368: ibi Wilhelmus Thuringorum tunc potentiſſimus obviam pergens, Dominumque venientem cum magna gratulatione ſuſcipiens, miles Regis efficitur. Ibi tunc Rex a præfato Comite, & a primis illius regionis collaudatur in Dominum.*

Landgravii etiam Principes Imperii immediati ſemper fuerunt. Sic Ludovicum generum ſuum Lotharius Imperator Hermanno Vinceburgio in Landgraviatu ſuffecit, Principemque appellavit, quod ipſe hiſtoriæ Landgraviorum autor annotavit, *cap. XVIII. Imperator*, inquit, *videns Ludovicum generum*

rum suum esse militem strenuum, & potentem in Thuringia, & Hassia, de consilio principum ipsum cum vexillorum festiva exhibitione, ut moris est, Imperatoria largitione solenniter extulit, & cum magno praeconio, ei nomen Principis imposuit, & Landgravium Thuringiæ ab omnibus appellari fecit. Vellem sane illos, qui etiam ultra Pauli Langii figmenta temeritate progressi sunt, vel unum allegassent actum, ex quo Episcoporum aliquod in Landgraviatum jus adstruere potuissent.

Occasionem fabulæ inde natam putat Vir doctus, (*Pfeffingerus ad Vitriar. Jus publ. l. I tit. 16 p. 218,*) quod in diplomatibus Ottonis magni mentio fiat comitatus Wilhelmi cujusdam in Thuringia, quem Wilhelmum Moguntini cum Archiepiscopo suo confuderint. Sed vereor ut antiquas literas multum tractaverint autores isti. In errorem potius eos induxisse videtur, quod ab antiquissimis temporibus ecclesiam Moguntinam prædia quædam in Thuringia habuisse reperirent, quæ forte liberalitati Ottonis fama & traditio posterorum attribuerat. Certe Otto Marchio Thuringiæ, cum fratri Wilhelmo in principatu A. 1062 succederet, in feuda, quæ is a Moguntino tenuerat, non prius admissus est, quam si de reliquis quoque prædiis suis decimas se soluturum promitteret. *Vid. Lambertus Schafnaburg. ad h. a. p. 166.* Et fuerit quoque Ludovicus Barbatus ecclesiæ Moguntinæ in quibusdam terris Vice-dominus, si tantum fidei tribuere Paulo Langio *in Chron. Citiz. p. 771* volumus. Sed diversa ab eo officio Landgravii dignitas, ad quam posteri ejus ab Imperatore evecti sunt, diversum in amplissima patrimonia jus, quæ præter feuda Imperii acquisiverunt.

Ex his perspicuum satis est, Electori Moguntino neque hodie superesse, neque olim fuisse jus aliquod supremum in universam Thuringiam, cujus prætextu ministris ipsius jactare illud nomen in munerum suorum titulis liceat. Ostendendum nunc, neque ex dioecesano jure id fieri posse. Equidem quantum ad jurisdictionem ecclesiasticam attinet, omnino aliqua Thuringiæ pars Archi-Episcopo Moguntino immediate subjecta fuit, cum Episcopatus a D. Bonifacio Erfurti conditus mox intercidisset. *Conf. Sagitt. in Antiqu. Duc. Thuring. L. IV c. 22 §. 1 & in Anti-*

Antiquit. Gentilism. & Christian. Thur. L. III c. 12. Quod vero non omnem Thuringiam illi subjiciamus, inter alia Numburgensis ecclesiæ rationes prohibent, cui orientalis provinciæ illius pars attributa fuit.

Ipsa illa jurisdictio ecclesiastica admodum limitata fuit, neque unquam aut proceres Thuringi, aut Landgravii imponi sibi jugum religionis prætextu passi sunt. Quam ægre tulerunt, cum primum Ottoni Marchioni, ex avitis prædiis suis, decimas extorqueret Archiepiscopus? quam se fortiter opposuerunt cum reliqui dynastæ, tum abbates Hirschfeldensis & Fuldensis, cum ab universa provincia illud tributi exigere auderet, ipso Henrico IV frustra pro eo nitente, qui hac mercede se redimere dimittendæ uxoris facultatem posse speraverat? Quæ omnia prolixe exponit cordatus illorum temporum scriptor, Lambertus Schafnaburgensis. Et cum A. 1444 Archiepiscopus a Clero subsidium charitativum postularet, consensus primum Wilhelmi Ducis obtinendus fuit. Eat nunc aliquis & Archiepiscopis supremum in Thuringiam jus asserat, ac Landgravios ad Vicedominorum conditionem dejiciat, quibus insciis illi ne clero quidem imperare pecuniam potuerunt.

Ceterum illud ipsum diœcesanum jus in territoria Principum Saxonicorum, ex quo illi instauratis sacris, vi summæ potestatis civilis, etiam ecclesiastica regunt, sublatum est. Ita jam A. 1551 cum Archiepiscopus synodum provincialem Erfurti instituisset, pastores quoque Evangelicos Gotha, Isenaco, aliisque ex locis eo evocasset, nemo illorum comparuit. *vid. Paulini Annal. Isen. p. 151.* Ac in pace Religiosa §. Damit auch ebberührte, &c. jurisdictio ecclesiastica in Evangelicos suspensa fuit.

Neque ita suspensa, ceu cavillati sunt Dillingenses, ut quavis commode ferente occasione repeti possit, sed donec controversiæ religionis consensu partium amice compositæ fuerint: quem nunc quidem omnium minime sperare licet, ex quo per Tridentinæ synodi decreta omnem conciliationis cogitationem Romana curia evertit. Equidem Catholici, cum in Comitiis Augustanis 1559 tum in deliberationibus de pace Westphalica omnes exhausere artes, ut hanc legis vim enervarent,

ret. *Conf. Meditat. ad Instrum. Pacis art. V §. 48.* Sed nihilominus in Westphalica pace repetita est, & clarius exposita, ita ut jam jurisdictio ecclesiastica ultra territorium Episcoporum non extendatur, nisi in causis ad reditus, census, decimas, & pensiones spectantibus, si Catholici A. 1624 notorie in possessione vel quasi ejusmodi jurisdictionis fuerint. Imo ipsi Catholicorum subditi Augustanæ Confessioni addicti, tum demum jurisdictionem hanc agnoscunt, si eodem A. 1624 eam iisdem in casibus admiserint, & ea demum conditione, ne ipsis ratione processus injungatur aliquid, Augustanæ Confessioni, vel conscientiæ repugnans.

Hæc sunt, Vir illustris, quæ quantum res patitur, breviter admodum & succincte de novo Sigilliferi per Thuringiam titulo ad Te dare volui: neque enim librum vel volumen integrum, sed Epistolam me scribere memineram, in qua momenta præcipua vel summo digito tetigisse satis erat. Poteram de Sigilliferi munere prolixius commentari; at de eo malui silere, quod ad Te potissimum scriberem, cui hæc omnia sunt perspectissima: poteram testimoniorum plaustra colligere ac centies apposita recoquere; verum id relinquendum iis censebam, qui majori otio abundant & adversæ partis mores imitantes sententiæ suæ colorem inducere, quam veritatem nudam atque infucatam sequi malunt. Vale. Dab. Lipsiæ d. 11 April. 1720.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK, JC. ET Senatoris, opusculum de Rebus Mancipi & nec mancipi.

Lugduni Batavorum, ap. Joan. van der Linden, Junior. 1719, 4. Plag. 5.

PUlcherrimum atque sublime hoc de rebus mancipi & nec mancipi argumentum antiquæ Jurisprudentiæ, ignorantia vetusti illius juris & ævi obscurum plane effecit atque difficile. Et sunt tamen in ipso Jure Romano, quo hodie utimur, innumera adhuc capita, de quorum sententia desperandum esset, si fuisset absque reliquiis Juris prisci, & subsidiis veterum

JCtorum, quin & hac rerum mancipi & nec mancipi scientia. Ex ipsis itaque tenebris quæsivit hic lucem Vir illustris, & e cineribus hujus dudum sepultæ Jurisprudentiæ eruere voluit fontes aquæ, non amplius turbidæ, sed omnino limpidæ, ad ostendendum intellectum istorum locorum, quæ sine ope hujus scientiæ explicari in Pandectis non possunt. Faciuntque fragmenta Gaji, Pauli, & Ulpiani, tum aliorum quorundam Autorum testimonia, utramque hic paginam, & undiquaque contrahuntur copiæ, ut illustretur simul dominium veterum Quiritarium & Bonitarium. Incipit Vir illustris a definitione Ulpiani Tit. XIX §. 3, quod mancipatio sit propria species alienationis & rerum mancipi, neque delendum censet hic *&*; nam intercedit *est*, quod sententiam suspendit. Mancipatio illa dicebatur etiam traditio nexu: ut idem Ciceroni sit, mancipare & nexu tradere. Uberius solennitatem hanc describi apud Boethium ad Topica Ciceronis, ibique pleniorem Gaji quam Ulpiani locum recitari, qui in ipsis Caji Institutionibus hodie non extet. Videri autem Petrum Jacobum de Ravani, qui non iisdem verbis cum Boethio hic utitur, habuisse Cajum integriorem, quam vel Boethius habuerit, vel nos etiamnum habemus. Profitetur enim, se verba illa Caji vidisse in libro Institutionum Caji, neque causam afferri posse, cur fucum nobis splendide mendax fecisset. Rem ipsam in hunc modum proponere Ulpianum Tit. XIX §. 1: *Omnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi.* Non adjicere hic eum utriusque generis descriptionem, quæve ratio diviserit res mancipi & nec mancipi: neque quenquam alium: sed ad exempla mox properare Ulpianum, qui Veterum JCtorum sæpe mos sit. Nostro igitur, exempla ista aliaque, quæ in veteri memoria supersunt, excutienti, non alia fere distinctionis ratio occurrebat, quam ea quæ sumitur ab insigniori ac pretiosiori patrimonio Romanorum. Res mancipi fuisse, quæ nobilissimam divitiarum partem constituebant; quales erant fundi, servi, pecudes, & id genus alia. Plus ergo curæ & sollicitudinis fuisse adhibendum in transferendo rerum pretiosiorum Dominio, quam viliorum, quæ nec mancipi erant. Nec tamen ideo omnes res pretiosas esse mancipi;

c. 1.

c. 2.

cui

etsi omnes res mancipi sint pretiosæ. Margaritas si idoneus testis mancipi vocaverit, adnumerari rebus illis posse; in aliis omnibus ait se sequi regulam Ulpiani : *ceteræ res nec mancipi sunt.* Antecedit autem de immobilibus : *Mancipi res sunt prædia in Italico solo*, aut jure Latii donata, & adeo Italicensia; nam immobilia majoris pretii, quam alia quæcunque. Porro: *Tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus. Item jura prædiorum rusticorum.* Præponi rustica, quia de illis minus dubitare liceat, quam de urbanis. Veterum enim divitiæ in prædiis rusticis potissimum consistebant. Urbanorum prædiorum materiam, lapidem, lignum, ferrum, per se esse nec mancipi in disjunctis. Conjuncta tamen in ædificiis & imposita fundo Italico vel Italicensi, cedere solo, & solo jure soli haberi mancipi, utpote per inædificationem factæ res immobiles & pars fundi, quod Ciceronis verbis illustratur. Pergit Ulpianus, *item servi, & quadrupedes, quæ dorso collove domantur. Ceteræ res nec mancipi sunt.* Ergo tam immobilia quam mobilia, quæ non enumeravit, excluduntur : quia rerum se moventium tantum aliquot species expressit. Sed promiscuam esse significationem moventium & mobilium, *L. 93 D. de V. S.* Et non negat Noster, quasdam res, proprie mobiles, revera fuisse mancipi : infra enim ait Ulpianus §. 6 : *res mobiles non nisi præsentes mancipari posse, & non plures, quam quæ manu capi possunt.* De margaritis certe vix dubitandum, postquam earum usus Romæ invaluit. Sed illarum non meminisse Ulpianum ; quia nec prisci juris Autores id fecerint, cum bello demum Jugurthino nomen unionum percrebuisse, Plinius memoret. Cl. Schultingium tamen sequi verba Ulpiani, & neque margaritas nec alias quascunque res admittere, quæ non sint in Ulpiani Catalogo. Plinium margaritis mancipatum tribuere ; quod posteriori tempore admissa fuerit mancipatio etiam rerum, quæ sui natura non erant mancipi. Neminem tamen, ait Noster, probasse nec probaturum, rem nec mancipi unquam fuisse mancipio datam vel acceptam. Inter ea, quæ se ipsa movent, familiam ducere *servos* sive mancipia, quorum numero & præstantia veterum opes definiebantur.

c. 4.

c. 5.

 Adeo

Adeo autem servi erant res mancipi, earumque potissima species, ut sub his nonnunquam ceteræ res mancipi intelligerentur. Ita in *L. un. C. de nud. jure Quirit. toll.* servum opponi ceteris rebus nec mancipi. Et Ulpianum *Fragm. Tit. XI* opponere rebus nec mancipi mancipia, i. e. res mancipi. Forte & a *mancipiis*, ut a præcipua specie, dici *res mancipi*, & forte hinc esse ipsas locutiones, *mancipio dare & accipere*, & *lex mancipiorum*, apud Varronem & Ciceronem: & simpliciter *mancipium*, pro lege rerum mancipi. Secundam speciem eorum quæ se movent, & res mancipi sunt, *quadrupedes* constituunt. Pretiosiora enim animalia, quæ fera non essent, & insuper insignem sui usum præbebant, apud Romanos erant res mancipi. Non sufficiebat ergo, ut animalia dominio nostro possent subjici, sed ut domino suo ita essent utilia, ut ex numero illorum dives censeri possit. Veteres JCtos, cum ex arte loquuntur & proprie, omnia animalia distinguere in quadrupedes, pecudes, & bestias. *Quadrupedes* describit, *quæ collo dorsove domantur*, i. e. quæ sarcinas vehunt, trahunt, atque ita ministerio colli dorsive subiguntur, & dominio haberi possunt: quales sunt boves & equi tractorii, muli Carrucarii, asini, onera dorso portantes, vel alia *νωτοφόρα*, *dorsuaria*, Scholiastæ Basilicorum dicta. Ab his Ulpianus excipit *Elephantos* & *Camelos*; quia quamvis collo dorsove domentur, tamen *bestiarum* adhuc ferarum, numero sunt, adeoque nec mancipi. Tales Gajo, ursi, leones, pantheræ, quæ in dominio non sunt. *L. 2 §. 2 D. ad L. Aquil.* & si possent dominio haberi, operi faciundo non sunt aptæ. Primos hujus juris conditores etiam Elephantos & Camelos ideo excepisse opinatur Noster, quod hæc animalia nec viderant nec usu frequentaverant. Elephantos primum visos bello Pyrrhi, eosque appellasse *boves Lucas*. Similiter Camelos non nisi posterioribus temporibus ex Oriente advectos. Postea etiam apud Romanos adhibitos operi, & jumentorum operam præstitisse: sed quia earum natura censebatur fera, certe mixta, Gajo *d. L. 2 §. 2* adhuc esse res nec mancipi. Nam ut mancipi fierent, lege nova fuisset opus. *Pecudes* propria significatione sunt oves & capræ, quæ lanam ferunt. Ideoque quadrupe-

c. 6 & 7.

drupedem a pecude distinxisse Aquilium primo legis capite *L. 2 pr. d. t.* Dubitabat hic Noster, essentne pecudes res mancipi, nec ne? res sane pecuaria primigenia complectebatur hos minorum pecudum greges, qui longe præstarent multis asinis, & quæstum haberent uberiorem. Nam apud antiquos opes & patrimonia ex his præcipue constabant. Obstat tamen, inquit, aperta Ulpiani autoritas, qui *ceteras res*, quas non enumeraverat, dixit esse *nec mancipi*. Ovium enim aliarumque pecudum non potuisse eum esse oblitum: neque de his dici posse, sero demum usu invaluisse. Varronem etiam videri sensisse idem Lib. 2 de R.R. c. 2. Sed plus urgere Ulpianum: & plus in his, quæ juris constituti sunt, valere autoritatem quam rationem; quæ & ipsa aliquando nos fugiat. Isidorum quidem diserte, ***mancipium est, quicquid manu capi subdique potest, ut homo, equus, ovis; hæc enim animalia statim ut nata sunt, mancipium esse putantur***. Lib. IX. Orig. c. 4. Sed Isidorum tanti non esse, ut ejus testimonio stetur. Ac forte ibi legendum *bovis*, *boveis* vel *boves*. Quum omnia, quæ in dominium cadunt, sint vel immobilia, vel mobilia, vel incorporalia, & inter res incorporales primum locum obtineat familia sive hereditas, transmisisse quidem eam silentio Ulpianum Tit. 19, sed mancipi tamen eam censendam, ex eo ait liquide constare, quod manciparetur emtori familiæ per æs & libram. *§. 1. I de testam. ordin.* illius autem solennitatis testamentariæ, & emtoris familiæ, meminisse ipsum etiam Ulpianum Tit. XX. §. 8. Deinde Tit. XIX §. 1 ***jura prædiorum rusticorum*** esse res mancipi. Urbanorum igitur jura αὐτὶ διαστολῆς, nec mancipi. Et hoc ipsum esse quod addit, ***velut via, iter, actus, & aquæductus. Ceteræ res nec mancipi sunt.*** Locum notabilem Ciceronis *Lib. I de Orator. c. 178, 179* mentionem equidem facere servitutis urbanæ, quodque de ea in mancipio ædium expressum sit, sed tanquam conditionis ac legis mancipati ædificii. Conventionem igitur tabulis mancipationis insertam de servitutibus urbanis, non efficere, ut ipsæ illæ sint res mancipi. Fac enim convenisse, ut supellex, ut ruta cæsa sequantur ædes mancipio acceptas, non ideo supellex & ruta cæsa continuo erunt res mancipi. Difficile tamen dictu;

c. 8.

quare urbanæ istæ, quæ æque inhærent prædiis ceu qualitates & jura illorum, non fuerint similiter mancipi. Præter Cl. Schultingium neminem vidit Vir illustris, qui rationem differentiæ vel ullam dixerit. Ab eo autem hæc affertur, sed cum aliqua tamen incertitudine animi, quod rusticæ fuerint servitutes soli, urbanæ vero superficiei. Sic enim Paulus, *L. 3 D. de servit. alia in solo, alia in superficie consistunt*. Hic phrasin JCtorum agnoscit Noster equidem; nec tamen audet affirmare, Paulum in causa præsenti urbanas a rusticis ea ratione distinxisse. A Cujacio eo nomine notatum Accursium ad *Lib. XXI Pauli ad Edict.* Sed & si quid valeret phrasis ista in rem præsentem, hujus rursus rationem tamen desiderat Noster. Potius dicendum, servitutes etiam rusticas mancipi fuisse jure tantum accessionis, & quia prædia rustica ipsa essent per se res mancipi. Prædia vero urbana sive ædes, sive alia quælibet ædificia, quia per se non fiut mancipi, sed jure accessionis ad fundum, ceu dictum c. 3, non posse jus illud accessionis suæ iterum tribuere servitutibus suis. Accessionis non esse novam acessionem, manente eodem jure. Prædia quidem urbana a fundo mutuari jus mancipi, sed cum servitutibus suis ut rursus id communicarent, non videri placuisse. Aut hæc est, inquit, ratio distinctionis, aut quæ sit, se nescire. Dixerat Ulpianus *mancipi res sunt prædia in Italico solo*: nam prædia occupatæ Provinciæ, quamdiu talia, cedebant dominio populi Romani directo & supremo, possessio autem plenissima cum usufructu sub annua præstatione relinquebatur provincialibus, vel ipsis etiam concedebatur sæpe Romanis. Non habebant Jus Quiritarium, sed Bonitarium & minus plenum. Ex Jure Quiritium possidens, habebat dominium civile & optimum, alter naturale tantum, minus integrum & perfectum. Singulari prudentia enim ita temperasse dicuntur autores Reipublicæ Romanæ duritiem juris Belli, ut stipendia & tributa solverentur tanquam merces agri non sui, & tamen sui, sed alia atque alia ratione. Duplex igitur erat quoque alienatio & translatio dominii; vere Romani una in rebus mancipi, altera Provincialis tantum & nec mancipi. Ibi fiebat per solennem & formulariam traditionem nexu, vel etiam per in

c. 9.

jure

jure cessionem, hic per nudam traditionem, sine solenni illa & formularia. Qua occasione illustratur *§. 40 J. de R. D.* Nam *alienatio* ibi usurpatur in sensu adhuc antiquo & famoso, & cum illo effectu, quem olim habuit apud Ciceronem: *abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu*, per æs & libram scilicet, *aut cessio in jure, inter quos ea jure civili fieri possunt; in Topic.* Pertinet ad laudem Claudii Salmasii observatio, quæ hic inseritur: evicisse illum, in mutuo alienari quidem res mobiles, non tamen ut res mancipi, sed nec mancipi. Nunc redit Noster ad verba Ulpiani de mobilibus Tit. XIX §. 6: *res mobiles non nisi præsentes mancipari possunt, & non plures, quam quæ manu capi possunt.* Quæ ergo poterant manu capi & apprehendi, de iis nullum superesse dubium. Servos etiam fuisse ad Prætorem deductos; non quod libripens hominem libræ imposuerit, sed quod forte digito tetigerit. Si boves, muli, equi, asini in rem præsentem venissent similiter, plus, inquit Noster, offendissent Prætorem quam olim Afrania. Ne ergo res ad deridiculum vergat, ita hæc esse interpretanda, ut antequam ad Prætorem iretur, digito potuerint monstrari, de quibus ageretur: forte & symbolum successisse loco rei. Lux etiam infertur Ulpiano, *Fragm. T. I §. 16*, si servus traditus quidem emtori sit neque tamen ei mancipatus, neque in jure cessus, neque ab ipso anno possessus sit, eum servum, donec horum quid fiat, in bonis quidem emptoris esse, cum causa usucapiendi; ex jure Quiritium autem interim esse venditoris. Tum vero affunditur etiam lux *L. 3 D. de diversf. temporal. præscript.* De prædiis Italicis loqui Modestinum: quæ cum anno vel biennio usucaperentur, locus longæ possessionis præscriptioni esse non videbatur, saltem ævo Modestini, sive jure Pandectarum. Cujacium ad *Lib. VI different. Modestini*, ex quo est d. l. 3 transmittere eam sine explicatione. Nec quenquam vidisse Nostrum, qui qualem qualem opem tulisset. Ait ergo, etiam olim longæ possessionis præscriptionem valuisse in his rebus, quæ ob defectum vel juris, vel personæ usucapi non poterant, tam immobilibus quam mobilibus. Si enim procederet usucapio, frustra laborabatur de præscriptione. Si non procederet, aderant

c. 10.

Con-

Conſtitutiones Principum, qui JCtis priores vel æquales eſſent. Ac forte originem ejus rei eſſe ab Antonino, cujus reſcripta laudantur *in L. 9.* Marciani, *d. t.* ut & in rebus mobilibus locus ſit præſcriptioni diutinæ poſſeſſionis. Paſſim equidem pro *rebus mobilibus* ſcribi, *rebus ſoli.* Sed Modeſtinum in d. L. 3 idem dicere de mancipiis, re mobili, vel ſe movente. Cur non, addit Noſter, accuſant Tribonianum, quod in L. 9 eraſerit *mancipi* vocem, ſubſtituta voce, *mobilibus?* uti eraſerit ex omnibus fragmentis JCtorum, quæ in Pandectis ſuperſunt. Sed nihil horum neceſſe eſſe. Ceterum quæ hujus quoque opuſculi occaſione ad nos perſcripſit Celeb. Wæchtlerus, Supplem. Tom. VII Sect. VII p. 394 ſeq. inſerta ſunt.

Schleſiſcher Curioſitäten erſte Vorſtellung ꝛc.

h. e.

CURIOSITATUM SILESIACARUM Specimen Primum, in quo Præcipuarum Nobilitatis Sileſiacæ Familiarum Origo, Inſignia, Genealogiæ, Heroes Equiteſque clariores, Domus genethliacæ, & Poſſeſſiones, e variis Documentorum latebris congeſta, exhibentur, Autore JOH SINAPIO, Gymnaſii Conjuncti apud Lignicenſes Rectore.

Lipſiæ, typis Fleiſcherianis, ſumptibus Autoris, 1720, 4.
Alph. 6. plag. $2\frac{1}{2}$.

DEdicatum eſt hoc opus ſtylo Germanico ſcriptum Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dn. Joanni Antonio S. R. I. Comiti de Schaffgotſch &c. S. Cæſ. Maj. Conſiliario Actuali Intimo, ſupremæ Præfecturæ per Utramque Sileſiam Directori, & Ducatuum Suidnicenſis & Jaurovienſis cum plena potentia Capitaneo, Heroi ſplendore generis meritorumque ac ſingulari humanitate glorioſo, literarum, inprimis elegantiorum, Atlanti. Dedicationem ſequitur Præfatio, docens, quibus ſubſidiis, ineditis pariter atque editis, in materia hac elaboranda uſus fuerit Cl. Autor, facta ſimul mentione Eruditorum de hoc opere bene meritorum, vel ſimile opus molientium. Familiarum item, quæ elucubrandæ reſtant, Index in Præfatione atque limine ſcripti pag. 3 exhibetur, ſimulque Illuſtres Nobileſque Fami-

Familias decenter rogat, ut labori suo per supplementa melius expoliendo favere, & quævis eo spectantia secum communicare dignentur. In tractatione ipsa operis Comitum Familiæ, quarum Notitia sistitur, sunt sequentes: Comites de Ahnesloe p. 6, C. de Berge p. 9, C. de Burghaus, quorum Genealogia ex MSCto celeb. Martini Hankii depromta, p. 10, C. de Colonna p. 19, Burggravii de Dohna p. 21, Comites de Franckenberg p. 29, C. de Götzen p. 31, C. de Herberstein p. 35, C. de Hohberg p. 39, ubi, num Castrum Furstenberga & Furstensteinium inter se distinguenda, instrumenti fragmento p. 54 obiter docetur, C. de Kosspoth p. 55, C. de Malzan p. 56, C. de Nimptsch p. 62, C. de Nostitz p. 68, C. de Oppersdorff p. 89, C. de Praschma p. 94, C. de Promnitz p. 95, de C. de Prosskau p. 109, C. de Rechenberg p. 111, de cujus nominis a verbis: Hans räche den Berg, derivati origine quid censendum, indicatur, C. de Reder p. 121, C. de Schaffgotsch, ad quorum gloriam faciens curiosum Diploma, primum opera Generos. Equitis Ferdinandi Ludovici a Bresler & Aschenburg, Consiliarii Cæsar. erutum, adducitur, p. 130, C. de Schœnaich p. 148, C. de Sobek p. 154, C. de Wilczeck p. 159, C. de Wurben p. 160, ubi primi apud Lignicenses Castellani seu Capitanei (Landes-Hauptmanns) munus A. 1178 gessisse Stephanum Comitem de Wurben, & nunc Excellentiss. Wenceslaum Albertum S. R. J. Comitem de Wurben, eodem splendido in Ducatu Lignicensi officio fungi, notatur. Hinc stemmata Baronum exhibentur: nimirum Baronum de Berka, Duba & Leipa p. 166, qui tres, non origine, sed lineis tantum distinguuntur, B. de Bibran p. 169, B. de Braun p. 174, B. de Dyhrn p. 179, B. de Gruttschreiber p. 190, B. de Kitlitz p. 192, B. de Kochtizky p. 200, B. de Kurtzbach p. 202, B. de Reichenbach p. 206, B. de Skrbensky p. 212, B. de Wurz & Burg p. 215. Quibus subnexa a p. 218 Diatyposis & Epitaphia Comitum quorundam & Baronum, qui e Silesia quidem non oriundi, in illa tamen officiis functi sunt vel decesserunt. Has inter Familias extinctæ defecerunt Baronum de Lippa p. 166, B. de Kurzbach, e qua stirpe in Polonia hodie superant Zawaczkii, p. 202, B. de Monteverques p. 221

 aliæ-

aliæque. Succedunt ſtemmata Equitum, ubi in anteceſſum p. 227 curioſe inquiritur, quæ Familiæ ex Bavaria, Franconia & Suevia cum Ducis Uladislai conjuge, Imperatoris Henrici IV Filia, vel cum Ducis Boleslai Alti uxore, nata Comite Solisbacenſi, in Sileſiam veniſſe: quæ ex Merania vel Tiroli cum S. Hedwige huc transmigraſſe: quæ prælio Tartarico A. 1241 interfuiſſe: quæ Heneticæ, Vandalicæ, Luſaticæ originis, dici poſſint. Familiæ hæ Equeſtres delineatæ ad octingenarium fere numerum excurrunt, quas inter diverſæ etiam eminentiori Comitum vel Baronum axiomate fulgent. Pag. 365 communis Comitum & Equitum de Franckenberg & Ludwigsdorff Mater Catharina Walchia: p. 436 Haubitios ab Haugwitiis non eſſe diverſos: p. 580 S. Hyacinthum Odrovaſium ortu Equitem Sileſium, non Cantienſem, ſed Steinovienſem fuiſſe, indicatur. P. 729 Equites eruditi ſtatura parvi memorantur. P. 754 inſignia Annæ Urſulæ gente Reibniciæ, Duci Monſterbergico-Olſnenſi & Berolſtadienſi Henrico Wenceslao ſecundis votis junctæ, producuntur. P. 786 Rottwizios & Kottwizios non confundendos: p. 801 Jacobum Salzam, Epiſcopum Uratislavienſem, non Equitem Sileſium Lignicenſem, ſed Luſatum Schreibersdorffenſem fuiſſe, docetur. P. 862 de Caſparo Schwenckfeldio, ejusque familia: p. 901 de Anna Hedwige Sitſchia, Joh. Chriſtiani Ducis Bregenſis conjuge altera, ejusque proſapia & progenie quædam afferuntur. Inter Familias Equeſtres, quæ eſſe deſierunt, numerantur: Danewitz p. 327, Domanze p. 338, Dornheim p. 340, Gregersdorff p. 413, Haunold p. 452, Krackau p. 546, Meſenau p. 635, Mehwald p. 638, Schwenckfeld p. 861, Seefeld p. 878, Sitſch p. 900, pluresque aliæ, quarum non paucæ hodie vix nominibus notæ. Appendicis loco (1) Nomina varia Teſtium e vetuſtis Inſtrumentis collecta ſiſtit Autor, ulteriori curioſorum indagationi committens, ad quam familiam hoc vel illud nomen referendum, p. 1086. Accedunt (2) nonnulla de antiqua Quadorum & Lygiorum nobilitate p. 1090. Conferatur Lohenſteinii Arminius P. I lib. 7 p. 1143. (3) De Jure & Judicio Equeſtri Sileſiæ, Ritterrechte p. 1092; (4) de quibusdam priſci

ſci temporis Comitibus & Caſtellanis in Sileſia. Denique præter Capitaneorum Ducatus Lignicenſis ſeriem, quos olim, nomine Polonis uſitato, etiam in Sileſia Caſtellanos & Palatinos appellatos fuiſſe p. 1095 commemoratur, Judicum Aulicorum Ducatus Lignicenſis Catalogus p.1099 ſubjungitur. In calce addenda quædam & corrigenda comparent. Utilitas ſcripti facile ſe prodit, cujus elucubrandi laborem in Autore, licet non Sileſio, Sileſiæ tamen, ut videtur, ſingularis amor ſublevavit. Cum enim veteres ſcribenda egerint, acta ſcribere neglexerint, facile harum rerum gnari perſpiciunt difficultates, quæ in ejusmodi argumento ſuboriuntur. Tot majores inclytarum Familiarum e vetuſtis tabulis in lucem protrahere, haud exiguæ molis eſt. Supplebuntur, quæ deſunt, in altera parte, quæ ſimul icones Inſignium, Tabulasque Progonologicas (Ahnen-Tafeln) ſiſtet, quam ut doctiſſimus ac perinduſtrius Autor feliciter abſolvat, ſerio precamur.

POGGIANA, OU LA VIE, &c.

hoc eſt,

POGGII FLORENTINI VITA, CHARA-cter, Sententiæ & Facetiæ. Ejusdem Hiſtoria Florentina. Accedit Supplementum. Tomi duo.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1720, 8.
Alph. 1 plag. 20.

IN duos Tomos hoc Opus (cujus autorem eſſe Cl. *Infantium*, Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis ſcriptorem nobiliſſimum, ex ſubjecto *Poggianis* Catalogo librorum venalium diſcimus) diviſum eſt, ſingulique Tomi duabus abſolvuntur Partibus. Ac *prima* quidem Parte exhibetur Vita Poggii, quam quoniam jam ſatis copioſe deſcriptam in his Actis *Suppl. T. VI p. 337 ſqq.* exhibuimus, jure noſtro nunc prætermittimus. Nec libros a Poggio ſcriptos cum Cl. Autore hic recenſebimus. Ceterum characterem, quem philoſophi vocant, Poggii merito attentius intuemur. Fuit igitur Poggius præſtantiſſimi homo inge- p. 81. ſqq.

 nii,

nii, literarum ſtudiis ac ſtudioſis deditiſſimus, poeticæ quidem artis expers, at eloquentia libera excellentiſſimus, in veterumque autorum, etiam eccleſiaſticorum, lectione verſatiſſimus. Quod ad mores ejus attinet, honeſtatem coluit in omni vitæ genere, fuitque & civis & pater & maritus & amicus & miniſter bonus. Plus imaginativa facultate valuit, quam judicio: id quod apparet ex credulitate, quam præbuit prodigiis & fabuloſis narrationibus. Nec avarus præterea erat, nec ambitioſus. Suos tamen & nævos habebat. Namque & in cœlibatu liberos aliquot genuit, & in invectivis, quas edidit, orationibus tam impotenti exarſit ira, ut Furiæ vix poſſint furere acrius. Hactenus deſcriptio ingenii morumque Poggii ab Autore noſtro adornata. Parte *ſecunda* Excerpta exhibentur ex Operibus Poggii. Quia enim in paucorum manibus ſunt hæc Opera, publico commodo conſulturus Cl. Autor, ſelectiora inde depromſit publicique juris fecit. Varia lectu digna hic occurrunt, etiam jucunda & ingenioſa, e. g. p. 139 ſqq. diſputatio, utrum convivæ hoſpiti, an hoſpes convivis agere debeat gratias, & uter ab altero beneficium acceperit: p. 144 ſqq. diſceptatio, utrum JCti an Medici ſint Reip. utiliores. Sic p. 180 recenſetur liber Poggii *de Nobilitate*, quo docetur, nobilitatem non conſiſtere in ſtirpe illuſtri, nec in vita otioſa, ſed in ſola virtute, adeoque a Principe poſſe quempiam divitem reddi ac potentem, nobilem reddi non poſſe. P. 238 ſqq. ex epiſtolis Poggii afferuntur notatu digniora. Celebris vero illa de Hieronymo Pragenſi Epiſtola tota hic Gallicum converſa in ſermonem exhibetur p. 241-255. *Talem*, inquit Cl. Autor, *Epiſtolam exſpectare non poteramus a Secretario Romani Pontificis*. Diſcimus etiam ex his Epiſtolis, *factionis* vocabulum honeſto quoque ſenſu a veteribus uſurpatum fuiſſe; & vocem Gallicam *Gentilhomme* natales ſuos debere urbi Venetorum.

p 259.

Parte *tertia* Cl. Autor exhibet Breviarium Hiſtoriæ Florentinæ a Poggio conſcriptæ, adjectis notulis ad eam illuſtrandam ex Leonardo Aretino, Machiavello & Recanato.

Parte *quarta* exhibentur ſelectiora e Facetiis a Poggio collectis. Scilicet omiſſis facetiis ſpurcis, ob quas merito repreheu-

prehenſus eſt Poggius, ingenioſas ejus hiſtoriolas repetiit Cl. Autor, notisque & hiſtoricis & moralibus illuſtravit. Hinc etiam p. 176 ſqq. Cl. Autor inſeruit ineditam adhuc relationem de illuſtri gente Scaligerorum, Veronæ Principum, e qua familia doctos illos Scaligeros oriundos eſſe, veroſimile judicat. Iidem p. 204 ſqq. docet, *Petrum de Vineis* fuiſſe Italum natione, non Germanum, eumque injuſte accuſatum fuiſſe perfidiæ erga Imperatorem, dominum ſuum. P. 273 ſeqq. ſubjuncta ſunt Apophthegmata ab Ænea Sylvio collecta, quæ longe præferenda putamus Poggianis Facetiis. Adjicere jam poterat ac volebat Cl. Autor multas Poggii epiſtolas ineditas, e Bibliotheca Guelferbytana ſecum communicatas. At, cum ſupra in Vita Poggii fere ſingularum iſtarum epiſtolarum jam fecerit mentionem, conſilium mutavit, niſi quod quatuor monumenta hic publicanda duxit, & *primo* quidem ex MS. codice Bibliothecæ Guelferbytanæ Epiſtolam Poggii ad Guarinum, Conſtantiæ A. 1417 ſcriptam, de invento Quintiliano & Aſconio Pediano; *deinde* ex MS. Codice Bibliothecæ Academicæ Lipſienſis Franciſci Barbari Epiſtolam ad Poggium de eodem argumento, ſcriptam Venetiis A. 1417; *tum* ex MS. Codice Guelferbytanæ Bibliothecæ Epiſtolam Cincii ad Poggium, qua ille huic gratulatur de filio recens nato; *denique* ex Lipſienſis Academicæ Codice MSto *Andreæ Juliani*, Nobilis Veneti, orationem funebrem in honorem Manuelis Chryſoloræ. Ceterum quæ Cl. Heumannus occaſione horum Poggianorum de Codice MS Operis Poggiani nondum editi de varietate fortunæ nobiſcum communicavit, proxime alibi exhibebimus.

ENODATIO ALICUIUS PROBLEMATIS Geometrici a Cel. JAC. HERMANNO propoſiti; atque de Inveniendis Curvis Algebraicis, ab eodem Viro propoſitis, quæ non ſint indefinite rectificabiles, habeant tamen aliquos arcus rectificationem admittentes. Per NIC. BERNOULLI JO. FIL.

I.

IN quadam Epiſtola Nobiliſſ. Monmortii ad me ſcripta anno proxime elapſo inveni mentionem factam duorum problematum a Clariſſ. Hermanno propoſitorum. Verba quibus me compellat Vir Illuſtr. ita latine ſonant: *Neſcio an tibi jam innoteſcat, quod Clar. Hermannus invitat Geometras ad ſolvenda duo problemata viribus tuis digna atque elegantiſſima.* Illa vero ita habent, verbis Hermannianis concepta: „ 1 Poſita area „alicujus curvæ $= axy + bx^c y^e$, ubi a & b ſunt numeri & quan„titates conſtantes: ſicuti etiam c & e ſunt numeri qualeſcun„que, invenire curvam cui hæc area conveniat. Dico inveniri „poſſe æquationem curvæ in terminis finitis, eamque curvam „ſemper fore Geometricam, modo c & e ſint exponentes ra„tionales, qualeſcunque ſint de cetero ſive affirmativi ſive „negativi. Quæritur igitur æquatio curvæ. *En alterum non „minus curioſum, ſed quod magis arduum videtur.* 2 Inveni„re curvas Algebraicas, quarum rectificatio indefinita depen„deat a quadratura circuli aut Hyperbolæ aut cujuscunque alte„rius curvæ, quæ tamen hoc non obſtante habeant unum aut „duos aut tres aut tot arcus quot libuerit diverſos abſolute recti„ficabiles & independenter a quadratura curvæ, a qua dependet „ipſarum rectificatio indefinita.

II. Quod ad primum ſpectat, prælaudato Nob. Monmortio protinus perſcriptum eſt, quod illud ſine magna difficultate & a Patre meo & a me fuerit ſolutum, ipſamque ſolutionem non diu poſt a nobis accepit, quamvis ſine Analyſi: Eam igitur ſi qua utilitas inde redundare poſſit in Geometriæ bonum, cum publico communicare non pigebit.

III. Per aream curvæ quæſitæ (cujus coordinatæ ſunt x & y) intelligi debet, ſi modo ſenſum proponentis rite percipimus, $\int ydx$ aut $\int xdy$; utrumvis autem ſumatur, res perinde ſe habet ratione conceptus, quia in re ipſa nulla eſt diverſitas ſive x pro abſciſſa & y pro applicata ſive viciſſim accipiatur. Huc proin recidit problema, ut quæratur curva cui conveniat hæc æquatio $\int ydx = axy + bx^c y^e$: Ubi ſtatim animadverto $\int ydx$ & xy eſſe quantitates homogeneas nempe planas, eas per conſe-

quens

quens translato axy ad alteram æquationis partem, coalescere in unam quantitatem si y ponatur = cuicunque potentiæ ipsius x; quare dispiciendum tantum est, qualis illa potentia esse debeat & cum quo coefficiente affecta, ut substituta in æquatione $\int y dx - axy = bx^c y^e$, producat hinc inde duo membra identica, ex quo mihi clarescit, inter alias curvas problemati satis facientes dari quasdam ex parabolarum genere, quas ut inveniam sequenti utor analysi.

IV. Pono $y = px^q$, & erit $\int y dx = \int px^q dx = \frac{p}{q+1} x^{q+1}$ quibus in æquatione $\int y dx - axy = bx^c y^e$ substitutis, mutatur illa in hanc $\left(\frac{p}{q+1} - pa\right) x^{q+1} = bp^e x^{qe+c}$; ut igitur ambo membra identificentur, facio $\frac{p}{q+1} - pa = bp^e$ & $q+1 = qe+c$; hinc invenio $q = \frac{1-c}{e-1}$ & $p = \left(\frac{e-1-ea+ca}{cb-cb}\right)\frac{1}{e-1}$. Dico itaque parabolam quæ pro æquatione habet $y = \left(\frac{e-1-ea+ca}{cb-cb}\right)\frac{1}{e-1} \times x \frac{1-e}{e-1}$, vel, quod idem est $(eb-cb) \times y^{e-1} = (e-1-ea+ca) \times x^{1-c}$, satisfacere æquationi propositæ $\int y dx = axy + bx^c y^e$.

V. Porro ut inveniantur omnes possibiles æquationes finitis terminis constantes, quæ respondeant quæsito, sic erit procedendum: Differentietur proposita $\int y dx - axy = bx^c y^e$; atque habebitur $\overline{1-a}\, ydx - axdy = bcx^{c-1} y^e dx + bex^c y^{e-1} dy$, cujus ut membrum primum generaliter integrabile fiat, multiplico totam æquationem per $qx^{q-qa-1} y^{-qa-1}$, ut fit $(q-qa) x^{q-qa-1} y^{-qa} dx - qax^{q-qa} y^{-qa-1} dy = qbcx^{c+q-}$

$^{c+q-qa-2}\, y^{e-qa-1}\, dx + qbex^{c+q-qa-1}\, y^{e-qa-2}\, dy$; Hoc quippe modo pars prior integrari poteſt, habet nempe integralem $= x^{q-qa}\, y^{-qa}$ quicquid etiam pro q ſumatur; quocirca ut etiam pars altera fiat integrabilis adhibenda eſt pro q, juſta quantitas ut $d(x^{c+q-qa-1}\, y^{e-qa-1})$ hoc eſt $(c+q-qa-1)x^{c+q-qa-2}\, y^{e-q-1}\, dx + (e-qa-1)x^{c+q-qa-1}\, y^{e-qa-2}\, dy$ evadat ad partem illam alteram in ratione conſtante; proinde nihil aliud faciendum eſt, quam ut inſtituatur analogia inter coefficientes terminorum homogeneorum, hunc in modum $c+q-qa-1 . e-qa-1 :: qbc . qbe :: c . e$, quæ hanc ſuppeditat æquationem $eq - eqa - e = -cqa - c$ unde habetur valor quæſitus ipſius q, qui erit $= \frac{e-c}{e+ca-ea}$; ſic itaque pars altera integrata dabit $\frac{qbe}{e-qa-1} x x^{c+q-qa-1}\, y^{e-qa-1}$; Coæquatis ergo ambobus integralibus addita ut moris eſt ad alterutrum quantitate conſtante arbitraria $\frac{b}{e-qa-1}$, orietur x^{q-qa}

$$y^{-qa} + \frac{b}{e-qa-1} = \frac{qbe}{e-qa-1} x x^{c+q-qa-1}\, y^{e-qa-1}$$

reductione peracta $qbex^{c+q-qa-1}\, y^{e-qa-1} + (qa-e+1)x^{q-qa}\, y^{-qa} = b$, ubi ſi pro q ſubſtituatur ipſius valor inventus $\frac{e-c}{e+ca-ea}$, prodibit æquatio continens omnes poſſibiles caſus, qui deſideratam curvam in terminis finitis exprimunt; Ipſa proin includet particularem illam æquationem, qua problemati per parabolas ſatisfieri poſſe oſtendimus: revera enim ſi arbitraria b ponatur $= 0$, abibit æquatio noſtra diviſa per $x^{c+q-qa-1}\, y^{-qa}$ in hanc $qbey^{e-1} + (qa-e+1)x^{1-c} = 0$; vel ſubſtituto valore ipſius q in hanc $(eb-cb)y^{e-1} + (ea-ca-e+1)x^{1-c} = 0$ quæ prorſus eadem eſt cum illa quam ſupra invenimus.

VI. Vi-

VI. Videamus autem quibus conditionibus curva fiat algebraica; Oppido quidem patet parabolam nostram inventam tunc semper algebraicam fore, quando c & e sunt numeri rationales, ita ut hac parte Cel. Hermannus recte dixerit, curvam problemati satis facientem posse esse geometricam *modo c & e sint exponentes rationales;* sed non animadvertit, hanc conditionem solam esse mancam & insufficientem; requiritur enim præterea ut neuter coefficientium in nihilum abeat, id quod fit quando $e = c$ vel $a = \frac{e-1}{e-c}$; nam si $e = c$, erit $q = o$; & evanescet primus terminus generalis & specialis nostræ æquationis ut & exponens ipsarum x & y in secundo termino, ita ut æquatio generalis in hanc abeat $qa - e + 1 = b$ & altera specialis pro parabolis in hanc $qa - e + 1 = o$, unde colligitur, curvam quæsitam non posse fieri algebraicam sed vel transcendentem vel rectam. Quod si vero $a = \frac{e-1}{e-c}$; disparebit secundus terminus & exponens ipsius y in primo, prodibit namque pro generali $qbex^{c+q-e} = b$, & pro speciali habebitur $qbey^{e-1} = o$, id quod indicat neque in hoc casu ubi $a = \frac{e-1}{e-c}$, inveniri posse curvam algebraicam in problematis solutionem.

VII. Alias conditiones si quæ sunt necessariæ ad curvam algebraicam efficiendam, facile quilibet deteget ex inspectione æquationis nostræ generalis. Quæ vero æquatio cum nihil inserviat in casibus transcendentium, restat ut modum doceamus æquationem propositam $\int y dx - axy = bx^{e} y^{c}$, reducendi ad æquationem differentialem, in qua indeterminatæ sint separabiles, quæ proinde exhibeat generalissime omnes satisfacientes curvas, tam transcendentes quam algebraicas, has nempe per actualem integrationem, illas vero per quadraturas, vel omnino (quod hic fieri potest) per Logarithmos. Talis separandi modus defuisse videtur solutioni Cel. Hermanni, alioquin transcen-

dentium casus (præter eos, qui ex irrationalitate exponentium c & e oriuntur) non subticuisset. Is autem procedit, ut sequitur.

VIII. Æquatio proposita $\int ydx - axy = bx^{c}y^{e}$, per sui differentiationem dat $\overline{1-a}\,ydx - axdy = bcx^{c-1}y^{e}dx + bex^{c}y^{e-1}dy$ Ponatur $x = t^{e-1}$ & $y = z^{1-c}$, adeoque $dx = \overline{e-1}\,t^{e-2}dt$, $dy = \overline{1-c}\,z^{-c}dz$, $x^{c} = t^{ec-c}$, $y^{e} = z^{e-ec}$; Hæc enim si substituantur in æquatione differentiata, mutatur illa in aliam in qua indeterminatæ x & y in singulis terminis eundem simul exponentis numerum complent; estque hæc $\overline{e-ac+a-1}\,z^{1-c}t^{e-2}dt + \overline{ac-a}\,z^{-c}t^{e-1}dz = \overline{bec-bc}\,z^{e-ec}t^{ec-c-1}dt + \overline{be-bec}\,z^{e-ec-1}t^{ec-c}dz$, Quare si in ea ponatur $t = uz$, & proinde $dt = udz + zdu$, emerget æquatio habens indeterminatas separabiles, nam reductione rite instituta reperietur hæc $\frac{dz}{z} = \frac{\overline{bec-bc}\,u^{ec-c-e+1} - e + ac - a + 1}{\overline{-be+bc}\,u^{ec-c-e+2} + \overline{e\cdot ac+ac-1}\,u} \times du$, cujus membrum posterius per notas regulas integretur per logarithmos, prodibitque (assumta f pro quantitate constante arbitraria) $lz + lf = \alpha lu + \beta \,\mathrm{Log.}(\overline{-be+bc}\,u^{ec-c-e+1} + e - ac + ac - 1)$ ubi $\alpha = \frac{-e+ac-a+1}{e-ac+ac-1}$, & $\beta = \frac{c}{ec-ec-c+e} - \frac{\alpha}{ec-e-c+1}$, logarithmis ad quantitates absolutas reductis habebitur $fz = u^{\alpha} \times (\overline{-bc+be}\,u^{ec-c-e+1} + e - ac + ac - 1)^{\beta}$.

est autem ex hypothesi $z = y^{\frac{1}{1-c}}$, & $u = \frac{t}{z} = \frac{x^{\frac{1}{e-1}}}{y^{\frac{1}{1-c}}} =$

x^{e-1}

$= x^{\overline{c-1}}\, y^{\frac{1}{c-1}}$, hisce itaque valoribus ipsarum z & u substitutis resultabit æquatio quæsita in x & y, & quidem in terminis finitis $f y^{\frac{1}{1-c}} = x^{\frac{\alpha}{c-1}}\, y^{\frac{\alpha}{c-1}} \times (\overline{-bc+bc\, x^{c-1}\, y^{c-c}} + e - ae + ac - 1)^{\beta}$, quæ ut abbrevietur dividatur per $y^{\frac{1}{1-c}}$, postea extracta utrinque radice exponentis β, scribatur g pro $f^{\frac{1}{\beta}}$, proveniet, $g = \overline{-bc+bcx}^{\,c-1+\frac{\alpha}{\beta c-\beta}}\, y^{c-1+\frac{\alpha+1}{\beta c-\beta}} + \overline{e-ae+ac-1}\; x^{\frac{\alpha}{\beta c-\beta}}\, y^{\frac{\alpha+1}{\beta c-\beta}}$.

IX. Hæc vero æquatio si conferatur cum illa altera quam supra Art. V. invenimus $b = q\,be\, x^{c+q-qa-1}\, y^{c-qa-1} + \overline{qa-e+1}\; x^{q-qa}\, y^{qa}$, substitutione facta utrobique valorum tam ipsius q quam ipsarum α & β, deprehendetur æquationes illas duas in idem prorsus recidere & consequenter esse easdem. Verum Methodus posterior hanc habet supra priorem prærogativam, quod exhibeat non tantum omnes possibiles casus, quibus curvæ quæsitæ æquatio in terminis finitis exprimitur, sed & eos, qui curvam reddunt transcendentem & nonnisi per logarithmos construendam: Patet enim curvam fore transcendentem quotiescunque aliquid absolute integrabile existit in æquatione nostra differentiali in Art. præced. inventa, $\frac{dz}{z} = \frac{\overline{bec+bc}\,u^{ec-c-e+1} - e + ae - a + 1}{\overline{-be+bc}\,u^{ec-c-e+2} + \overline{e-ae+ac-1}\,u} \times du$; id quod accidit quando ex. gr. $c = e$, in hoc quippe casu æquatio ista in hanc degenerat, $\frac{dz}{z} = \frac{\overline{bee-be}\,u^{ee-2e+1} - e + ae - a + 1}{\overline{e-1}\,u} \times du =$

 $be\,u$

$be\, u^{ee-2e}\, du + \frac{\overline{a-1}\, du}{u}$; sumptis integralibus habetur $lz + lf = \frac{be}{ee-2e+1}\, u^{ee-2e+1} + \overline{a-1}\, lu$, algebraicum permixtum cum logarithmis; quod proin curvam quæsitam facit transcendentem. Item si $a = \frac{1-e}{c-e}$, rursus pars una evadet algebraica, pars altera logarithmica.

X. Occurrunt tamen, quod notari velim, duo casus in quibus prædicta nostra æquatio differentialis cessat solvere problema; quando nempe alterutrum vel c vel $e = 1$. Cum enim Art. VIII positum fuerit $x = t^{e-1}$, & $y = z^{1-c}$, atque ex hac positione originem habeat illa nostra æquatio, palam utique est fore in alterutro horum casuum alterutram x vel $y = 1$, hoc est, indeterminatam supponi æqualem determinatæ, quod esset absurdum. Ne igitur hac in parte destituamur completa problematis solutione & nos defugiant transcendentium quarundam casus, qui cum $c = 1$ vel $e = 1$ existere possunt; non abs re alienum erit, si eos separatim solvendi rationem tradidero.

XI. Sit primo $c = 1$, convertetur æquatio proposita $fydx - axy = bx\, cy^e$ in hanc $fydx - axy = bxy^e$, quæ differentiata & reducta producit $\frac{dx}{x} = \frac{bey^{e-1}dy + ady}{-by^e + \overline{1-a}\, y}$, ubi cum nulla separatione indeterminatarum opus sit, æquatio porro ad logarithmos & postea ad terminos finitos ordinarios facile reducitur, excepto casu, quo etiam $a = 1$, eo enim habetur $\frac{dx}{x} = \frac{bey^{e-1}\, dy + dy}{-by^e}$, ubi videmus partem $\frac{-dy}{by^e}$ esse absolute integrabilem, curvam proin evadere transcendentem.

XII. Sit jam $e = 1$; induet æquatio proposita hanc formam

iam $\frac{dy}{y} = \frac{-bcx^{c-1}dx + \overline{1-a}\,dx}{bx^c + ax}$, pariter liberam a permixtione indeterminatarum adeoque reducibilem ad logarithmos ac dein ad terminos finitos ordinarios, nisi quando $a=0$; quo nempe fit $\frac{dy}{y} = \frac{bcx^{c-1}dx + dx}{bx^c}$, cujus pars $\frac{dx}{bx^c}$ absolute integrabilis reddit curvam transcendentem.

XIII. Ceterum quod attinet ad casum ubi $c=e$, etiam hic ad æquationem finitam pervenire licet sine prævia sequestratione indeterminatarum. Æquatio enim proposita per differentiationem huc redit $\overline{1-a}\,ydx - axdy = bcx^{c-1}y^c dx + bcx^c y^{c-1}dy$, quæ divisa per xy dat $\frac{1-a}{x}dx - \frac{ady}{y} = bcx^{c-2}y^{c-1}dx + bcx^{c-1}y^{c-2}dy$, membrum prius integratur per logarithmos, alterum absolute, unde resultabit $\overline{1-a}\,lx - aly = \frac{bc}{c-1}x^{c-1}y^{c-1} + f$; indicio sane curvam in hoc casu semper esse transcendentem, excepto, si vis, cum præterea b vel $c=0$, nam tunc (posita $f=lg$) logarithmica æquatio $\overline{1-a}\,lx - aly = lg$, ulterius reduci potest ad hanc finitam ordinariam $x^{1-a} = gy^a$, quæ arguit curvam esse ex genere parabolarum & quidem algebraicarum si a sit numerus rationalis.

XIV. Alii quoque sunt casus, qui non indigent separatione indeterminatarum, ut si alterutrum e vel c sit $=0$, levi quadam facta reductione pervenitur ad terminos absolute integrabiles; posito namque $c=0$, suppeditavit instituta integratio pro curva quæsita hanc æquationem $y^{\frac{a}{a-1}}x = \frac{be}{e-ae-1}y^{\frac{e-ae-1}{1-a}} + g$; posito vero $e=0$, dedit hanc alteram $x^{\frac{a-1}{a}}y =$

$\frac{bc}{1-ac} = \frac{ac-1}{a} + g$. Has interim & alias integrandi rationes cum universaliter comprehendat methodus exposita Art. V, iisdem diutius immorari supervacaneum arbitror.

XV. Accedo ad alterum Problema Hermannianum, quo petuntur curvæ algebraicæ *A*, quarum indefinita rectificatio dependeat a quadratura cujuscunque alterius curvæ algebraicæ *B*, quæ tamen habeant tot quot libuerit arcus particulares absolute rectificabiles & independenter a quadratura, a qua ipsarum rectificatio dependet. Quod si Clariss. Proponens intelligat per curvam *B* quamlibet *datam* algebraicam, ut innuere videtur per verba *telle courbe qu'on voudra*, fatemur libenter solutionem problematis non esse in nostra potestate, sed & simul firmiter persuasum nobis habemus, nec ipsum Virum ingeniosum nec alium quenquam mortalium problema in hoc sensu sumptum solvisse vel soluturum esse; in qua sententia eo fortius confirmamur quod propositioni hujus posterioris problematis nec verbulum quidem subjungat, quo significet (ut ratione prioris facit) se esse solutionis compotem; Judicamus ab illo multum præstari, qui vel partem tantum hujus problematis solveret, docendo scilicet modum inveniendi curvam algebraicam A, a cujus rectificatione indefinita dependeat quadratura indefinita curvæ algebraicæ datæ *B*, etiamsi *A* nullum habeat arcum absolute rectificabilem, solutio hujus ingentem haberet utilitatem in constructionibus problematum quæ post separationem indeterminatarum ad quadraturas redacta sunt.

XVI. Quod si autem per curvam *B* non quidem intelligat quamlibet *datam* algebraicam, sed eam tantum quæ ex invenienda *A* derivatur; problema humanis viribus non prorsus impossibile arbitramur: Si quam solutionem possidet Vir sagacissimus, rogatum volumus ut publico impertiat; Interim hoc alterum proponimus haud multum diversum.

Problema.

„ Invenire innumerabiles curvas algebraicas, quarum singu-
„ larum rectificatio indefinita dependeat a rectificatione cujus-
„ cun-

„cunque curvæ *datæ* algebraicæ, licet algebraicæ non rectifica-„bilis, quæ singulæ nihilominus habeant arcus innumeros alge-„braice rectificabiles. Est nobis solutio hujus problematis per Methodum aliquam paternam adinventa, id quod statim perscriptum est Cel. Monmortio cum primum Hermanniana proposuisset, sed in augmentum rei geometricæ petimus ab aliis solutionem per alias methodos eruendam.

RESPONSIO AD CL. TAYLORI QUERELAS.

XVII. Cum hæc scriberem opportune incidi in Tomum quartum alicujus Diarii litterarii Amstelodami idiomate Gallico editi sub Titulo Bibliothecæ Anglicæ, in cujus parte secunda pag. 523 & seqq. reperi recensionem *Methodi incrementorum Autore Brook Taylor* ab ipso Autore, ut videtur, transmissam. Quædam in illa offendi ad Patrem meum spectantia sed minus candide prolata, quæ proin in gratiam rei veritatis nonnullam discussionem merentur. Pag. 534 queritur sibi a Patre meo plagii crimen imputari in Act. Lips. A. 1716. Si lector consulere voluerit acta ista illius anni inveniet nonnisi duo schediasmata de quibusdam Patris mei inventis, quæ curante Celeb. Hermanno in lucem prodierunt; sed nullam omnino mentionem ibi factam reperiet de Cl. Tayloro: Quod si vero hic Vir digitum forte intendat ad Epistolam illam anonymi pro Patre meo scriptam atque eodem anno in Actis editam, in qua scriptor Taylorum juxta nonnullos alios in censum refert eorum, qui dum Bernoullianis aliisque inventis utuntur autorum nomina vel dissimulant, vel non ipso loco, quo fit usurpatio allegant: de hoc utique Pater respondere non tenetur, quousque enim contenta illius epistolæ approbet vel improbet, ipse jam monui in Actis 1718, p. 261 & 262; Utrum vero anonymus epistolæ scriptor hac in parte rem acu tetigerit, nolumus decidere, sed relinquimus in medio.

XVIII. Pergit Doctissimus Taylorus vel qui ejus nomine loquitur Recensor pag. 535, dicitque quod data opera evitaverit occasionem commemorandi quid in eadem materia quam pertractavit, alii dudum antea præstiterint quia, alias ut causatur, non potuisset præterire plures errores & imperfectiones in eorum

rum ſolutionibus reperiundos; quod hanc ob rationem noluerit attingere ſolutiones ab illis datas figuræ veli, fornicis, ut & ſolutionem iſoperimetrorum exhibitam olim a Patruo meo Jacobo, a quibus tamen, quod ingenue fatetur Taylorus, analyſin ſuam mutatus fuerit; Quinam ſint iſti errores & imperfectiones in illis ſolutionibus, quibus propterea ſilentio ſuo tam generoſe pepercerit, mihi equidem non conſtat, ſi unam excipias ſolutionem catenariæ olim a Cl. Gregorio editam quæ puro puto paralogiſmo nititur ut jam pridem eſt oſtenſum. Interim ſi imperfectionem nominet, quod ſubinde ſolutiones illæ non tam generales fuerint quam eſſe potuiſſent, nulla certe unquam ſolutio perfectionis nomen merebitur, quia nulla tam generalis eſt, quin ad generalitatem aliquid addi poſſet, cum præſertim facile ſit inventis aliquid addere; In his autem ſi volumus æquos agere rerum Judices, non tam ad ſolutiones, quam ad ſolutionum methodos reſpiciendum nobis erit, atque attendendum an non ſolutionum Autores æque facile eas extendere potuiſſent ſi animum advertiſſent. Qui ſecus judicat exponat rationes, ob quas putet ſibi quam primis inventoribus & ſolutoribus facilius fuiſſe inventa aliena, ad quæ forſan ipſe nunquam perveniſſet, niſi hi glaciem fregiſſent, promovere; ſi vero ita judicandi rationes habeat nullas, inani quam de ſe concepit opinioni plus tribuere videbitur quam æquitati,

XIX. Si Recenſori credimus p. 536, Cl. Taylori gratiæ & favori acceptum eſt ferendum, quod in libro ſuo præterierit ſilentio ſolutionem problematis Iſoperimetrici editam in Commentariis Acad. Reg. ſcient. 1706, quoniam ſi ejus meminiſſet ſibi non potuiſſet temperare, quin indicaſſet tres quatuorve errores ibi commiſſos & (ſi diis placet) graviſſimos. Sed quid opus ut lapſus leves tanta cum pompa exaggeret? Poſtquam Pater meus illius ſolutionis autor aliunde monitus eundem lapſum non modo protinus ipſe detexit ſed & pro candore ſuo publice dudum agnovit emendavitque, oſtendens illum ex ſola quadam inadvertentia ſubrepſiſſe, quem autem mirum in modum compenſavit communicata methodo nova iſoperimetrorum

rum

rum citra calculum ſolvendorum quod incredibile videbatur illis qui antea per longas & intricatas Patrui & Taylori analyſes velut exterriti fuerant, videſis Act. Lipſ. 1718 Menſ. Jan. & Febr. quo loco videre eſt quoque aliam methodum Paternæ in multis ſatis ſimilem, quam Cl. Hermannus noſter communicavit, poſtquam audiviſſet talem a Patre miſſam jam perveniſſe ad manus Lipſienſium, editionem ejus tamdiu protrahentium donec Hermanniana tandem parata & transmiſſa ſimul edi poſſet: quod indicandum cenſui, ne quis miretur, qui fieri potuerit, ut duo iſta ſcripta de eadem materia ab autoribus tam longo intervallo a ſe invicem ſeparatis, eodem tamen tempore in lucem prodirent.

XX. Cl. Taylori Patronus Recenſor eadem pagina 536 modo admodum lepido, neque autem valde ſincero a Cliente ſuo amoliri conatur ſuſpicionem plagii; en quomodo: Poſtquam Parentis mei nova Theoria de Centro Oſcillationis comparuiſſet non tantum in commentariis Acad. Reg. Scient. pro anno 1714, qui, quod fateor, nonniſi anno 1717 lucem aſpexerunt, ſed etiam, quod bene notandum, in Actis Lipſ. M. Junio anni 1714, quæ Acta menſtruatim diſtribui ſolita longe lateque mittuntur, atque ita mature ad manus Cl. Taylori, qui ut ex hac ipſa libri ſui recenſione conſtat, Acta iſta diligenter evolvit, pervenire potuit præfata patris Theoria; anno ſequenti demum, nempe 1715, prodiit in publicum Taylori Libel. de Methodo increm. in quo conſpicitur modus inveſtigandi centrum oſcillationis iisdem prorſus quantum per obſcuritatis peplum perſpicere licet principiis inædificatus, quibus Parens meus in ſua Theoria jam antea uſus fuit: ſunt inter ſagaciores Mathematicos qui ſuſpicantur, teſtibus literis quibusdam privatis Taylorianam hanc inveſtigationem mutato veſtitu ex Bernoulliana fuiſſe enatam.

XXI. Interim quamvis ea de re nec Pater nec quisquam alius Cl. Tayloro lites moverit, ejus tamen Patronus haud ægre olfaciens tacita Virorum intelligentium judicia, prævenire illa conatur atque delere, dicendo, *non fuiſſe poſſibile ut moneret Taylorus, principia ſua in quibus fundata eſt nova iſta inveſtiga-*

tio centri oscillationis jam ante se fuisse inventa & in usum vocata a Joh. Bernoullio: quænam autem impossibilitatis hujus ratio? ad hoc respondet Recensor, *quia solutio Bernoulliana comparuit in Commentariis Acad. pro anno 1714, qui ipsi vero nonnisi an. 1717 in lucem venerunt*, & ut efficacior sit gravis sc. hæc ratio subjungit statim, *hunc annum nempe 1717 tribus annis posteriorem esse anno quo publicatus fuerit liber Taylorianus*, fuit autem impressus anno 1715 adeoque citius non publicatus. Nunc igitur computent Arithmetici, dicentque nobis, num annus 1715 *tribus annis* præcedat annum 1717; sed transeat cum cæteris erroribus. Vellem hoc unicum ut recte probaretur prætexta *impossibilitatis*; Quid enim, si solutionem Bernoullianam ediscere non potuit Taylorus ex Commentariis Academicis ante annum 1715 utpote nonnisi anno 1717 in publicum emissis, quid, inquam, impedit quominus eandem videre potuerit jam divulgatam in Actis Lipſ. mense Junio anni 1714? Sed hunc scrupulum nobis tollere non curat Recensor, tametsi bene noverit hæc Acta a Tayloro legi, adeoque solutionem Parentis mei illi visam esse vel (quod ad suspicionem excitandam jam sufficit) videri potuisse ante editionem libri sui, nec est quod insinuet Recensor, librum istum antequam prelum subiret per annum mansisse depositum apud Societatem Reg. Londin. Hoc enim si maxime verum esset, annon vel durante hoc tempore Cl. Taylorus qui illustrissimæ hujus Societatis fuit Secretarius adeoque ad Archiva & Scrinia aditum habuit vel postea cum ad prelum liber manuscriptus extraditus esset ei demum inseri & infarciri potuit scheda de centro oscillationis?

XXII. Agentes hic de mentione facienda eorum quæ jam ante ab aliis fuere præstita, suum cuique libenter tribuimus; quamobrem hac occasione monere debemus quod respicit magnum Newtonum. Postquam scilicet Pater meus in Actis Lipſ. A. 1719 M. Majo exposuisset solutionem maxime generalem problematis sibi a Scoto quodam propositi, de *invenienda linea curva quam describit projectile uniformiter grave in aere uniformiter denso supposita resistentia in duplicata* immo in quavis multiplicata *ratione velocitatis*, subjunxit constructionem facilli-

cillimam pro casu resistentiæ in simplici ratione velocitatis, per quam ostendit dari pro curva quæsita logarithmicam ordinariam vel etiam ex hac dependentem, quæ propius considerata etiam ipsa logarithmica esse deprehenditur sed cujus applicatæ obliquæ sunt ad axem. Hanc constructionem autem dum prædicabat multo simpliciorem quam Newtonianam quæ extat in Princ. Phil. Lib. 2 prop. 4, utpote quæ sit perplexa & operosa, sciendum est attendisse ad eam quæ habetur in prima editione, quam forte fortuna inspexit licet utramque ad manus habuerit, non cogitans in nova editione aliquid amplius ea de re inveniri. Dein vero monitus consuluit quoque novam editionem, ubi quod nunc per me ingenue fatetur observavit Illustr. Newtonum ex prima illa sua constructione eleganter deduxisse eandem logarithmicam, cujus inventionis ansam haud dubie nactus est ex visa solutione Hugeniana in libro *de Causa gravitatis*, qui liber prodiit demum post editionem primam Princip. Phil. nat. Ceterum eadem ingenuitate Pater meus agnoscit, quod quædam ex Theorematibus subjunctis alteri suæ solutioni in Actis M. Junio ejusdem anni editæ problematis analytici a Cl. Tayloro Geometris propositi facile fluant tanquam corollaria ex nonnullis formulis Newtonianis contentis in libello vere aureo de quadratura curvarum, id quod nonnisi dimisso schediasmate animadvertere licuit; scire tamen volumus Lectorem ex fonte longe alio petita esse Theoremata illa, quam quo usus est summus Newtonus ad condendas suas formulas. Quamvis autem sint generalia, erunt tamen ut fieri solet (nam nulla regula sine exceptione) quidam casus particulares ad quos unius vel alterius Theorematis applicatio fieri nequit. Interim hujusmodi exceptiones, si quæ occurrunt, non magis derogant Universalitati Theorematum quam derogaret Casus quantitatis inquadrabilis $\int x^{-1}dx$ Veritati Theorematis hujus Universalis (in quo casus ille continetur) quod nempe $\int x^{n}dx$ sit algebraice quadrabilis. Hoc monendum duxi, ut objectiones prævenirem.

P. S.

Quandoquidem Acta Lipsiensia tarde ad nos venire solent, eorum mensis Augustus in quo pag. 361 bina problemata Her-

manniana publice proposita conspiciuntur, ad nostras manus perlatus est postquam hoc schediasma jam aliquandiu paratum fuerat; occasione vero subnata ex diversitate nonnulla qua hæc problemata jam publice proponuntur secus atque antea per Monmortii litteras erant proposita, e re erit hæc pauca adjicere. Quod quidem attinet ad primum, nullum est discrimen in proponendi modo, nisi quod æquationem enodandam in litteris Monmortianis expressam per $\int ydx = axy + bx^c y^e$, Cl. Hermannus exprimat in Actis per $A = axy + bx^e y^f$, ita ut A idem sit quod $\int ydx$ & e, f, locum jam teneant ipsarum, c, e; sed quod ad rem ipsam, observamus majorem discrepantiam in conditione heic & ibi adsignata de possibilitate curvæ Algebraicæ, ibi enim asseveraverat Cel. Hermannus, teste pereximio Monmortio, *Curvam quæsitam semper fore geometricam modo c & e* (vel nunc e & f) *sint exponentes rationales.* Hic vero requirit insuper, ut etiam a sit numerus rationalis. Ast quemadmodum in nostra hujus problematis solutione demonstratum dedimus, dari quendam casum in quo c & e existentibus rationalibus qualiscunque sit a, curva quæsita tamen necessario sit transcendens, quando nempe $c = e$, item qualescunque sint c & e modo sit $a = \frac{e-1}{e-c}$ curvam pariter necessario esse transcendentem, sic vicissim jam facile demonstrabimus, si c & e sint rationales & inæquales semper dari posse aliquam curvam algebraicam quæsito respondentem, etiamsi a non sit rationalis, modo etiam non sit $= \frac{e-1}{e-c}$. Nam Art. IV invenimus æquationem $(eb - cb)xy^{e-1} = (e - 1 - ea + ca)xx^{1-c}$, quæsitæ curvæ satisfacientem, quæ cum a in neutrum exponentem ingrediatur, poterit a esse irrationalis & tamen curva esse ex parabolarum algebraicarum genere, dummodo sit neque $e = c$ neque $a = \frac{e-1}{e-c}$. Et hoc quidem ad primum amice monere voluimus. De cetero quam nunc

nunc superaddit restrictionem Cel. Hermannus, qua nimirum exigit *Methodum directam procedentem a priori sine præcognita forma æquationis curvæ quæsitæ*, eam restrictionem etiamsi non expressam in privata invitatione, accurate tamen a nobis observatam atque ita problemati plene & ad mentem suam satisfactum esse agnoscet, speramus, acutissimus Problematum Autor.

Alterum problema sic paucis nunc publice proponitur: *Invenire curvas algebraicas indefinite non rectificabiles, quæ tamen unum, duas, vel quot volueris arcus habeant absolute rectificabiles:* omissa altera conditione, qua simul petebatur, ut curvæ quæsitæ rectificatio indefinita dependeret a quadratura curvæ alterius datæ. Quamvis Vir Cel. ne nunc quidem dicat utrum hoc ipse solverit nec ne, nos tamen asseverare audemus, quod cum nunc desistat ab hac posteriore conditione, problema ipsum non prorsus impossibile censeamus; quin imo jam solutum habeamus per solutionem problematis Art. XVI propositi, modo in verbis Hermannianis, *quæ tamen unum duos vel quot volueris arcus* &c. subintelligendum sit *τὸ minimum*, ita scilicet ut curva quæsita indefinite irrectificabilis habeat *minimum* vel *saltem* certum numerum arcuum absolute rectificabilium; etsi forsan plures contineat modo non pauciores; nam sane in hoc sensu sumptum problema abunde solvisse censendus est ille, qui invenerit curvas algebraicas indefinite non rectificabiles, quæ tamen habent arcus numero infinitos absolute rectificabiles. Quod si autem per *unum duos vel quot volueris arcus* &c. intelligi oporteat tot exacte quot petuntur arcus absolute rectificabiles, nec plures nec pauciores; significo Cel. Proponenti, hujus quæstionis quantumvis arduæ enodationem eo usque jam a Parente meo esse peractam, ut exhibere possit *curvas algebraicas indefinite irrectificabiles, gaudentes tamen vel uno vel duobus vel quatuor vel octo vel, quot libuerit in hac progressione, arcubus absolute rectificabilibus*; idque per methodos longo abhinc tempore in publicum editas: num solutio Hermanni quam habet ulterius progrediatur, lubenter equidem intelligemus.

TENTAMINA MEDICO - PHYSICA AD quasdam quæstiones, quæ Oeconomiam animalem spectant, accommodata: quibus accessit Medicina Statica Britannica; Autore JACOBO KEILL, M. D.

Londini, apud Ge. Strahan & W. & J. Innys, 1718, 8. Plag. 18.

HÆc Tentamina, de quibus diximus in Actis A. 1709 p. 397 & A. 1718 p. 467, tertia vice in scenam producimus ob Medicinam Staticam Britannicam, quæ versioni accessit, in utraque autem editione Anglica desideratur. Noto notius est, *Sanctorium*, Italum, transpirationis insensibilis ponderandæ rationem primum excogitasse, ac inde Medicina, quam vocat, Statica varias aphorismos condidisse. Eos pro universalibus hactenus habuere Medici; sed Cl. *Keill*, Frater *Joannis*, ex controversiis in historia Mathematica nimio fervore agitatis notissimi, cum propriis experimentis eam in rem inquireret, magnum inter Italos ac Britannos discrimen deprehendit. Cum publico itaque communicat Tabulas, quæ observationum seriem per integrum annum & quasdam alias per decennium successivis temporibus factas continent. Pleraque experimenta facta sunt inter annum ætatis trigesimum & quadragesimum. Eorum ope ac fide aphorismos condit, quorum præcipuos ob egregium, quem habent, usum huc transcribere non veremur. 1 Quod per alvum excernitur in uno die, est communiter ponderis unciarum quinque: urina unius diei est duarum librarum & unciarum fere sex: perspirationis quotidianæ pondus unciarum 31. Variantur singula ratione temperamenti, ætatis, cibi & potus, somni & vigiliæ, exercitii & quietis, atque pro anni tempestatibus. 2 In saluberrimo corporis statu omnium egestorum summa est æqualis summæ omnium ingestorum. 3 Quantitas urinæ diurna major est quam nocturna. Transpiratio æstiva hiemalem longe excedit: diurna est nocturnæ sesquialtera. Nocturnæ diminutio non auget quantitatem urinæ,

mæ, nec aucta diurna urina quantitas diurnam perspirationem minuit. 4 Si inter somnum & vigiliam diem æqualiter dividamus, perspiratio unius diei est 30 unciarum & 7 drachmarum; si octo horas lecto indulgeamus, unciarum 33. 5 In die æstivo maxima perspiratio est 3 fere librarum, in hiemali minima est sesquilibra. Hos limites nunquam transit salubris perspiratio: ultra citraque latitudinem suam naturalem fertur vel calore & exercitio, vel frigore & quiete. 6 Calore, motu & exercitio unciæ duæ vel tres interdum quatuor perspiratione horaria expelluntur: quanto autem major est perspiratio motu elicita, tanto minor est per subsequentes horas corpore quiescente. Frigore & quiete perspiratio horaria est vix semiuncia. 7 Promovetur perspiratio ab equitatione & a balneo aquæ tepidæ ad sesquilibram assurgit, nec subsequentibus horis a præcedente inhibetur. 8 Non minor est perspiratio hieme a foco, quam æstate a Sole elicita. 9 Minus perspirat nimio exercitio defatigatus, qui; in lecto corpus agitat, quam qui corpore nudo & aere aperto dormit. 10 Quo major est diurna perspiratio, eo minor est nocturna & hæc interdum solita dimidio minor, nullo insequente malo. 11 Perspirationem nec inhibet, nec promovet cutis perfricatio. 12. Inæqualibus temporibus corporis pondus a sudore magis diminuitur, quam ab insensibili perspiratione. 13. Medicamenta purgantia perspirationem non impediunt. 14. Quantitas ciborum & potus est ad perspirationis quantitatem ut $2\frac{1}{5}$ ad 1. Si cibus & potus unius diei sit $4\frac{1}{2}$ librarum, perspiratio est 2, urina totidem librarum & quinque unciarum, excretio alvina 3 unciarum. 15. Evacuationes naturales non sunt corporis ponderi, sed debitæ victus rationi proportionales. Cuique corpori sua victus ratio est, cujus defectu corporis pondus diminuitur, excessu augetur. Victus quotidianus pro observationibus præcedentibus est 4 librarum. Si victus modus sit debito major aut minor, tum ingesta non respondent egestis; sive enim plus, sive minus comedimus, certam sibi normam in evacuationibus servat natura. Norma victus est cuique appetitus non depravatus, evacuationibus naturalibus proportionalis. 16. Liquorum tenuiorum potatio urinam provocat, perspi-

ſpirationem tamen parum afficit. 17. Inter perſpirationem ante ac poſt prandium nulla obſervatur differentia; nec non cœnatus minus, quam cœnatus perſpirat. 18. Pulſus nocturnus matutino multo celerior eſt, idemque a prandio acceleratur. 19. Per omnes corporis poros continuus facilisque aeri patet ingreſſus & egreſſus. Vapores ex aere a cute attracti cum ſanguine miſcentur & pondus corporis augent. Eos corpora morbo extenuata aut evacuatione exinanita copioſius attrahunt; immo omnia plures attrahunt tempeſtate nebuloſa, quam ſicca; noctu, quam interdiu; in ſomno, quam in vigiliis: atque hinc fieri poteſt, quod nocturna perſpiratio ſit diurna ſemper minor. 20. Aeris humidum attrahunt veſtes eſtque attractio ſuperficie æqualium in ratione ponderum; ſimilium in ratione compoſita ponderum & ſuperficierum. Plus attrahunt veſtes e partibus animalium, quam e vegetabilibus confectæ: bombycinis & laneis eadem ineſt vis attrahens, ceteris paribus; maxima ineſt corio, minima linteo. Minus denique attrahunt veſtes nigræ. Sequuntur tandem duæ disquiſitiones, quarum prima probat, nec perſpirationem a frigore ſuſcepto diminui, nec hanc diminutam eſſe tuſſis cauſam: altera vero oſtendit, corpora animalium humidum aerem attrahere.

Errata in Schediaſmate inſerto Menſ. Jul. A. 1719.

Pag. 297 lin. 30 pro *pdx* lege *pdy*; pag. 298 lin. 10, 11 dele *in Act. 1715 pag. 226*; pag. 300 lin. 8, 9 pro *Log. Logarithmi 1:y* lege *Log. Logarithmi y*; pag. 300 lin. 26 pro $(8ydy + 4ada)$ lege $(8ydy - 4ada)$; pag. 302 lin. 11 poſt *quia* inſere, $y^{2m} : xx = a^{2m-2}$ *&c*; pag. ead. lin. 19 pro $(2yy - aa)^{\frac{2}{3}}$ lege $(2yy - aa)^{\frac{3}{2}}$ ibid. lin. 22 pro $\frac{2}{3}$ l. $\frac{3}{2}$; pag. 303. lin. 7 a fin. pro $AH - \sqrt{ac}$ l. $AH = \sqrt{ac}$.

Errata Menſe Martio A. 1720.

P. 107 lin. 13 lege *quam*, pro *quum*; p. 108 lin. 16 *adjectum* pro *adjectam*; ibid. lin. ult. *æque*, pro *ægre*; p. 110 *εἰμι*, pro *εἰμι*; p. 113 lin. antepen. §. 25 pro 15; p. 117. lin. 19 *ſapientis JCti* absque commate; p. 119 lin. 10 *tam anguſte*, pro *tamen anguſte*; p. 120 lin. 10. *c. 11, 12, 13*, pro *13, 13*.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DCC XX.

GEMMARUM AFFABRE SCULPTARUM Thesaurus, quem suis sumptibus collegit JO. MART. ab EBERMAYER Norimbergensis. Digessit & recensuit JO. JACOBUS BAIERUS, Phil. & Med. D. hujusque in Acad. Altorfina Professor primarius.

Noribergæ, prostat in ædibus Ebermayerianis, 1720. fol. Plag. 21 Tabb. æn. 31.



INter veneranda antiquitatis monumenta, quæ merito magni faciunt peritiores, alia tamen aliis magis placent; quo fit, ut alii vetera numismata impense ament, alii antiquis statuis & sigillis ex ære vel marmore effictis delectentur, alii denique gemmarum affabre sculptarum aut cælatarum pulcritudine capiantur. Inter hos nomen suum cum laude professus est *Joannes Martinus ab Ebermayer*, Civis Norimbergensis & mercator primi ordinis spectatissimus, cujus ea fuit felicitas, ut non modo diuturno studio adhibito insignem pretiosissimamque istius generis κειμηλίων copiam adeptus fuerit, sed etiam sui Thesauri Interpretem ὁμόψηφον nuper nactus sit doctissimum *Baierum*, ob copulata cum naturali scientia humanitatis studia dudum celeberrimum. Illius industriæ, hujus doctrinæ debemus Gazophylacii hujus partem priorem, quæ gemmas complectitur centum sexaginta quinque, Tabulis æneis XXX satis elegantibus exhibitas, & brevi doctaque explicatione illustratas, in quibus numina veterum quamplurima, Sacrificia varia, Salutis imprimis & Bacchica, instrumenta sacra, Abraxeas figuras, & Symbola haud

pauca, fabulas veterum hiſtoriasque varias jucundiſſimis figuris expreſſas conſpicias. Perplacet Flora Tabulæ X, Raptus Proſerpinæ Tab. XI, Bacchus cum Ariadne triumphum ducens Tab. XII. Dianæ Tauricæ ſacrificium Tab. XV, & alterum Tab. XVI, quod Dianæ Triclariæ putat clariſſimus Interpres, Judicium Paridis Tab. XVII, elegantiſſimi Chalcedonii Tab. XX, doctiſſime explicati, Raptus Sabinarum Tab. XXI, Judicium Horatii & Scævolæ facinus Tab. XXII. Forte nonnulla a recentiori manu ſunt, antiquitatis æmula, alia ad antiquorum regulas conficta ſunt, quo Aurora Sandrarti pertinet Tab. VIII. Sunt & nonnulla manifeſte exemplaria veterum, ut Gemmæ Auguſteæ Tab. XXVI & XXVII. & ſequenti Achates Tiberianus; Sergium etiam Galbam Tab. XXIX, & Titi Triumphum Tab. XXX. agnoſcent non omnes; ſciolo denique Chalcographo iraſcentur merito doctiores, quem minus circumſpectum fuiſſe cum alii errores paſſim, tum imprimis facinora in Tabula XVII extantia ſatis teſtantur. In ea enim viro Marti proximo, nudo, ſubſtituit Neptunum coronatum & bidente abſurdiſſime armatum; aliam figuram, quam Æneam putat doctiſſimus Baierus, nudo capite eſſe noluit, adeoque galea ornavit; Cupidinem vero Marti alludentem omiſit, aut potius cum Veneris Columbis, quæ in Sarda gemma plane non conſpiciuntur, permutavit. Hæc tamen omnia nihil vetant, quo minus Nobiliſſimo *Ebermayero* ſignificemus, optime ſane ipſum, mercatorii ordinis virum, de antiquitatum ſtudioſis hoc ſuo Theſauro eſſe meritum, Experientiſſimum vero Baierum publico nomine rogemus, ut Gazophylacii inſignis ſeriem alteram, illuſtrium clariſſimorumque hominum capita complectentem, proxime in publicam pariter lucem prodire jubeat.

RAGIONI DEL SIGNOR GIOVANNI CEVA, Commiſſario del Arciducal Camera di Mantoua &c.

i. e.

RATIONES JOANNIS CEVÆ, COMMISſarii Cameræ Archiducalis, quæ Mantuæ eſt, & DORI-

RICELLII MOSCATELLI BATALLIÆ, Præfecti aquarum in illa provincia, contra introductionem Rheni in Padum magnum pugnantes: cum Responsionibus EUSTACHII MANFREDI, Mathematici Bononiensis.

Bononiæ, excudebant Successores Benaccii 1716, fol. Alphab. 1 plag. 15.

REPLICA DI GIOVANNI CEVA &c.
id est,

JOANNIS CEVAE REPLICATIO, SIVE Defensio rationum & demonstrationum suarum, propter quas Rhenus in Padum magnum introducendus non sit: contra Responsiones D. EUSTACHII MANFREDI.

Mantuæ, excudebat Albertus Pazonius, 1717, fol. Plag. 15.

OSSERVATIONI DI EUSTACHIO MANFREDI, &c.
i. e.

OBSERVATIONES EUSTACHII MANFREDI ad Replicationem JOANNIS CEVÆ, de Rheni in Padum magnum introductione.

Romæ, e Typographeo Cameræ Apost. 1717, fol. Plagul. 5.

Rhenus Romandiolæ torrens non tam magnitudine sua celebris est, quam quod multis cultissimis pulcherrimisque terris exitium ac vastitatem vel attulit vel etiamnum minitatur. Ortus Apennino monte per Bononiense territorium fluit, atque inde porro versus Septentrionem progressus, non procul a Ferraria, in Padum fluvium aquas suas olim effudit. Ruptis quidem aliquoties riparum claustris, magno cum accolarum damno proximas implevit valles: sed publicis Du-

cum Ferrarienſium & civitatis Bononienſis initis pactionibus, operaque communi, non una atque eadem via, in Padum identidem reſtitutus eſt: quarum pactionum tabulæ etiamnum reperiuntur. Ipſe vero Padus ſuperiori tempore a Stellata verſus Bondenum fluebat, atque inde urbis Ferraræ meridionale latus ſtringens, in duos dirimebatur ramos, Volanum & Primarenſem. Ceterum a Figeruolo, quod oppidum ad ſiniſtram Padi, e regione Stellatæ ſitum eſt, exiguus quidam ramus, vel foſſa potius, dicta Philiſtina, ad mare pertinebat: ex qua foſſa natus deinceps ille alveus eſt, qui nunc Padus magnus ſeu Venetus appellatur, Pado Ferrarienſi paulo ſeptentrionalior. Quippe poſt celebrem illam rupturam, quæ anno Chriſtiano 1152 in ea ipſa Padi ripa contigit, ubi foſſæ Philiſtinæ principium erat, quam rupturam poſt quinquaginta annos Sichardus quidam Figeruolanus deſtinato conſilio renovavit, ita ſenſim aucta & amplificata eſt illa foſſa, ut ſeculo quinto decimo navigabilis fieret, maximamque aquarum Padanarum partem ad ſe derivaret. Quo factum eſt, ut ramus Ferrarienſis indies magis ac magis minueretur, ſubſidente præſertim & fundum elevante mira limi copia, cui ſuſtinendo atque ad mare ut antea deferendo infracta fluvii vis non amplius ſufficiebat. Neque tamen non toto adhuc ſeculo ſexto decimo ramus ille ſatis magnam aquarum molem vehebat, præſertim in partibus ſuis inferioribus mari proximis, ubi ex ipſis vicinis paludibus multum purioris aquæ continuo infundebatur. Quod vero ad partes ſuperiores pertinet, Stellatam inter & ea loca interjectas, ubi Panarus & Rhenus incidebant, mira quædam res uſu venit. Namque eo tempore, quo plenus ac tumidus erat Padus, aqua in ramum illum, non obſtante elevatione fundi intrabat, atque a Stellata verſus Bondenum & Ferrariam more ſolito labebatur: contra, ubi Padus depreſſus erat, accedente plenitudine Rheni & Panari, non verſus Ferrariam, ſed plane ad partes oppoſitas verſus Bondenum & Stellatam aqua volvebatur, atque ibi in Padum magnum ſive Venetum cadebat. Sequuta eſt territorii Ferrarienſis ad provincias Romanorum Pontificum

Cap.I.p.53.

p.56.

ficum translatio; quo tempore consilium initum est excavandi rami Ferrariensis, ut totus iterum Padus fluere per illum antiquo more posset. Itaque anno 1604, autoritate Clementis IIX, Pontificis Maximi, consilio P. Spernazzati, Rhenus interim exclusus ex Pado, atque in valles illas sive paludes denuo intromissus est, quas jam olim aliquoties occupaverat. Panarus vero ejusque alveus statu, quo erat, relictus & prope Bondenum aggere quodam ita munitus est, ut aqua ejus constanter ac necessario versus Stellatam progredi, & ibi in Padum magnum labi cogeretur. Secari quidem initio ille agger, tempore plenitudinum, solebat, ut effluere per hanc sectionem nimia aqua & pristinam quærere viam posset. Verum quando alveus Padi magni ad omnem digerendam aquam factus esse capax videbatur, neglecta sectio & tanquam supervacanea penitus omissa est. Interim facile intellectum fuit, excavationem Padi Ferrariensis rem non modo difficillimam esse, sed plane talem, quæ fieri non posset: neque tamen eo secius Rhenus ex Pado exclusus permansit. Itaque assignatis vallibus non contentus, aggeres perfringere, fertilissimas terras inundare, depositoque limo suo, cum fundum vallium magnopere elevare, tum orificia illa, per quæ purior ejus aqua in Padum Primarensem antea quasi percolabatur, occludere cœpit: jamque quotannis & altitudine & circumferentia excrescens, non solum Bononiensibus, sed universis pene provinciis, ipsum inter & mare jacentibus, gravis & terribilis imminet. Non defuerunt quidem superiori seculo summa ingenia, quæ de certo & securo remedio huic pesti adhibendo cogitarent, ac consilia sua monumentis exponerent: sed propter perpetuas contradictiones nihil adhuc effici potuit. Prodiit Bononiæ 1682 collectio variorum scriptorum huc pertinentium: & 1715 permissu Clementis XI P. M. relatio edita est duorum Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Ferdinandi Addæ & Francisci Barberini, qui jussu Innoc. XII P. M. munus visitatorum per integrum annum 1693 magna cum diligentia obierunt. Hi quinque recensent lineas vel vias, per quas alii atque alii deducendum in mare Rhenum judicaverunt; sed rejectis ceteris,

cum propter necessariæ declivitatis defectum, tum propter alia incommoda, quæ ista relatione exponuntur, afflictis Bononiensium ceterarumque circumjectarum urbium ac provinciarum rebus, non alio modo consuli posse judicant, nisi in effectum deducendo eorum consilium & sententiam, qui Rhenum in Padum magnum duci voluerunt: quod ipsum cum variis fieri modis & viis posse, tum ea compendiosissime docent, quæ a Cucana ad Padum Ferrariensem, paullo infra Bondenum, pertinet, atque inde porro per alveum Padi Ferrariensis, versus Bondenum (ubi conjungendus cum Rheno Panarus) progrediens, prope Stellatam in Padum magnum desinit. Opposuerant se jam olim tali instituto diu multumque Ferrarienses. Quibus tandem judicio victis, cum nihil deinceps obesse videretur, quo minus res isto modo conficeret, novæ subito a remotioribus provinciis exortæ contradictiones sunt. Quippe clarissimi duo Mathematici Mantuani, Ceva & Moscatellius, scriptis suis, 1716 editis, omni studio id egerunt, ut non modo persuaderent, sed & geometricis rationibus plane cogerent, si Rhenus in Padum Venetum derivaretur, summo id detrimento fore non tam inferiorem Padi partem accolentibus, quam ipsis Mantuanis ceterisque Padi accolis superioribus. Responsum utrique satis copiose est ab Eustachio Manfredio, celebri Bononiensium Mathematico, jam antea in Actis nostris laudato: qui argumentis quoque suis luculentam præmisit historiam de antiquo & recentiori Padi Rhenique cursu, ostenditque, non novam injungi servitutem Pado si Rhenus in eum immittatur, nec provincias superiores causam habere, cur huic rei sese opponant, quæ jam olim aliquoties facta sit, non consultis provinciis illis, & merito quiescentibus: quod etiam paullo ante a nobis ex hac ipsa Cl. Manfredii narratione annotatum est. Sed responsis Manfredii non contentus Ceva, rationes suas alio scripto, acerbiori etiam stylo, defendere suscepit: cui paucissimas tantum quasdam animadversiones, cum supervacanea videretur uberior responsio, opponendas novissime judicavit Manfredius. Hactenus de origine & argumento controversiæ: sequitur ut de rationibus utriusque partis breviter

viter videamus. Et tria quidem ſunt capita, quæ in libro ſuo potiſſimum expendit Ceva, circa Rhenum cum Pado conjungendum: quantitas novæ aquæ, linea inſertionis, & copia immixti limi. Augmentum aquæ in Pado incommodum fore judicat, cum propter exiguam alvei Padani capacitatem, tum propter agrorum colluviaria ſive canales, quorum oſtia vel exitus in Padum deſinentes non parum impedimenti ſint paſſuri. Quod ad capicitatem alvei attinet, reſpiciendum eſſe monet ad diverſos ſtatus Rheni, Padi, & maris: poſſe enim Rheni, poſſe Padi, poſſe maris, ſi per ſe conſiderentur, jam maximam eſſe intumeſcentiam, jam mediocrem, jam conſuetam, jam minimam: qui ſtatus cum multis modis inter ſe conjungi poſſint, relictis iis conjugationibus, quas ſine controverſia noxias eſſe judicat, duas potiſſimum perpendit, atque ad calculos revocare conatur; alteram, ubi mare penitus depreſſum, Padus autem & Rhenus propriis aquis auctiſſimi ſunt, quam conjugationem literis AHI deſignat; alteram, BEI vocatam, ubi Padus per ſe mediocriter plenus, ſed mare vehementer inflatum, itemque Rhenus pleniſſimus eſt. Duo autem ſunt, quæ ad computum ſuum inſtituendum aſſumit: quorum alterum hujusmodi eſt, Rhenum eſſe ad minimum partem undetrigeſimam Padi pleniſſimi, & decimam quintam ejusdem, tum cum maxime ſueta & quotidiana plenitudine exiſtit: alterum in eo poſitum eſt, Padum aſcendere prope pontem di Lago ſcuro (ut vocatur) ad maximam ibi obſervatam altitudinem 35 pedum poſſe, cum propter ſuam ipſius intumeſcentiam, licet mare depreſſum ſit, tum quoque propter maris elevationem, licet ipſe non niſi conſuetas aquas vehat. Quo pacto effici credit, ut in conjugatione AHI incrementum altitudinis Padanæ, ob adjunctum Rhenum, prope pontem di Lago ſcuro, ſi ripæ ſufficiant, $\frac{4}{5}$ ped. ſive unc. $9\frac{3}{5}$ eſſe debeat; in conjugatione autem BEI, $1\frac{1}{2}$ ped. ſive unc. 18: atque id nondum conſiderata elevatione aquarum propter lineam inſertionis Rheni, quippe curſui ac directioni Padi maximopere contrariam, qua de re capite altero tractat. Ad hæc ita reſpondet Manfredius: Si Padus aſcendere prope

p. 6.

12.

64.

prope pontem di Lago scuro ad maximam ibi observatam altitudinem 35 ped. duplici de causa possit, ob propriam intumescentiam, licet mare depressum sit, itemque ob elevationem maris, licet ipse non nimis magnam aquarum copiam vehat, sequi, ut conjuncta causa utraque, ubi & mare altissimum & simul Padus propriis aquis vehementer inflatus fuerit, hic multo altius ascendere quam 35 ped. debeat: sed nunquam fuisse majorem altitudinem observatam: igitur aut nunquam duas illas causas concurisse, aut fatendum esse, unam non sufficere, ad altitudinem istam Padi efficiendam. Ita fieri, ut tum denique, cum & mare & Padus & Rhenus plenissimi fuerint, hoc est, in periculosissima conjugatione A E I, ut a Ceva vocatur, aqua Padana propter intromissum Rhenum, ascendere in ipso loco confluxus 9$\frac{3}{5}$ unicas ultra maximam antea observatam altitudinem 35 pedum debeat. Jam

p. 68. 69. vero rarissime fieri, ut Plenitudines Padi & Rheni concurrant, hoc est, ut conjugatio A E I locum habeat, quippe cum causæ illarum plenitudinum oppido diversæ sint, & Padus quidem circa æstatis initium, liquefactis nivibus Alpinis, Rhenus autem & Panarus, cæterique de hoc genere torrentes, autumno

144. 145. & hyeme excrescere plerumque soleant. Porroque ostendit, a Cardinalibus Adda & Barberino, itemque ab aliis, qui cum iis sentiant, consultum, cautum, statutum esse, si quando primis annis post conjunctionem Padi & Rheni, plenitudines horum fluviorum concurrant, non Rhenum intromittendum, sed sectis aggeribus, ad antiquum Panari exemplum, vel alio modo, excludendum, & in valles Bononienses ad tempus derivandum esse: quo pacto nihil omnino superfit quod timeri a Rheno jure posse videatur. Nam quod ad alias conjugationes pertinet, quamvis incrementum altitudinis Padanæ propter Rhenum majus esse possit, quam 9$\frac{3}{5}$ unciarum, tamen

66. hoc incrementum, quantum id cumque sit, haudquaquam ad altitudinem pedum 35, ad quam in illis conjugationibus Padus sine Rheno non pertingat, sed ad multo minorem, pedum 10 aut 12, addendum esse. Sunt adhuc alia nonnulla, quæ circa demonstrationem Cevæ a Manfredio monentur: sed iis omissis

omissis caput rei nunc considerandum est. Putat enim Manfredius, si ripæ Padi non instar scalæ cujuspiam modo altæ modo depressæ forent, sed ubique justam haberent proportionem, parum vel nihil abesse, quin Padum Rheno auctum, quantumvis tumidum, continere ripæ possent. Quod ut luculenter demonstret, quanta ubique locorum, a Stellata usque ad Papozzam, superficiei Padanæ a summitate riparum, anno 1693 cum tumidissimus esset fluvius, observata fuerit distantia, exponit. Ceterum etiamsi in partibus Padi inferioribus, Stellatam inter & mare sitis, augendæ paullulum ripæ propter adjunctum Rhenum essent, pernegat tamen, in partibus superioribus idem fieri debere, quippe cum elevatio aquæ illuc haud pertingat. Contra ea Cl. Ceva elevationem istam prorsus universalem fore contendit, ita ut in partibus quoque superioribus, non Padi solum, sed & aliorum fluviorum in Padum labentium, propter intromissum Rhenum, augeri ripæ debeant, quo aquam, cui continendæ jam antea vix ac ne vix quidem sufficiant, continere rite possint. Rem ad hunc fere modum approbare instituit. Sit primo canalis quilibet horizontalis, in quo, quantum aquæ continuo effluit, tantundem superne æquabiliter & minus violenter restitui intelligatur; certum est, & ipsius Guilielmini demonstrationibus conveniens, aquam in canali illo fluere, sola velocitate a pressione generata : sed & hoc æque certum Autori nostro videtur, progredi aquam nullo modo posse, ni sectiones, quo remotiores sunt a principio canalis, eo etiam sint liberiores ac minus impeditæ. Crescente autem ista libertate, hoc est, decrescente resistentia, quam aqua inferior sive præcedens exercere versus sequentem solet, crescit necessario effectus pressionis, sive motus & velocitas aquæ, & crescente velocitate decrescit altitudo sectionis: itaque fieri aliter non potest, judice Ceva, quin tota aquæ superficies declivitate quadam versus exitum prædita sit, quamvis Guilielmino & aliis aliter fuerit visum. Jam si impedimentum quodlibet orificio canalis inferiori afferatur, quo exitus aquæ vel minor vel certe minus liber evadat, non dubitandum putat noster, quin effe-

p. 147.

8.9.& Repl. p. 20.


ctus istius impedimenti ad sectiones quasque superiores, interventu mediarum, etsi non nihil debilitatus propagetur, hoc est, ut universa superficies aquæ sensim ac justa proportione ascendat, imminuta quidem tantillum, sed non deposita omni declivitate, sine qua moveri aqua, ut ostensum est, nullo pacto posset. Sit nunc porro idem vel alius canalis (ita pergimus cum Ceva ratiocinari) ad perpendiculum constitutus, evidens rursum est, aquam in eo moveri sola velocitate a descensu acquisita, nec superiorem frenari & impediri ab inferiore, neque hanc vicissim ab illa premi atque ad descensum urgeri. Itaque allato pariter huic canali in partibus inferioribus impedimento quolibet, nullum inde ad sectiones superiores effectum pertinere fas est. Denique sit etiam canalis inter horizontalem & verticalem medius, sive ad horizontem quomodocunque inclinatus, non dubitavit Guilielminus eodem eum habere loco cum verticali, quasi in utroque motus ac velocitas aquæ non a pressione sed a sola inclinatione alvei, atque adeo a descensu proveniret: perperam, judicio Cevæ; quoniam canalis inclinatus de proprietate cum horizontalis tum ad perpendiculum positi participare dicendus est, ita ut regurgitatio aquæ propter impedimentum inferius, ex parte & *quodam respectu* universalis, ex alia vero parte minus universalis, in ejusmodi canali esse debeat. Quo illud tandem efficitur, ut omnes fluvii non præcipiti alveo delabentes, qui de proprietatibus canalium horizonti parallelorum plurimum participant, & cumprimis Padus, cujus fundus ad sensum plane horizontalis est, si vel mare intumescat, vel alius fluvius intromittatur, vel denique impedimentum quodlibet inferius existat, in omnibus suis partibus superioribus notabiliter ascendere, atque elevatiori superficie fluere cogantur. De cetero si cui minus verisimile videatur, aquam fluminum inferiorem seu præcedentem resistere superiori atque ejus motum frænare & coercere; eum & demonstratione mathematica in priori scripto, & ipsa experientia in posteriori convincere laborat Ceva: nam quod per rupturas in ripis fluviorum quandoque contingentes multo celerius effluere aqua solet, quam

Repl. p. 27.

ante rupturas illas in ipsis alveis progressa fuit, immo vero quod per rupturam superiorem magis acceleratur aquæ elabentis motus, quam per æqualem inferiorem, id quidem satis testari de sententiæ suæ veritate arbitratur. Diximus de argumentis Cevianis: quorum vim breviter & luculenter (ni fallimur) expressimus. Nunc etiam Manfredio commodanda manus, videndumque est, quomodo vir doctissimus contra adversarium, qui alias ipsi mira obscuritate ratiocinia sua involvisse videtur, disputet. Sic autem rationem concludit: Si propter impedimentum quodlibet inferius, veluti propter intumescens mare, intumescere Padus aut similis amnis per totam suam longitudinem deberet, fieri aliter non posset, quin ab accolis quibusque superioribus cum extraordinarii tum quotidiani maris æstus accurate & satis prompte observarentur: at nemo unquam se hoc expertum esse dixerit; non igitur regurgitatio elevati maris per totum fluvium extenditur, sed in partibus a mari aliquantum remotis exigua, tandemque prorsus nulla est. Quod ut eo luculentius constet, sit A B (Fig. I.) libella maris depressior, quacum superficies fluvii

p. 80. 81.

Fig. I. p. 82. 83.



AC in puncto A concurrat; sitque DE fluvii illius fundus, qui perinde ut superficies declivitatem ac figuram quamcunque habeat. Quod si jam mare elevetur, ita ut ejus libella ad HG ascendat ibidemque quiescat, necessum omnino erit, ut etiam superficies fluvii circa ostium AE ad minimum usque ad H simul elevetur. Ducta igitur linea HM parallela ipsi AC, facile demonstratu est, superficiem fluvii elevati, (dummodo superne eadem aquæ copia constanter suppeditari ponatur) posituram HM acquirere & conservare non posse, nedum altiorem & magis inclinatam. Sit enim, si fieri potest, HM superficies fluvii elevati, abscindaturque KE=AH, & concipiatur fundus KP fundo DE similis ac parallelus: quo facto evidens est, a fluviis MH KP & CAED, quippe magnitudine & positura prorsus æqualibus, cum per ostia HK, AE, tum per quaslibet alias sectiones æquales & æqualiter constitutas, æquali tempore æqualem aquæ copiam transmitti debere: igitur cogitatione jam iterum remoto fundo KP, necessario plus aquæ transmitti debebit a fluvio elevato MHED, quam ab eodem nondum elevato CAED. At non plus aquæ fluvio illi quam huic constanter suppeditari posuimus. Ergo superficies MH minime poterit in situ illo permanere, sed necessario subsidebit, ac minus declivis facta cum priori superficie CA in puncto quodam O concurret. Quod punctum observatione determinatum in Pado a peritissimis hominibus est, ut qui regurgitationem maris in isto fluvio, tum cum mare vehementer inflatum & Padus contra parum plenus esse solet, ad locum pertingere 14 milliaria Italica infra Stellatam situm, alio vero tempore in multo inferiorem, jurati edixerunt. Jam quod dictum est de elevatione maris, pari fere jure transferre ad augmentum fluvii propter immissum alium fluvium licet; nisi quod hic etiam ad velocitatem fluvii immissi diligenter attendendum videtur. Quapropter Cl. Manfredius, ut quam accuratissime ostendat, quousque augmentum illud in fluvio recipiente pertingere ad summum

Observ. p. II.

mum valeat, hoc modo rem aggreditur. Sit A B (Fig. 2.) superficies fluvii antequam alius fluvius intromittatur: p. 91. Fig. 2.




Fig. 2.

quo in C intromisso, ascendat ibi aqua usque ad D, progrediens ad partes inferiores cum superficie D E: sit autem recta D F æqualis altitudini, ex qua decidens aqua eam accurate velocitatem acquireret, quam aqua fluvii intromissi in puncto confluxus habet: ducaturque F A, horizonti parallela, occurrens superficiei C A in A. Quibus ita constitutis, certissimum esse asserit, A esse terminum illum, quem non modo non superare, sed ne quidem attingere regurgitatio aucti fluminis queat. Igitur facta ad Padum & Rhenum justa applicatione, scire licet, regurgitationem Rheni, in Pado minus tumido, ultra 12 millaria Italica extendi versus partes superiores non posse, in tumido vero ne quidem ad tria. Hactenus unum caput controversiæ, quæ Manfredio cum Ceva intercedit. Longum esset cetera eodem modo recensere: igitur ea paucissimis tantum attingemus. Et fluxum quidem aquæ per agrorum canales, qui in Padum fluvium, & maxime in partes ejus superiores, inferuntur, nisi rarissime atque ad brevissimum tempus, impediri propter adjunctum Pado Rhenum non posse, luculenter ostendit Manfredius. Quod autem ad lineam directionis pertinet, quacum inferendus in Padum

93. 94.

100.

103. 104.

Padum Rhenus est, prorsus errare Cevam docet, qui lineam illam fluxui & directioni aquarum Padanarum magnopere contrariam imaginetur: quippe cum constitutum sit, prope Stellatam, paullulum infra illum locum, ubi nunc insertus est Panarus, Rhenum Panarumque ita introducere, ut angulus, inter lineam directionis horum fluviorum & lineam directionis Padi interceptus, quam acutissimus fiat: quod terris adjacentibus magno fore commodo affirmat. Objectum

p. 29. etiam illud erat, si Rhenus in Padum ducatur, futurum esse, ut via Padi, propter inevitabiles riparum corrosiones, tortuosior & longior evadat, quin etiam ut longius in mare extendantur ostia Padi, deposito ante illa limo, cujus quidem satis magnam advehi copiam a Rheno constat: quo fieri, ut imminuta fluminis declivitate, propter auctam longitudinem, elevatio atque intumescentia simul augeri necessario debeant. Sed quamvis concedat Manfredius, loca flexuum &

110. corrosionum mutari a Rheno tantillum posse, ipsum tamen Padum tortuosiorem longioremque quam antea fieri debere, adeo negat, ut potius, propter auctam aquarum vim, breviorem & magis rectum evasurum contendat. Ostia vero Padi,

112. quæ jam sine Rheno quotannis aliquanto longius in mare extendi consueverint, adjuncto illo torrente, trium spatio seculorum, ad summum per unum milliare Italicum ulterius prolongari debere docet; qua ex re satis magna quidem commoda, non aliud vero incommodum nasci posse existimat, nisi ut ripæ Padi inferiores, trium seculorum spatio, 6 unciis cir-

26. 29. 30. citer augendæ sint. Restat unicum argumentum, quod Moscatellius potissimum urget, contra introductionem Rheni in Padum: futurum enim prædicit, ut conjunctis istis fluviis, non ostia modo Padi prolongentur, sed & ipse communis alvei fundus arena limoque compleatur & maximopere elevetur. Quod idem in ramo Ferrariensi, post novissimam Rheni introductionem, usu venisse, magno cum accolarum damno

115. urget. Sed iterum ostendit Manfredius, tantum abesse, ut, conjuncto Pado Rhenoque, communis alveus repleri terra atque arena possit, ut potius, ob auctam aquarum vim & copi-

am,

am, magis magisque excavari purgarique debeat. Nam & in omnibus orbis terrarum fluviis fieri consuesse, ut alvei eorum semper eo magis excaventur, quo plures alii fluvii illabuntur, & ipsum Padum Ferrariensem, non propter immissum Rhenum, sed propter enatum ramum Venetum, atque adeo propter imminutam aquarum vim, oppletum arena & elevatiore fundo præditum esse: porroque eorum opinionem nulla niti verisimilitudine, qui Rhenum multo magis turbidum quam alios torrentes, quos Padus recipit, immo vero talem judicent, cujus plus quam tertia pars terra mixta arenæ sit: hos non attendere, si vera esset ipsorum sententia, quindecim annorum spatio plus quam integra pertica imminui altitudinem illarum regionum debere, quæ aquam Rheno suppeditare soleant. Confutatis hoc modo argumentis adversariorum, exemplo Panari rem totam illustrare, ac veritatem sententiæ suæ in clarissimam collocare lucem conatur Cl. Manfredius. Nam cum torrens iste, qui vel æqualis Rheno vel etiam major sit, neque aquas minus turbidas vehat, nec rarius plenus tumidusque existat, neque in alium fluvium aut alio loco illabatur, quam ubi introducendus est Rhenus, nec denique ulla propemodum alia re, nisi nomine, a Rheno differat; cum, inquam, hic fluvius, postquam introductus esset in Padum magnum, communem alveum haudquaquam terra oppleverit, immo vero magis excavatum præstiterit, ita ut accessu suo non modo non auxisse, sed & imminuisse Padi intumescentias videretur, nullum posse dubium esse, quin idem a Rheno expectari debeat. Negat quidem hanc conclusionem Ceva, atque ita existimat, tum cum Panarus in Padum duceretur, fundum hujus fluvii talem fuisse, qui magis excavari potuerit, nunc ita excavatum esse, ut profundior fieri nequeat: sed hoc gratis asseri Manfredius contendit, prætereaque in observationibus suis contra posterius Cevæ Scriptum, ad visitationem, anno 1716 institutam, provocat, qua Padum Venetum adhuc post annum 1693, hoc est post inspectionem ab Adda & Barberino factam, profundiorem evasisse constat. Ergo nihil esse certius arbitratur, quam fundum fluvii istius etiamnum, crescente

p. 125. 121. 127. 132. 133. & Obs. p. 5.

te copia & vi aquarum, magis magisque excavari posse ac debere. Quæ cum ita sint, introductionem Rheni in Padum æquissimum esse institutum concludit: cui in posterum obstinate resistere, nihil aliud foret, quam pulcherrimos terræ tractus perpetuo & irreparabili exitio damnare, idque sine ulla justa causa, propter panicum quendam & a ratione prorsus alienum timorem: erepto & negato isthac ratione Bononiensibus eo jure, quod & natura & pactis & præscriptione ipsis competere certum sit: quo jure tamen eos tam moderate usuros esse innuit, ut nihil repugnaturi sint, quo minus, si quid damni ex introductione Rheni sui in Padum ad provincias alias redundaverit, continuo iste torrens ex Pado in perpetuum tempus rursum excludatur.

p. 163.

150.

N. B. RESPONSIO AD ART. VII. TOM. XXXI. Diarii Eruditorum Italiæ.

Cum controversiæ literariæ non solum *cum debita moderatione*, sed & *cum debita sinceritate* tractari debeant, ut eo citius & facilius scopum earundem, h. e. veritatis cognitionem assequamur; non sine stupore intellexi, doctissimum Fagnanum objectiones meas, quas in privata ad me epistola *eruditissimas observationes* vocaverat, nunc publice *erroris* redarguere, meumque ratiocinium appellare *fiacco entimema*, & cum antea scripserat, se nihil in meis observationibus deprehendere, quo offenderetur, nunc ab imaginaria propositionum mearum falsitate offendi. Optavissem sane, ut pari mecum civilitate egisset, & ea, quæ dicenda habuit contra objectiones meas, (quas priusquam publici juris fierent cum ipso communicavi) similiter mecum ante, quam cum publico, communicavisset. Hac enim ratione effecisset, ut aut ego animadversiones meas in ipsius Theorema suppressurus fuissem, aut ut ille, agnita per responsionem meam earundem veritate, animum litigandi fuisset depositurus. Doleo igitur quam maxime, quod ille, victoriæ securus, verum animi sui sensum circa oppositiones meas mihi dissimulaverit, remque inter nos publice

ce maluerit quam privatim agi, neque adeo coegerit ostendere publice debilitatem defensionis, quam opposuit argumentis meis, quorum igitur vim ac soliditatem breviter & quam fieri poterit moderate probatum ibo.

Duo sunt quæ præcipue opposui contra *Theorema Fagnani*; I. quod æquatio ista $dy : y^{m:n} = x^{t:u} dx : (\frac{n}{u} \int X x^{nt:u} dx + K)^{1:n}$ non possit esse vera integralis hujus $X dy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$, ad quam supponit perventum fuisse sine suppositione differentialis constantis. II. Quod sit impossibile pervenire ad æquationem hanc posteriorem sine suppositione alicujus differentialis constantis, excepto casu quando $c = -b$. Prius probavi ex eo, quod æquatio ipsius integralis de novo differentiata sine assumta differentiali constante non producat æquationem differentialem propositam; Posterius ex eo, quod æquatio $X dy^n : y^m dx^{n-1} = \frac{adx}{x} + \frac{bddx}{dx} + \frac{cddy}{dy} + \frac{fdy}{y}$ non possit perfecte integrari, nisi sumatur quantitas aliqua differentialis pro constante, aut nisi sit $c = -b$. Ad prius respondet Fagnanus negando propositionem hanc fundamentalem, quam ego *Axioma nobilissimum* appellavi, *quod omnis æquatio, quæ integralis est alicujus æquationis differentio-differentialis, ad quam perventum fuit sine suppositione quantitatis alicujus differentialis constantis, iterum differentiata etiam sine suppositione alicujus differentialis constantis debeat restituere eandem illam æquationem differentio-differentialem*; in cujus veri axiomatis locum ipse substituit hanc propositionem: *omnis æquatio, quæ est integralis, iterum differentiata debet restituere eandem æquationem differentialem secundi gradus aut aliam æquivalentem*; ubi per æquationem æquivalentem intelligit talem, quæ vi quantitatis alicujus differentialis assumtæ pro constante, in illam, cujus æquivalens dicitur, transformari potest. Ad posterius respondet, meum ratiocinium, tametsi probet æquationem nostram differentio-differentialem perfecte integrari non posse sine assumtione quantitatis alicu-

jus constantis compositæ ex dx & dy, propterea non probare impossibilitatem perveniendi ad æquationem prædictam differentio-differentialem, si *antecedenter* pro constante non assumta fuerit eadem quantitas illa differentialis. Quam longe autem a veritate aberrent istæ responsiones, facile intelligent ii, qui *quid sit æquatio differentio-differentialis ad quam perventum est sine suppositione alicujus differentialis constantis, & qualem mutationem producat in integrationibus & differentiationibus suppositio differentialis constantis*, cognoscunt; quam rem in gratiam eorum, qui eam nesciunt vel se nescire simulant, explicabo.

Si proponantur plures quantitates variabiles A, B, C, D, &c. quæ mutua relatione a se invicem dependeant & continuo motu crescant vel decrescant, & ipsarum incrementa vel decrementa momentanea respective designentur literis a, b, c, d, &c. æquatio, quæ exprimit relationem, quæ est inter duas pluresve harum quantitatum a, b, c, d, &c. dicitur æquatio differentialis ejus æquationis, quæ exprimit relationem quæ est inter duas pluresve quantitatum A, B, C, D, &c. & ipsæ quantitates a, b, c, d &c. quibus eodem tempore infinite parvo augentur vel minuuntur quantitates A, B, C, D, &c. dicuntur harum differentialia. Si jam porro fingamus, alio proxime sequenti tempore infinite parvo quantitates illas A, B, C, D, &c. novis incrementis vel decrementis augeri vel minui, quæ vocentur $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, &c. differentiæ α-a, β-b, γ-c, δ-d, &c. quæ intercedunt inter ista & priora augmenta vel decrementa a, b, c, d, &c. vocantur quantitatum A, B, C, D, &c. differentio-differentialia, aut differentialia secundi gradus, & æquatio, quæ exprimit relationem quam habent inter se ipsæ α-a, β-b, γ-c, δ-d, &c. dicitur æquatio differentio-differentialis aut differentialis secundi gradus, cujus respectu æquatio quæ exprimit relationem ipsarum a, b, c, d, &c. dicitur integralis; quemadmodum & hujus integralis vocatur æquatio, quæ exprimit relationem inter ipsas quantitates propositas A, B, C, D, &c. Jam autem manifestum est, unumquodque ex differentialibus his secundis α-a, β-b, γ-c, δ-d, &c. diversas denotare quantitates, & diversam ad reliqua habere relationem, prout ipsæ

ipsæ $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, &c. plus vel minus differunt respective ab ipsis a, b, c, d, &c. aut prout ponitur æqualitas vel inter a & α, vel inter b & β, vel inter c & γ &c. Exempli gratia: Intelligamus per A, B, C, D, respective has quantitates $x, xx, ax+xx, \sqrt{(aa+xx)}$, & per a, b, c, d, ipsarum differentialia dx, $2xdx$, $adx+2xdx$, $xdx:\sqrt{(aa+xx)}$; ponamus primo dx esse constantem h. e. esse æqualitatem inter a & α, erunt differentio-differentialia respective o, $2dx^2$, $2dx^2$, $aadx^2:(aa+xx)\sqrt{(aa+xx)}$ h. e. ipsæ α-a, β-b, γ-c, δ-d, eandem inter se habebunt relationem quam habent $o, 2, 2, aa:(aa+xx)\sqrt{(aa+xx)}$; quod si vero secundo velimus ponere $2xdx$ constantem h. e. esse æqualitatem inter b & β, quantitatum A, B, C, D, differentio-differentialia erunt $-dx^2:x$, o, $-adx^2:x$, $-xxdx^2:(aa+xx)\sqrt{(aa+xx)}$, h. e. ipsæ α-a, β-b, γ-c, δ-d, se habebunt ut $r:x$, o, $a:x$, $xx:(aa-xx)\sqrt{(aa+xx)}$, longe aliter quam in præcedenti hypothesi; si autem non determinare velimus, quænam quantitatum a, b, c, d, &c. & $\alpha, \beta, \gamma, \delta$, &c. inter se sint æquales, i. e. si nullam differentialium constantem supponere velimus, differentio-differentialia quantitatum A, B, C, D, erunt ddx, $2dx^2+2xddx$, $addx+2xddx+2dx^2$, $(aaxddx+x^3ddx+aadx^2):(aa+xx)\sqrt{(aa+xx)}$, quæ nullam certam & determinatam relationem, ut in prioribus casibus, inter se habent ob incertam rationem quam habet ddx ad dx^2. Hinc consequens est, æquationes differentio-differentiales, quæ exprimunt relationem quam habent inter se certarum quantitatum differentialia secundi gradus, pro diversa hypothesi alicujus differentialis constantis, non *æquivalentes* sed *diversas* esse, exprimunt enim diversarum quantitatum diversas relationes, adeo ut si supponamus e. g. nos pervenisse ad aliquam æquationem differentio-differentialem, quam nominemus F, ponendo hanc, vel illam, vel nullam differentialem constantem, & hujus æquationis integralem vocemus G, necesse sit, ut æquatio ista G iterum differentiata, ponendo respective hanc, vel illam, vel nullam differentialem constantem, producat eandem æquationem differentio-differentialem F; neque sufficit, si ponamus ad æquationem F perventum fuisse sine suppositione alicujus differentialis constantis, ut æquatio G differentiata producat aliquam

æquationem, quæ vi adhibitæ alicujus differentialis constantis in æquationem F transmutari possit; sed quemadmodum æquatio F, ad quam perventum est sine suppositione differentialis constantis, est æquatio generalis, quæ admittit omnes suppositiones differentes, & quæ complectitur omnes casus particulares pro diversis hypothesibus differentialis constantis, ita quoque æquatio G differentiata exhibere debet eandem æquationem generalem F, quæ accommodari possit non uni tantum hypothesi particulari differentialis constantis, sed omnibus quas effingere possumus. Uno verbo, si æquatio G est *integralis* æquationis generalis F, sequitur vicissim, quod æquatio generalis F debeat esse *differentialis* æquationis G. Quicunque definitionem terminorum intelliget, non minus pro *Axiomate* habebit hanc propositionem, quam istam: Posito quod Paulus sit Pater Petri, sequitur quod Petrus sit Filius Pauli; res utrobique eodem modo se habet; patet igitur quid sentiendum de responsione Fagnani ad primam meam objectionem. Pergo ad secundam.

Si Fagnanus contendit possibile esse, ut excepto casu quando $c = -b$ quis perveniat ad æquationem $Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$ sine suppositione differentialis *constantis*, melius respondere non possum, quam rogando illum, ut exemplum vel solutionem alicujus Problematis proferat, ubi ad talem æquationem sine suppositione differentialis constantis perveniat; si hoc præstare possit, victas dabo manus. Ego dixi & etiamnum dico, hoc fieri non posse, ideo quod in integratione prædictæ æquationis aliqua differentialis constans assumi debet, nisi fuerit $c = -b$, hoc enim signum est, jam antea in inventione illius æquationis differentio-differentialis aliquam differentialem constantem fuisse adhibitam. Hæc duo revera *inter se servant connexionem essentialem & nodum indissolubilem*; sed cur hoc? Ideo quia in omni integratione æquationum differentialium secundi gradus non possunt plures simul quantitates differentiales, sed una tantum pro constante assumi, nempe illa, quæ in præcedenti differentiatione pro constan-

te adhibita fuit, adeo ut necesse sit, ut ille qui mihi proponit integrandam æquationem aliquam differentio-differentialem mihi dicat, quam differentialem constantem sive quam quantitatem uniformiter fluentem ipse in æquatione sua intelligat, ut ego eandem significationem differentialium in integratione retinere & paralogismum evitare possim; aut si dicat, æquationem suam nullam præsupponere differentialem constantem, necesse est ut ad eandem æquationem integralem perveniam supponendo constantem aut nullam differentialem, aut aliquam pro lubitu sive hanc sive illam. In nostro autem casu res hoc modo non succedit; quippe æquatio Fagnani, ipso fatente, si nulla sumatur differentialis constans, plane integrari non potest, neque exhibet unam eandemque æquationem integralem in omnibus quæ fieri possunt suppositionibus differentialis constantis; fieri autem posse ejusmodi suppositiones numero infinitas, quæ conducunt ad æquationes integrales toto genere ab invicem differentes, mox exemplis aliquot probabo, postquam prius ad objectionem aliquam ridiculam respondero, quam Fagnanus per modum interrogationis ita proposuit: „Oblecro, quid absurdi continetur in ista proportione dx^m : „$dy^m :: \frac{X}{y^m} . \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$? secundus ejus terminus „homogeneus est cum primo, & quartus terminus est finitus „sicuti tertius; quin imo idem quartus terminus æque est intel„ligibilis, ac foret si in locum $\frac{cddy}{dxdy}$ scriberetur $\frac{-bddy}{dxdy}$" Respondeo, quod quis simili modo negare posset, esse aliquid absurdi in hac proportione, *latus quadrati est ad diagonalem ut 3 ad 2*; ubi secundus terminus homogoneus est cum primo, & quartus terminus est numerus finitus sicuti tertius. Aut ut per exemplum nostro casui magis simile respondeam, rogo vicissim Fagnanum, annon sit absurdum dicere, quod sine suppositione differentialis constantis ad sequentem æquationem differentialem secundi gradus, naturam alicujus curvæ exprimentem, pervenire possimus: $y^3ddy - aayddy = aady^2$, ubi per y intelligo ordinatam curvæ alicujus, & per dy & ddy ejus dif-

 feren-

ferentialia prima & secunda; respondere certe debet Fagnanus hoc esse impossibile, quomodo enim in ista æquatione abscissa, quam vocare volumus x, cum suis differentialibus dx & ddx, evanescere potuisset, nisi aliqua differentialis primi gradus constans & aliqua secundi gradus æqualis nihilo supposita fuisset? Attamen ista æquatio in sequentem proportionem resolvitur: $y+a.a::\frac{a}{y-a}.\frac{yddy}{dy^2}$, cujus secundus terminus est homogeneus cum primo, & quartus est finitus sicuti tertius. Dicendum igitur est, quod quemadmodum prædicta æquatio $y^3ddy-aayddy=aady^2$ (quæ pro varia hypothesi differentialis constantis variis Curvis satisfacit, in specie autem, quando dx constans supponitur, Ellipsi vel Circulo; quando autem elementum Curvæ $\sqrt{(dx^2+dy^2)}$ constans ponitur, Catenariæ vulgari aliisque Curvis mechanicis) necessario præsupponit differentialem constantem, ita etiam æquatio $Xdy^n:y^m dx^n=\frac{a}{x}+\frac{bddx}{dx^2}+\frac{cddy}{dxdy}+\frac{fdy}{ydx}$ præsupponat differentialem constantem, excepto casu quando $c=-b$, non quidem ob eam rationem, quod alioqui termini proportionis $dx^n.dy^n::\frac{X}{y^m}.\frac{a}{x}+\frac{bddx}{dx^2}+\frac{cddy}{dxdy}+\frac{fdy}{ydx}$ forent heterogenei, sed ob aliam rationem, ad quam intelligendam oportet scire paulo plus quam homo ille, quem Fagnanus supponit *prorsus ignarum calculi differentialis*, i.e. oportet scire paulo plus quam *solum significatum ipsarum x, y, earumque differentialium primi & secundi gradus.* Ut autem Fagnanum penitus erroris sui convincam, demonstrabo novo modo & directe, propositiones has duas, ***Ad æquationem*** $Xdy^n:y^m dx^n=\frac{a}{x}+\frac{bddx}{dx^2}+\frac{cddy}{dxdy}+\frac{fdy}{ydx}$ ***perventum est sine suppositione differentialis constantis, & quantitas c non est*** $=-b$, esse contradictorias & simul stare non posse. In hunc finem præmittam sequens Lemma: ***Omnis æquatio differentialis secundi gradus, in qua dx est variabilis & dy constans, transmutari potest***,

potest, salva æquatione integrali, in aliam in qua dx est constans & dy variabilis, scribendo pro ddx hunc valorem $-dxddy:dy$. Hujus theorematis demonstrationem perfacilem olim cum amicis communicavi, aliam inveniet Fagnanus in Celeberrimi Geometræ Angli Brook Taylor *Method. Increm. Prop. 3.* ad quam ipsum remitto. His præmissis sic arguo: Quia ad æquationem $Xdy^n:y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$ perventum est sine suppositione differentialis constantis, possum pro arbitrio sumere dy aut dx constantem; in prima igitur suppositione posito $ddy = o$, erit $Xdy^n:y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{fdy}{ydx}$, in posteriore autem posito $ddx = o$, erit $Xdy^n:y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$. Sed, per Lemma præmissum, æquatio prioris suppositionis, scribendo $-dxddy:dy$ pro ddx mutatur in hanc $Xdy^n:y^m dx^n = \frac{a}{x} - \frac{bddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$, in qua dx, constans & $ddx = o$, quæ debet congruere cum æquatione posterioris suppositionis, cum igitur in utraque omnes termini præter $\frac{cddy}{dxdy}$ & $\frac{-bddy}{dxdy}$ sint iidem, sequitur quod & hi æquales esse debeant, quapropter necessario $c = -b$; sufficienter igitur demonstratum puto, quod Fagnanus, supponendo ad æquationem sæpius citatam $Xdy^n:y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$ perveniri posse sine suppositione differentialis constantis, & casum quando $c = -b$ a theoremate suo excipiendo, supposuit duo contradictoria, quæ simul stare non possunt.

Superest ut (quod supra promisi) ostendam, innumeras in nostro casu suppositiones differentialis constantis fieri posse, quæ conducunt ad æquationes integrales toto genere & ab invicem & ab æquatione integrali a Fagnano allata differentes. Ad hoc probandum sufficit afferre aliquot exempla pro illo ipso casu particulari, quem jam in Diar. Ven. art. 5 Tom. XXIX considе-

ſideravimus, ſcilicet quando $X=x$, $m=1$, & ſingulæ a, b, c, f, n, $=1$; proponatur nempe integranda æquatio $xdy:yy=\frac{dx}{x}+\frac{ddx}{dx}+\frac{ddy}{dy}+\frac{dy}{y}$; dico nullam dari certam æquationis hujus integralem, ſed pro innumeris quæ fieri poſſunt ſuppoſitionibus differentialis conſtantis innumeras quoque dari hujus æquationis æquationes integrales. Ex. gr. ſi ponamus $xxdxdy:yy$ conſtantem, æquatio integralis erit $y^3:x-\frac{1}{2}yy=$ conſtanti; ſi ponamus $y^5dxdy:xx$ conſtantem, æquatio integralis erit $y^{4:5}:x+y^{1:3}=$conſtanti; & generalius ſi ponamus $x^py^q\,dxdy$ conſtantem, ubi p & q ſignificent numeros quoscunque, æquatio integralis evadet $x^{-1}y^{(q-1)}:(1-p)+y^{(p+q-2)}:(1-p):p+q-2=$conſtanti. Item alio modo ſi ponamus $xxy^{q+r}dxdy:(by^q+y^r)$ eſſe conſtantem, ubi valores ipſarum b, q, r, ſunt arbitrarii, æquatio integralis erit $y^{-q}:q+x^{-1}y^{-q+1}+by^{-r}:r+bx^{-1}y^{-r+1}=$conſtanti; & ſic innumeræ aliæ ſuppoſitiones fieri poſſunt, quæ conducent ad innumeras æquationes pro curvis tam algebraicis quam mechanicis. Ex his igitur manifeſtum eſt, Fagnanum multipliciter errare; I. quando nempe putat æquationem hanc $dy:y^{m:n}=x^{t:u}dx:\left(\frac{n}{u}\int Xx^{nt:u}dx+K\right)^{1:n}$ eſſe ſolam & perfectam integralem ſuæ æquationis $Xdy^n:y^mdx^n=\frac{a}{x}+\frac{bddx}{dx^2}+\frac{cddy}{dxdy}+\frac{fdy}{ydx}$; tum II. quando pag. 72 aſſerit, *che per giungere alla perfetta integrazione dee prenderſi queſta conſtante* $x^{t-a}y^{mu:n}fdx^{u-b}dy^{-c-u}$, in quo ſibi ipſi contradicit, nam in art. XI Tom. XXVII dixit, & recte quidem, licitum eſſe ponere conſtantem quam libuerit; tum III. quando aſſerit in fin. pag. 77, aſſumtionem differentialis conſtantis in noſtro caſu non determinare eſſentiam Curvæ quæſitæ; nonne debebat ipſe (ut ejus verbis utar) *riflettere, che l' influſſo della coſtante aſſunta è valevole à produrre varj fenomeni nel mondo intelligibile*

In una parte più, e meno altrove.

Niſi

Nisi tæderet me in re tam facili & a Tyronibus vix ignorata diutius versari, alia quædam circa objectiones reliquas Fagnani monere possem, sed qui quæ hucusque dicta sunt recte perpenderit, & illas falsas nulliusque momenti esse facile sibi persuadebit. Unicum tantum adhuc adnotabo, nempe ipsum errare, quando quasi triumphans defensionem suam ita finit: *Mi dò à credere, che questa risposta sia per appagare i lettori;„ mà se per avventura alcuno di essi la reputassi invalida, sappia, che resta sempre illesa l' interna sostanza della mia invenzione; poiche dal mio combattuto teorema nasce immediamente questo corollario incontrastabile, che:* L'integrale dell'„ equazione $(1) Xdy^n : y^m dx^n = \frac{a}{x} + \frac{bddx}{dx^2} + \frac{cddy}{dxdy} + \frac{fdy}{ydx}$ è l'equazione„ $(4)\ dy : y^{m:n} = x^{t:u} dx : \left(\frac{n}{u}\int Xx^{nt:u} dx + K\right)^{1:n}$, supposto, che„ prima di giungere all' equazione (1) siasi presa per costante„ la quantità differentiale $(3) x^{t-a} y^{mu:n-f} dx^{u-b} dy^{-c-u}$. *Jo vorrei„ sempre ingannarmi, se mi fosse concesso dedurre da' miei errori„ simili verità.„* Hæc propositio non nascitur tanquam corollarium ex theoremate Fagnani, sed vice versa Fagnanus ex ista propositione theorema suum deduxit, i. e. *ex propositione particulari per inductionem erroneam deduxit conclusionem generalem*, quemadmodum cuilibet apparere potest ex demonstratione, quam theoremati suo annexuit dict. art. XI. Tom. XXVII. Quia vero optat semper falli, si sibi concessum esset deducere ex erroribus suis similes veritates, finiam istam responsionem ostendendo ipsi modum, quo se centies per diem voti sui compotem reddere possit. Sumat nempe æquationem differentialem quamcunque (A) pro curva algebraica vel mechanica, eamque denuo differentiet, ut habeat æquationem differentio-differentialem (B); deinde assumat pro constante quamcunque quantitatem differentialem (C), cujus differentialem (D) ponat $=0$, hujus quantitatis (D) multiplum vel submultiplum quodcunque addat alterutri membro æquationis (B), ut inde proveniat nova æquatio (E). Quibus factis ad modum art. XI Tom. XXVII formare poterit novum

 theo-

theorema dicendo: *Æquationis (E) ad quam ſuppono perventum fuiſſe ſine ſuppoſitione differentialis conſtantis, integralis eſt æquatio (A).*

EXERCITATIONUM SUBSECIVARUM Francofurtenſium

Tomus II Sectio II.

Francofurti ad Viadrum, impenſ. Joh. Godof. Conradi, 1719, 8. Plag. 14.

IN Exercitatione prima *Weſenfeldius* ab intentata Septiciſmi nota *Salomonem* vindicat. Nimirum Anonymus in Obſervationibus Hallenſibus Tom. 8 Obſerv. 13 repetiit argumenta, quibus *Vayerius* probare contendit, *Salomonem* fuiſſe Scepticum. Ad ſingula reſpondere conatur *Weſenfeldius*. Exercitatione ſecunda *Gœlickius* proponit problema: an non omnes febres certam quandam analogiam inter ſeſe mutuo alant ac proinde analogicam quoque tractationem therapevticam ſuo quodam jure expoſtularet. Ipſe affirmativam defendit, ſed ita ut idem aliorum diſquiſitioni ulteriori commendet. Anſam dedit *Brunnerus*, Archiater Palatinus, ob praxin Medicam famigeratiſſimus, qui omnes febres, cujuscunque fuerint indolis, more intermittentium tertianarum per uſum corticis Peruviani curat: cujus methodi felicem ſucceſſum vidit Gœlickius in filio Conſulis Duisburgenſis febri continua & acuta laborante. Idem Exercitatione tertia ſe tuetur adverſus Autorem Relationum (quemadmodum vocantur) innocentium de rebus theologicis antiquo novis, qui deteſtatus fuerat, quod *Johrenii* Anteceſſoris ſui hypotheſin revocaverat, de Chriſto remediis ſubinde naturalibus certos quosdam morbos fugante, & dæmoniacam obſeſſionem non de corporali diaboli hypoſtatica occupatione, ſed de certo quodam morbi genere explicuerat. Exercitatione quarta *Hermannus* ad motus corporum in mediis reſiſtentibus explicandos progreſſus hac vice ſolos rectilineos & a primitive uniformibus variatos inveſtigat. Exhibet canonem generalem, unde cetera derivat, $rdx = -udu$, ubi r reſiſtentiam, x ſpatium

x ſpatium, u celeritatem in termino ſpatii mobili reſiduam denotat. Hinc e. gr. deducit pro deſcenſu corporum a gravitate in medio quocunque reſiſtenti $(g-r)\ dx = udu$ & pro eorum aſcenſu $(g+r)\ dx = -udu$, ubi g gravitatem deſignat. Exercitatione quinta *Reinoldus* de confuſione legis Corneliæ de Sicariis cum Aquilia agit. Tandem *Dithmarus* ex Codice MSC rerum præcipue Weſtphalicarum, qui in manus ipſius incidit & cujus Autorem anonymum circa initium ſeculi ſuperioris ſcripſiſſe contendit, Abbatum Werthinenſium & Abbatiſſarum Eſſendienſium Syllabum Speciminis loco cum rerum hiſtoricarum curioſis communicat, integri operis editionem promittens, ubi intellexerit, excerpta iſta non diſplicuiſſe. Continentur autem in eodem deſcriptiones Ducatuum, Comitatuum & Dynaſtiarum Teiſterbantiæ, Cliviæ, Montium, Marcani, Lymburgenſis, Ravensburgenſis, Lippienſis, Tecklenburgenſis, Lingenſis, Bertheimenſis; Schowenburgenſis, Hoyenſis, Halolonis, Mœrſani aliarumque ditionum, quæ ita deſcribuntur, ut Ducum, Comitum & Dynaſtarum genealogiæ, adjectis illorum inſignibus, ipſarum dein ditionum ac præcipuorum in illis oppidorum & monaſteriorum origines & fata exhibeatur, ſingula vero tum Archivorum, tum veterum Scriptorum fide tradantur atque probentur.

MEMOIRES ET NEGOCIATIONS SECRETTES, &c. hoc eſt,

COMMENTARII DE ACTIS FERDINANDI BONAVENTURÆ, Comitis de HARRACH, Legati Cæſarei, in Aula Hiſpanica, ab A. 1695 usque ad primum tractatum partitionis; Autore DE LA TORRE.

Tomi II.

Hagæ Comitis, apud Petrum Huſſon, 1720, 8. Alph. 1 plag. 22.

EX Præfatione diſcimus, Commentarios hoſce defuntos eſſe

eſſe ex epiſtolis, quas lingua Hiſpanica exaratas ex Hiſpania ad Leopoldum Imp. miſit Harrachius. Harum plures in ipſo opere exhibentur. In eadem præfatione novum promittitur Volumen, quo Autor hiſtoriam aulæ Hiſpanicæ inde a ſecundo tractatu partitionis usque ad pacem Badenſem eſt perſecuturus. Accedimus ad ipſum opus, cujus priore Tomo ſive libro præfatur Autor de pace Pyrenæa, & matrimonio Ludovici XIV cum Maria Thereſia, docetque, Mazarinum hac via uſum eſſe conjungendi olim Hiſpaniam cum Gallia, non obſtante ſplendidiſſima illa renunciatione, quippe cum Mazarinus (conf. Acta Erud. A. 1710 p. 250 ſq.) non injuſtum duxerit, pacta facere cum reſtrictione mentali. Hinc, quid ſecuto tempore a Galliæ Rege actum ſit in Belgio, ediſſerit, addens, Regis Hiſpaniæ matrem ſummopere faviſſe ſucceſſioni filii Electoris Bavariæ, at Cardinalem Portocarrerum Carolo, hodierno Imp. Rom. ſucceſſionis jus adjudicaſſe. Inter hæc quieſcebat aula Viennenſis, magnopere admirantibus ejus ἀπραξίαν Principibus omnibus ac Rebusp. Auſtriæ faventibus. Poſtea vero quam erepta humanis rebus fuiſſet Regis Hiſp. mater, fervente adhuc bello, ſtudioſiſſime in id incumbendum ſibi cenſuerunt Auſtriaci, ut, antequam bellum componeretur, ſucceſſor in regno Hiſpaniæ declararetur Carolus Archidux. Hoc fine Comes Harrachius cum *Inſtructione* ſive Mandatis, quæ hic p. 48. ſqq. exhibentur, in Hiſpaniam mittebatur. Delatus is Madritum aulam reperit perturbatiſſimam, cum ob frequentes Regis morbos, tum ob inſtantem a Gallis obſidionem Barcinonis. Ceterum Cardinalis Portocarrerus, domus Auſtriacæ fautor maximus, ſtatim venit ad Harrachium, eique ſtatum aulæ Hiſpanicæ fideliter expoſuit. Scilicet Regina, inquiebat, Regem habet in ſua poteſtate: Admiralis Caſtellæ non quidem nomen ac titulum, ſed tamen poteſtatem atque autoritatem habet Miniſtriſſimi: Cardinalis Portocarrerus, Cardinalis Cordubenſis, Dux Montaltius, & Comes Aquilarius, Auſtriacæ domui ſunt addictiſſimi: Comes Oropeſanus favet domui Bavaricæ: denique Comes de Monterrey domui Burbonicæ ſive aulæ Gallicæ optime cupit.

p. 65.

Paulo

Paulo post Harrachius Regem ac Reginam salutans, utrumque deprehendit adjuvare paratum successionem Caroli Archiducis. Inter hæc A. 1697 mense Augusto Galli potiebantur Barcinone: quæ res adeo frangebat Hispanorum animos, ut Rex inducias a Gallis peteret in duos menses, nec Harrachius, quo minus id fieret, impedire posset. Ideo is Imperatori perscribebat statum Hispanicæ aulæ, simul rogitans, ut Imp. in Hispaniam mitteret Carolum Archiducem, cujus præsentia permotura videatur Regem ad declarandum eum successorem suum. Nam & Regina dixerat Harrachio, omnino necesse esse, ut Archidux veniat in Hispaniam, quamprimum advenerit decem militum millibus stipatus, declarandus Regis successor. Nec ullam ea admittebat excusationem Harrachii. Unde ipse Harrachius in epistola ad Imp. d. 13. Sept. A. 1697 data scribebat: *Hæc est culpa nostra, Domine, quod non fuit missus superiori anno Archidux in Hispaniam.* Eodem tempore Cardinalis Portocarrerus rogabat Reginam, ut permoveret Regem ad Archiducem ante, quam pax fieret, declarandum successorem. Idem Reginæ suadebat, ut confestim Imperatori scriberetur, ut sine mora Archiducem mitteret in Hispaniam. Probabat ipse Rex hocce consilium, Cardinalemque ea de re agere jubebat cum Harrachio. Credebat Cardinalis, consilium illud Harrachio fore gratissimum, eoque magis obstupescebat, cum Harrachius infinitas huic rei objiceret difficultates, maximeque urgeret, ut Regis Hispaniæ sumtibus alerentur milites Archiducem in Hispaniam secuturi. Imo plane indignabatur Portocarrerus, se mirari dicens, quod Austriaci ad obtinenda tot regna monarchiæ Hispanicæ graventur impendere sumtus eos, quibus opus sit ad alendos Archiducis milites. Postea tamen idem Cardinalis Regi persuasit, ut decerneret vocare in Hispaniam Archiducem una cum delecta manu Hispanicis sumtibus alenda. Accidit inter hæc, ut Cardinalis Portocarrerus summo exardesceret odio in Admiralem Castellæ, eumque omni auctoritate vellet exui: qua in re cum adversariam nancisceretur Reginam, statuit nunquam redire in aulam. Arripientes istam occasionem Bavari Portocarrerum suas pertrahere

p. 120.

125.

131.

here in partes conabantur. Conclusa interim pace Rysvicensi, Admiralis Castellæ, Austriacæ domui addictissimus, suadebat, ut quamprimum Archidux cum copiis arcesseretur. Idem placebat Principi Darmstadino, qui Madritum redux e Catalaunia confirmabat Harrachio, fore, ut, cumprimum advenisset in Hispaniam Archidux, declaretur Regis successor. Nec dubium erat Harrachio, quin aula Austriaca sit consensura

p. 162. in profectionem Archiducis & copiarum, Regi, Reginæ & Portocarrero probatam. Accidit autem præter opinionem, ut Austriaca aula recusaret mittere Archiducem cum decem millibus militum in Hispaniam. Qua re vehementer permotus Harrachius Imperatori rescripsit gravissimis verbis, quam inconsultum sit illud consilium, quantæque admirationi fuerit hæc detrectatio Reginæ, Admirali, & Principi Darmstadino, qui vitio vertant Imperatori tam noxiam domui suæ tarditatem.

183. Postulabat deinceps Imperator, ut Archidux constitueretur Gubernator Ducatus Mediolanensis, in eumque Ducatum se missurum pollicebatur decem millia militum. At ratio hæc displicuit Reginæ regiisque Ministris eo, quod jam Princeps Valdemontius constitutus esset Gubernator Mediolanensis, cui id munus abrogari non posse videbatur sine crimine ingrati animi. Inter hæc cum copiæ Gallicæ hybernarent in Catalaunia, Galli utebantur occasione conciliandi sibi animos Hispanorum, exososque reddendi Austriacos. Sed Portocarrerus constantem suum erga domum Austriacam favorem Harrachio testatus est: etsi paulo post levissima quædam res, in qua Portocarrero gratificari per valetudinem non poterat

257. Harrachius, Cardinalem illum reddidit alieniorem. Non ita multo post rursus Regina dixit ad Harrachium, Regem esse paratum, Archiducem declarare successorem, modo is veniat desideratis comitatus copiis: ipsam aulam Viennensem in causa esse, cur id, quod velit, non consequatur.

12. *Libro secundo* narratur, in Hispania prodiisse libellum Italice scriptum, quo docebatur, utile fore regno Hispaniæ, si successorem Rex Hispaniæ declararet filium Regis Portugalliæ, cui jure successio hæc debeatur. Nec deerant ex Hispanis, qui

qui libellum istum probarent, Hispaniamque vellent conjunctam cum Portugallia. Interim Harrachius insistebat, ut Archidux constitueretur Gubernator Mediolanensis: sed rejicere pergebat hoc consilium & Regina & Admiralis & Card. Portocarrerus, qui majorem in modum querebatur de tarditate aulæ Austriacæ. Etiam Marchio de Mancera, qui antehac Viennæ fuerat Legatus Hispanicus, liberrime Harrachio dicebat, consiliarios aulæ Viennensis Imperatori consilia dare solere damnosissima, eorumque culpa fieri, ut Harrachii negotiatio non habeat exspectatum eventum. Inter hæc Portocarrerus, Admiralem e gradu suo deturbaturus, Regi persuadebat, ut Confessionario suo, P. Matilla, Admiralis amicissimo, aula ejecto, novum sibi adscisceret Confessionarium: cui Cardinalis Franciscanum quendam adjunxit. Horum uterque Cardinali addictissimus Regis animum accommodabant ad voluntatem Cardinalis, inimicosque se præbebant Admiralis, Reginæ, & omnium his deditorum Germanorum: contra Portocarrerum Regi reddebant carissimum. Hæc dum agerentur, Reginæ instinctu & ex voto Admiralis ejusque amicorum Rex ab exilio ad pristinam dignitatem revocavit Comitem Oropesanum, Præsidem Castellæ, qui a Regina edoctus, se revocatum esse urgentibus Admirali & Harrachio, fidem dedit, se fidelissima officia præstiturum esse domui Austriacæ. Regina vero rursus coram Harrachio questa est, aulam Austriacam non satis sollicitam esse de felici rerum Archiducis successu in Hispania. Ac Heinsius, Pensionarius Hollandiæ, Comiti Stratemanno sæpius dixit, non satis se mirari posse, cur aula Austriaca non mittat rogatu Regis Hisp. Archiducem cum copiis in Hispaniam: addens, si id non fiat, se vereri, ne, qui adhuc Archiduci sint addicti, desperabundi amplexentur eorum partes, qui successorem declarari velint unum e nepotibus Regis Galliæ. Utrumque & Reginæ & Heinsii dictum Imperatori perscripsit Harrachius, cujus filius, successor patri ab Imp. datus, d. 3. April. A. 1698 venit Madritum, ita tamen, ut & pater ibi maneret titulo Legati extraordinarii. Ex hoc tempore Harcurtius, Legatus Gallicus, qui non

p. 17. 55. 60. 64.

non ita pridem Madritum venerat, in colloquiis privatis non timuit dicere, successionem Hispanicam deberi domui Burbonicæ, Regemque Franciæ ad eam sibi asserendam exercitu usurum esse copiosissimo. Inter hæc Rex Hispaniæ, ob Austriacorum tarditatem, quid faceret, incertus, e Card. Portocarrero quærebat, quid faciendum censeret. Is Regi suadebat, ut differret declarationem successoris, donec Imperator postulatas misisset copias: alias Gallos bellum illaturos Hispaniæ nunc nimium infirmæ. Addebat, jus Archiducis satis esse manifestum, nisi quod Electoris Bavariæ filius speciosas habeat rationes sibi jus successionis vindicandi. Rex consilium Cardinalis approbans, statim ipse literas exaravit ad Imperatorem, eique confirmavit, successorem suum fore Archiducem, seque idoneum exspectare tempus, eum declarandi successorem: opus ideo esse, ut mittantur in Hispaniam decem millia militum Germanorum, & ut Imperator Hollandos & Angliæ Regem roget, ut non solum copias Cæsareas in Hispaniam navibus transvehant, verum etiam promittant, se propugnaturos esse declarationem successoris in Hispania. Hoc tempore Nuntius Apostolicus suadebat Reginæ, ut Cardinalem Portocarrerum cum Admirali reconciliare studeret, ipsaque Cardinali se simularet amicam: fore id commodum rebus Austriacis. Regina vero, nimis exosa Cardinalem, Nuntio morem gerere noluit. Rescifcens id Cardinalis, referensque Urracæ, Secretario suo, cui in omnibus erat obsequens, ab hoc excitabatur ad odium contra Reginam pariter ac domum Austriacam. Hac occasione Autor noster vitio vertit Harrachio, quod non sibi conciliarit istius Urracæ amicitiam, cum tamen, id ut faceret, si Cardinalem vellet retinere in partibus Austriacis, fuisset admonitus: item quod P. Moreratam, Regis Confessionarium, aliosque Portocarreri amicos neglexerit. Ac sane brevi post certo documento cognovit Harrachius, Cardinalem Portocarrerum & Reginæ & domus Austriacæ partes repudiasse. Hæc inter in aula Gallica Marchio Torcius Portlandio, Legato Anglico, exponebat consilium de provinciis Hispanicis inter eos, qui

p. 66. 72. 93. 97. 99. 111.

jus ſuccedendi habere ſibi videantur, partiendis: qua occaſione Portlandii vita & fortuna p. 116 ſqq. curate deſcribitur. Notatu dignum, Aſtrologicas prædictiones Regi Galliæ factas ipſum confirmaſſe in ſpe potiundæ Hiſpaniæ. Cum enim A. 1668 Cometa ortus eſſet in Hiſpania, quidam Aſtrologi Galli judicarunt, eum portendere, poſt Caroli II mortem neminem e domo Auſtriaca regnaturum in Hiſpania, ſed Hiſpaniam venturam in poteſtatem Regis Galliæ. Ac jam Harcurtius, inuſitata liberalitate & comitate Hiſpanos Gallis conciliare ſtudens, palam dictitabat, non permiſſurum Regem ſuum, ut domus Auſtriaca heres fiat Hiſpaniæ, ſed velle, ut ſuccedat Electoris Bavariæ filius. Imo Harcurtii artibus adeo deliniti erant Hiſpanorum animi, ut facile appareret, conſenſuros Hiſpanos, ut unus nepotum Regis Galliæ fiat Rex Hiſpaniæ, ea tamen conditione, ut hæc duo regna nullo unquam tempore conjungantur. Reconciliarat etiam Harcurtius gratiam Regis Hiſp. Comiti de Monterrey, vetuſto aulæ Gallicæ amico: quo facto hic omnia fecit, ut ſucceſſionem in Hiſpania transferret ad Gallos. Equidem & Harrachius ſibi conciliavit Comitem Oropeſanum, primarium Regis miniſtrum eumque gratioſiſſimum, qui ipſi promiſit, ſibi curæ fore, ut Archiduci confirmaretur ſucceſſio. Atque hic Oropeſanus ſuadebat Harrachio, ut Toletum iret, & a Rege, qui tum ſanitatis cauſa ibi degebat, peteret, ut ſibi daret Commiſſarium, quocum de ſucceſſione ageret. Addebat Oropeſanus, ipſi datum iri ejuſmodi Commiſſarium, cujus operâ res ex voto ſit ſucceſſura. Non poterat Harrachio ſalubrius dari conſilium: at is propter naturalem timiditatem literis prius ad Reginam datis petiit, ut Toletum venire ſibi liceret: quo facto Regina eum eo venire prohibuit. Hac occaſione Autor noſter diſputat de peccatis ab Harrachio in negotiatione ſua commiſſis, addens tamen & ea, quæ valent ad Harrachium omni culpa liberandum. Simul exponit mores πολιτικωτάτους, quibus uſus Harcurtius, Gallicus Legatus, ſibi ſuæque nationi tantum conciliavit favorem amoremque Hiſpanorum, ut hi palam jactarent, non obſtante Mariæ Thereſiæ re-

p. 123. 124. 139. 141. 147. 151. 158 ſqq. 161 ſqq.

nuntiatione posse succedere in Hispania secundum tertiumve Delphini filium, modo caveretur, ne unquam duo hæc regna, Gallicum & Hispanicum, sub uno Rege conjungerentur. Clamabant etiam, successionem Principis Gallici fore Hispaniæ salutarem, futurumque, ut resp. pariter ac literæ tum floreant. Ceterum hæc populi vox erat. Inter Ministros Regios solus Comes de Monterrey favebat Gallis, sed Austriacæ domui addicti erant Admiralis Castellæ, Comes Oropesanus, & Card.

p. 188. Portocarrerus, triumviri in aula potentissimi. Ac paulo post Rex Ministros suos jussit consultare de successione: quo in consilio Comes de Monterrey liberrimam habens orationem effecit, ut nihil decerneretur. At Comes Oropesanus atque

212. Admiralis Castellæ suadebant Regi, ut Archiduci confirmaret successionem testamento. Quanquam & hoc consilium fuit rejectum, Reginæ, ut videtur, instinctu, quæ penitus in amo-

217. rem aulæ Gallicæ pertracta fuerat ab uxore Harcurtii. Dicitur etiam Harcurtius Regis sui nomine promisisse Reginæ, quod mortuo Rege Hispaniæ Delphinus ipsam sit ducturus, ipsaque retentura sit regimen Hispaniæ durante minorennitate Ducis Andegavensis: ut cetera promissa, Perlipsiæ (hæc erat intima Reginæ amica,) & Confessario Reginæ facta, prætermittamus. Tandem Harrachio dati sunt duo Com-

225. missarii, cum quibus de successione ageret, Oropesanus & Admiralis Castellæ, Austriacorum uterque studiosissimus. Interim Elector Bavariæ filio suo prospiciens Belgium Hispanicum reddebat firmissimum, & Portocarrerus, itemque Comes de Monterrey, hortabantur Regem, ne ante declararet ullum successorem, quam jus filii Electoris Bavariæ fuerit ex-

236. pensum. Imo etiam duo Commissarii, quos diximus, suadebant Regi, ut declarationem successoris differret: & Oropesanus quidem eo fine, ne filio Bavari omnis spes præcluderetur; Admiralis vero ideo, ne ea facta declaratione Rex Gal-

244. liæ Hispaniam vivo adhuc Carolo II invaderet. Hinc Rex Harrachio dici jubebat, nondum licere Regi Archiducem solenniter declarare successorem, quem quidem omnino sibi succedere velit, sed exspectandum, donec Hispania non habeat amplius

amplius causam metuendi Gallum. Eandem in sententiam sua manu litteras dedit ad Imperatorem Rex Hispaniæ. Die 9 Oct. A. 1698 discessit senior Harrachius Madrito, Viennam repetens. Ac die undecimo ejusdem mensis Hagæ fuit conclusus tractatus partitionis inter Regem Galliæ, Britanniæ, & Batavos, qui pro fine habebat evitationem belli occasione successionis Hispanicæ orituri. Non ita multo post Card. Portocarrerus accepit a celebri Italiæ JCto Leonardo Pepolio, quod petierat, Responsum de jure succedendi in Hispaniam, quod hic Italice & Gallice exhibetur integrum. In hoc Responso jus illud vindicatur filio Electoris Bavariæ, ac præterea varia politica consilia de successione in regnum Hispaniæ adjunguntur.

p. 254. 281. 286. 292 - 381.

B. EUSEBII, EPISCOPI VULGO ALEXANDRINI, oratio de Die Dominico, quam Græce ex MSS. edidit, Latine vertit, & annotationibus, potissimum ad sacra publica veteris Ecclesiæ spectantibus, illustravit JO. GUILIELMUS JANUS D.

Lipsiæ, apud Jo. Fridr. Gleditschii B. filium, 1720, 4. Plag 10.

EX scriptis Eusebii, Episcopi, ut vulgo dicitur, Alexandrini, quem Gennadius Massiliensis c. XXXIV inter viros illustres laudat, & Guil. Cave in Hist. Lit. ad A. 259 refert, summe Reverendus ac doctissimus Editor hujus orationis, sub finem Sec. IV vixisse, probabilibus argumentis judicat, nihil adhuc typis impressum fuit, præter orationem de commemoratione Sanctorum, Biblioth. Patrum Lugd. T. XXVII insertam, & fragmenta quædam in Parallelis sacris, cum Damascenicis, tum Rupefucaldinis, ineunte Sec. VII collectis, & a Mich. Lequien non ita pridem inter Johannis Damasceni opera editis. Sed multa tamen adhuc in bibliothecarum quarundam MStis latent, a Lambecio, Sylburgico, Cavio, aliisque recensita. Inter hæc Oratio de die Dominica, quam ex codice Va-

ticano Lucas Holſtenius, ex Bodlejano Gerhardus Langbenius juris publici facere voluerunt, nunc primum ex utriusque MSti collatione in lucem prodit. Tractatur in ea quæſtio, cur die Dominico ſacris vacare & laboribus abſtinere neceſſe ſit? cui fortaſſe leges Imperatorum Chriſtianorum Sec. IV de die Dominico latæ, & in annot. D p. 13 enarratæ, occaſionem dederunt. Inter multas diverſasque Patrum rationes, quamobrem Chriſtiani feriam primam hebdomadis potius, quam ſeptimam, primæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ exemplo, cultui publico deſtinarunt, in annotat. K p. 15 ipſorum verbis recenſitas, tres potiſſimum eminent, quod ſcilicet ea die (1) mundum Deus condere cœperit, (2) Chriſtus a mortuis reſurrexerit, (3) Spiritus S. ſuper Apoſtolos effuſus ſit. Hinc dies Dominica Euſebio dicitur *τρεῖς ἀρχὰς ἔχουσα, τριάδος τῆς ὑπεραγίας τὴν ἀρχὴν ὑποφαίνειν*, p. 2. Nihil tamen horum majori antiquitatis Chriſtianæ conſenſu, ut cauſa celebrandæ diei Dominicæ, commendatum eſt, quam reſurrectio Chriſti. Ob hujus enim memoriam Euſebius eam *κυριακὴν* vocari, ſcribit, quod epitheton in ſacris literis non niſi de S. Cœna & die Dominico reperiri, annot. G p. 14 obſervatur, & S. Euchariſtiam *εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου* ea potiſſimum celebrari, oſtendit. Hinc die Dominico jejunare, flexis genibus orare, aut ullum ***anxietatis habitum***, ut Tertullianus loquitur, præ ſe ferre, moribus & inſtitutis primitivæ Eccleſiæ nefas habitum fuiſſe, in annot. K p. 16 & YY p. 57 pluribus demonſtratur. Utrum effuſio Spiritus S. die Dominico facta ſit, a nonnullis in dubium vocatur, propterea, quod feſtum Pentecoſtale Judæorum illo anno non in feriam primam, ſed ſeptimam, ſive in diem Saturni inciderit. Aſt conſtans illa veterum Chriſtianorum ſententia optime defenditur, ſi cum Lightfooto, Baſnagio & aliis verba Act. II, 1 *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς*, quæ locutionem Hebræam במלאת exprimunt, de tempore non adventante, ſed tranſacto accipiamus, ſicut Levit. XII, 6, Eſther I, 5 &c. atque adeo primum feſtum Pentecoſtale Chriſtianum, æque ac Sabbathum Chriſtianum, Judaico uno die poſterius ſtatuamus. Ex hac

hypo-

hypothesi in annot. K p. 20 Chronologia Paschatos σταυρωσίμου & primi festi Pentecostalis Christiani conciliatur, simulque sententia Bocharti, Lightfooti, & optimorum quorumque historiæ Evangelicæ interpretum, qua Christus Pascha ultimum stato tempore cum Judæis celebrasse putatur, ***nodo***, quem Spanhemius ***indissolubilem*** indicat, liberatur. Neque vero tantum causæ, quamobrem dies hebdomadis primus Christianis sacer sit, ab Eusebio afferuntur, sed & ratio sacrorum, illi quondam usitatorum, ob oculos ponitur. Quo nomine potissimum memorabilis est quæstio p. 4 proposita: **τί θεωροῦσιν οἱ ἐρχόμενοι εἰς τὴν ἐκκλησίαν;** ad quam nihil responderi videas de sacrificio missatico, nihil de elevatione panis, in corpus Christi transsubstantiati, nihil de imaginibus & reliquiis sanctorum adorandis aut aliis hujusmodi, in recentioris ævi templis spectari solitis, sed ea tantum recenseri, quibus sacra publica purioris Ecclesiæ olim constiterunt, sacram puta Eucharistiam, preces & hymnos, Scripturæ S. lectionem, expositionem & ad salutares usus accommodationem, quæ in annot. BB & seqq. data opera explicantur. Speciatim S. Eucharistiam Eusebius suo tempore celebratam fuisse, ostendit, in una tantum mensa sacra p. 4, non in pluribus unius templi altaribus Missaticis, qualia in Occidente demum post seculum VIII cum missis solitariis multiplicari consueverunt, vid. annot. CC p. 38, idque sub utraque specie **σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου** p. 3, qua ratione *semper & ubique ab Ecclesiæ primordiis usque ad seculum XII* fideles communicasse, fatetur Cardinalis Bona, verbis in annot. R p. 26 citatis. Jubet præterea Eusebius omnes, qui sacris intersunt, accedere ad communionem corporis & sanguinis Domini, iis tantum exceptis, quos regnantis peccati conscientia excludit, p. 3, & antiquissima formula liturgica *τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις*, in annot. S p. 26, explicata, arcet: idque ex more veteris Ecclesiæ, in cujus locum sequior ætas, missas solitarias, omnibus scilicet adstantibus, etiamsi non communicantibus, profuturas, vel ipso canone missali invito ac repugnante, substituit. vid. annot. Q p. 25. Denique nec transsubstantiationis ullum hic

 vesti-

vestigium exstat, & quæ ex formulis Liturgicis novissime ab Eusebio Renodotio producta sunt, examinantur in annot. DD p. 40 seqq. Id unum singulare & Ecclesiæ orientali proprium est, quod pag. 5 Spiritus Sancti παρουσία καὶ ἐπιφοίτησις, ἐπικλήσει scilicet Eucharistica devocati, commendatur, quam explicat, & quæ pro transsubstantiationis dogmate inde exsculpuntur, confutat annotatio FF p. 47. Eos qui propter indignitatis conscientiam communicare non possunt, precibus saltem publicis & Eucharisticis assistere jubet Eusebius, quas preces, si orationem Dominicam & recitationem verborum institutionis exceperis, olim arbitrarias, diversis Ecclesiis ac temporibus diversas, & prioribus saltem sex seculis non alio quam vernaculo sermone dictas fuisse, in annot. T probatur, simulque cum novitas Liturgiarum, Petri, Jacobi, & Marci nominibus insignitarum, demonstratur, tum Usserii liber de sacris vernaculis contra Richardi Simonii & Eusebii Renodotii objectiones vindicatur. Inter hymnos sacros, sua ætate receptos, præter Psalmos Davidis, de quorum usu in veteri Ecclesia, vid. annot. GG p. 48, Eusebius p. 4 & 5 nominatim memorat τρισάγιον illud Seraphicum, Græcis ἐπινίκιον dictum ex Es. VI, hymnum angelicum ex Luc. II, & Halleluja, recentiori illo & interpolato Trisagio Ecclesiæ orientalis: ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος &c. quod, Sec. V demum invectum, in Liturgia Jacobi separatim præscribitur, omisso. Singulorum antiquitas & usus in veteri Ecclesia singulis annotationibus illustratur, & eos hodienum in Ecclesia nostra, vernaculo sermone expressos, decantari, demonstratur, ut ἐπινίκιον verbis hymni Ambrosiani: Heilig ist unser GOtt ꝛc. hymnum angelicum in cantione: Allein GOtt in der Höh sey Ehr ꝛc. Trisagion orientale in verbis, Heiliger HErre GOtt, heiliger starcker GOtt ꝛc. vid. annot. EE p. 42, FF p. 46, KK p. 50. Voces Evangelicas & Apostolicas i. e. Scripturam S. non minus ac presbyterorum & Episcoporum cohortationes, omnium auribus percipi, inquit p. 5, quia scilicet Scripturam S. in lingua vernacula legere & audire cuivis integrum erat, more veteris Ecclesiæ, in oriente ad hun-

hunc usque diem servato, ut ostenditur in annotat. II p. 50. Notat præterea Eusebius abusus quosdam diei Dominicæ, sua ætate frequentatos, cujusmodi sunt (1) theatrorum spectacula more veteri descripta, unde colligitur, eum hæc scripsisse ante annum Christi 425, quo Imp. Theodosius junior die Dominica omnem theatrorum & Circensium voluptatem, jam ante a Theodosio M. interdictam, per universas urbes abrogavit, notissima illa lege, *Dominico*, quam Barnabas Brissonius singulari libro commentario, de spectaculis & feriis, illustravit, conf. annot. N N p. 52. (2) Judicia coram Episcopis & Presbyteris, inter ipsa sacra publica exerceri solita, p. 6, conf. annot. PP. Eodem (3) refert & vehementer improbat morem, quo nonnulli die Dominico, plures vero sacro Paschalis die, post sumtum cibum mysteriorum communione utebantur, p. 7, per τὴν τῆ ἁγίȣ πάσχα ἡμέραν non festum Paschatos sed feriam quintam magnæ hebdomadis, memoriæ Paschalis σαυρωσίμȣ sacram, intelligi, docet annot. TT p. 56. Hoc enim die, in memoriam Eucharistiæ; a Christo post cœnam institutæ, concessum quondam fuisse, ore non jejuno communicare, patet ex Codicis Africani canone XLI, prima illa lege ecclesiastica, quæ pransos a sacro epulo arcet, uno illo die duntaxat excepto. vid. annot. SS p 55. Tacemus ritus veteres, quorum hinc inde mentio injicitur, ut de Missa Catechumenorum & fidelium annot. A p. 10, quod Episcopi sedentes concionati sint p. 11 & 12, quod Christiani mane quondam congregati, Synaxes suas ad lumina accensa celebrarint, quæ deinceps etiam interdiu retenta sunt, p. 2 & annot. M p. 22, quod convocatio ad Ecclesiam voce præconis facta fuerit, p. 4 & annot. Z p. 33, quod diem Dominicam veteres a vespera præcedentis Sabbathi inchoarint, annot. QQ p. 54 &c.

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII, Theologi Tubingensis, de originibus Juris Ecclesiastici veraque ejusdem indole Liber singularis.

Ta-

Tubingæ, apud Jo. Georg. Cottam, 1719, 4.
Alph. 1 plag. 10.

ETsi Jurisprudentia ecclesiastica Zigleri cumprimis, Titii, Thomasii, Böhmeri & aliorum studio ac labore novam quasi faciem induerit, quamplurima tamen in campo adeo spatioso sibi relicta putavit Summe Rev. Autor aliis etiam operibus nuper editis inclytus. Quatuor capitibus totum volumen absolvitur, quorum primum de jure ecclesiastico a Christo condito ecclesiæque tradito, secundum de jure ecclesiastico ab Apostolis sive condito sive observato, tertium de jure ecclesiastico quod seculis secundo & tertio obtinuit, quartum denique de vera juris Protestantium ecclesiastici indole agit.

Jurisprudentia ecclesiastica vocatur Autori ea scientiæ sanctioris pars, quæ circa ecclesiasticarum cœtuum conservationem, directionemque, disciplinam porro eorundem & ritus ordinandos, considerandosque, occupatur. Originem ejus a Christo cap. I deducit. Iste sacris Judaicis cum suis adhuc indulgebat, nec peculiarem sibi tantum cœtum formabat, quam etiam ob causam de ejectione vel excommunicatione e cœtu & exclusione a sacra cœna, ut & de pœnitentia publica, expressis verbis statuere quicquam haud poterat. Apostolos & discipulos LXX sibi adjungebat, iisque facultatem concedebat miraculis & verbi evangelii prædicatione ecclesiam colligendi, atque in ista quædam externam cœtuum disciplinam spectantia observandi, quæ baptismi & panis calicisque eucharistici usum ut & clavium potestatem cumprimis concernebant. Nullibi vero Christum hierarchiam ecclesiasticam instituisse legimus, qua unus alteri vel ceteris omnibus præfectus, præcipuaque ipsi & summa autoritas qua reliquis supereemineret, concessa fuerit. Spirituale enim erat regnum Salvatoris, ubi omnis superioritas, coactio, pœna & quicquid dominium redolet, exulabat. Provocant quidam, quibus ista non probantur, ad privilegium Petro Matth. XVI, 18, 19 datum, ubi ipse Christus dicit: ***Tu es Petrus, & supra hanc petram ædificabo ecclesiam meam &c.*** Evidenter autem ostendit Autor, primatum

Petri

Petri ex hisce verbis minime posse probari. Primo enim omnes Apostoli fuere æquales, quod ex Luc. XXIII, 24, 25, tum & ex Pauli testimoniis 2 Cor. XI, 5, XII, 11, Gal. II, 6,9 liquet. 2) Porro præcipuæ partes si quæ fuerint, quibus præ reliquis Apostolis unus eminuit, Petro dari vix possunt, utpote quem Christus post illa verba mox Satanam appellitavit, qui Christum ter abnegavit, qui ægre tulit, Christum Johannem quam se magis amare, qui in concilio Hierosolymitano haud decidit, qui a Paulo propter hypocrisin reprehensus fuit, qui semetipsum tantum συμπρεσβύτερον vocat. 3) Deinde Petrus petra ecclesiæ non alia ratione dici potuit a Christo, quam qua & ceteri Apostoli petra ecclesiæ sunt, ubi solus Christus, qui lapis angularis est, ceteros antecellit. 4) Tandem Petro claves regni cœlorum cum potestate illud aperiendi dati non ita sunt, ut absoluto ipsius arbitrio fuerit relictum, quemnam intromittere vellet, aut secus, sed limitata tantum ac ad certum salutis conferendæ ordinem, quem Christus Ecclesiæ caput rectorque supremus instituit, restricta fuit ea potestas, quæ adeo & successoribus Petri competit. Hac ratione si dictum hoc toties controversum explicetur, non opus est alia eaque longius accersita responsione, per petram scilicet non Petrum, sed Christum sive fidem in istum intelligi; quamvis & huic opinioni suum constet pretium.

Neque post ascensionem Christi Apostoli sese a sacris Judaicis statim separabant, verum id tum demum factum cum totæ ad eos Synagogæ se conferrent, aut ipsi e Synagogis expellerentur, vel universa tandem Respublica Judaica evanesceret. Amplificabant Apostoli concionibus, miraculis & largo sacramentorum usu ecclesiam. Cum vero soli plantationi ejusdem haud sufficerent, socios sibi adjungebant, qui συνέργοι, ἐυαγγελίςαι, διάκονοι, ἡγέμενοι, ἐπίσκοποι & ἄγγελοι in libris N. T. dicuntur. Nemini horum supereminentia magistralis, dominium aut tyrannis ullo modo concedebatur. Cultus, cui vacabant, in cœtibus sacris, precibus, institutione, admonitionibus, reprehensionibus, lectionibus, cantionibus, cœna sanctiori & agapis consistebat, quæ omnia osculo sancto, communionis in-

C. II p. 36.

 dice,

dice, claudebantur. Peccatores induratos antistites devovébant, suæque communionis beneficio privabant, cujus devotionis effectus erat dissensus, quem fideles ab omni hominum ejusmodi familiaritate abstinentes, testabantur. In electione, constitutione & ordinatione Presbyterorum nunc a solis Apostolis, aut eorum συνεργοῖς atque πρεσβυτέροις, nunc censensu totius cœtus res acta fuit, manibus etiam impositis, quam impositionem, ab Apostolis vel συνεργοῖς atque πρεσβυτέροις factam, primis temporibus miraculosa Spiritus S. χαρίσματα insequebantur. In his dum versatur Cl. Autor, varias subinde observationes, dictorum Scripturæ sacræ expositiones, rituum ecclesiasticorum descriptiones atque alia inspergit. Ita p. 52 de Episcoporum & Presbyterorum differentia, p. 62 de loco 1 Petri V, 2, 3, 4, speciatim de verbis Μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, p. 71 de ex communicatione ecclesiastica, p. 83 de Pædobaptismo prolixe & accurate disserit. Ceterum merito illis præmissis quæritur: ad quemnam typum ecclesia Christiana ab Apostolis efficta fuerit? Ad rerum publicarum formas exactas fuisse ecclesiæ rationes, sibi persuadent Romanenses. Plures ex Patribus & inter recentiores maxime Jac. Lesserius ecclesiam ad formam templi sacerdotiique Judaici efformatam fuisse, asseverarunt. Synedrium porro Judaicum cum sacris ecclesiasticis magnopere convenire, Jo. Seldeno visum fuit. Verum cum nulla ex his sententiis Autori satisfaciat, quod illæ cum natura & excellentia Christianæ ecclesiæ stare vix possint, eam demum amplectitur, quam multis primorum seculorum Patribus familiarem, Campegius Vitringa magno eruditionis apparatu defendit, fuisse scilicet ecclesias Christianas ad formam Synagogicam & scholasticam velut inflexas, neque tamen totam ecclesiæ formam Synagogicam esse, sed peculiaria multa habere.

C. II p. 103. Seculo post natum Christum secundo & tertio jura ecclesiastica varias mutationes subiere. Monet hic imprimis Autor: primo e silentio aliquot istius ævi scriptorum non posse concludi, hos illosve ritus ecclesiæ tum temporis fuisse ignotos; secundo ad disciplinam sacram ex unius Scriptoris coætanei libello haustam, quæ utique particularis saltem existere potuit,

tuit, non esse ecclesiæ universalis disciplinam exigendam; tertio ad seculorum sequiorum rationem ecclesiæ primitivæ statum haud metiendum, sed ad disciplinam potius arcani tantum non semper respiciendum, de qua quidem prolixius egisse ipsum Celeb. Pfaffium in Primitiis Tubingensibus P. II p.148. meminimus. Magna sæpe animorum contentione agitata fuit quæstio: num antiquioribus temporibus supereminentia episcopalis obtinuerit? Noster mediam viam secutus existimat, fuisse forsitan ecclesias ab Apostolis plantatas, in quibus unicus saltem Episcopus, plures Doctores & Presbyteri extiterint, quibus ille ex Apostolorum autoritate præfuerit & præcipua munia, quæ ab his exerceri nequiverint, præstiterit; fuisse & alias ecclesias pariter Apostolorum opera collectas, in quibus omnes Doctores æquali dignitate fuerint, ac pari jure Episcoporum Presbyterorumque titulo usi fuerint, etsi & in has paulatim supereminentia Episcopalis istis quoque temporibus inducta fuerit. Nulla harum constitutionum divinæ ordinationi repugnat, relictaque est singulis cœtibus libertas eam quæ magis commoda videretur eligendi. Discrimen clericorum & laicorum utique his temporibus obtinuit, quibus etiam auditores in diversas fidelium, catechumenorum & pœnitentium classes disponebantur. Jejunium ante pascha quadragesimale jam tum a multis fuit celebratum, ita tamen, ut integra fidelibus esset libertas. De eucharistiæ celebratione id maxime notandum, oblationes & intercessiones pro mortuis hoc jam tempore frequentatas, morem aquam loco vini adhibendi a Cypriano reprobatum, eucharistiam etiam asservatam aliisque transmissam fuisse. Ita si ad quartum quoque & reliqua secula pergere Autori libuisset, facile demonstraturus erat, qua ratione magistratus politici munia in ecclesiam migraverint, episcopalis dignitas aucta, jurisdictio ecclesiastica efformata, atque ita duæ potestates independentes, civilis & ecclesiastica, in civitate exortæ fuerint. Verum brevitatis studiosus iis prætermissis ad veram Juris Protestantium ecclesiastici indolem exponendam se convertit.

Præsupponitur tanquam evictum, ecclesiam non esse sta-

tum civilem, sed societatem in statu, seu collegium quoddam in civitate constitutum. Istius olim membra ex mera arbitrii libertate in unum coivere, & ex pacto ac conventione mutua disciplinam quandam generalem constituere, juxta quam omnes vivere oporteat, &, a qua qui desciverit, ipso facto societate ista exul & extorris censeatur. Enimvero cum collegium hoc, quod ecclesiam dixeris, per omnem statum paulatim se diffunderet, & omnes cives etiam collegiati fierent, toti cœtui legum ecclesiasticarum observantia demandari haud poterat, eaque urgente necessitate cura circa sacra collegii, a magistratu civili luculentis privilegiis firmata, ac in toto cœtu, si originem spectes, fundata, certis personis erat conferenda. Nemo tum occurrebat, cui illa, ethnicis rempublicam administrantibus, aptius committeretur, præter Episcopos, qui eam consensu quodam ecclesiæ tacito in se suscepere, sed & eadem deinde, cum Imperatores subinde Christianis sua nomina diptychis inscriberent, ad jurisdictionis politicæ acquisitionem & tyrannidis spiritualis exercitium fuere abusi. Post anspicatissima reformationis tempora jura collegii clero eripiebantur, & magistratui politico ac Principibus, consensu plebis ecclesiasticæ tacito, nec dissentientibus ecclesiæ repurgatæ novis Doctoribus, tradebantur, qui & per pacificationes dein religiosas sigillum civile accipiebant, adeo ut ad clerum reverti nunc non possint. Et quamvis ista jurium administrandorum ratio non omnibus Protestantium ecclesiarum cœtibus se probaverit, optima tamen esse videtur, cum Principes rerum sacrarum administrationi civilem manum superaddere facile possint, utpote qui ex superioritate territoriali, qua gaudent, collegia & societates, quæ in civitate sunt, æque ut privatos quosvis contra insultus aliorum protegunt, privilegiaque semel iisdem a se concessa cum autoritate tuentur, denique per beneficia, quæ in ecclesiam conferunt, peculiare sibi jus, imprimis collegiale illud, acquisivere. Possidet ergo in sacris etiam Princeps summam potestatem, Nostro arbitrante, non quatenus Princeps, non quatenus præcipuum ecclesiæ membrum, non quatenus Episcopus, non quatenus Christianus est, sed quia jam integer fideli-

delium cœtus ei obſervantiam & defenſionem legum eccleſiaſticarum commiſit. Jura autem ſacrorum, quibus imperantes apud nos fruuntur, duorum generum ſunt: alia e jure ſuperioritatis territorialis fluunt, quo omnia pertinent, quæ ſine coactione & jurisdictione externa exerceri nequeunt, cujus virtute Principi ſumma in res eccleſiaſticas inſpectio competit, nimirum ut curet, ne in cœtu ſacro quicquam agatur, quod ſaluti publicæ nocere poſſit, ne perſecutionibus inſtitutis mentibus vis inferatur, ut tales porro conſtituantur Doctores, qui ſana ſaltim de religione naturali hominibus ingerant principia, qui ab omni ſeditione, quin & a vitiis aliis animos avocent, veraque & a ſuperſtitione imprimis omni remota in Deum pietate, virtutibusque præſtantiſſimis imbuant, &c. alia jura ſunt jura collegii, quæ Principi facultatem dant ea, quæ a fidelibus, quatenus membra eccleſiæ ſunt, concluſa & conſtituta fuere, defendendi eorumque praxin promovendi, quo conſtitutio miniſtrorum eccleſiæ, ordoque, quo hoc charactere ornati in cœtu recipi debeant, conſtitutio dein ceremoniarum omnium, quæ cultum publicum conficiunt, adminiſtratio bonorum eccleſiaſticorum, judicia eccleſiaſtica, diſciplina pœnitentialis externa & alia merito referuntur. His probe expenſis, facile patet, quid de jurisdictione interna, quæ clero communiter, & externa, quæ magiſtratui adſcribitur; quid de quæſtione, num jus Epiſcopale magiſtratibus Proteſtantium tribui poſſit? quid & de diſtinctione inter cauſas civiles & cauſas ſpirituales, quarum illæ laicis, hæ clericis decidendæ veniant, ita ut Princeps quoque in cauſis ſpiritualibus clero ſubditus eſſe dicatur, tenendum ſit. Aperte enim hinc Noſter evincit, nulli eccleſiæ Doctorum jurisdictionem ſive cogendi poteſtatem competere; verum illos docendo, adhortando, reprehendendo officium ſuum præſtare, & ſi, quem ſperarunt fructum, haud obtinuerint, ad preces confugere, omnemque rem Deo committere debere.

Ultimo Celeb. Autor juris eccleſiaſtici in Proteſtantium cœtibus emendationem conſiderat. Eo vero omne ejus ſtudium tendit, ut oſtendat, ceremonias potius diminuendas quam augendas, ſimplicitati, quæ maxime ad Apoſtolicam illam accedat, p. 222.

 dat,

dat, ſtudendum, eoque omnia dirigenda eſſe, ut homines intelligant, religionem non in pompa & ritibus quibusdam externis, ſed in interna animorum mutatione ſanctoque convictu conſiſtere. Media, quibus iſta conſequi poſſimus, aliquot aphoriſmis indicat, quorum potiora momenta hic indicabimus. I) Ii, qui jura ſacrorum collegialia habent, id vel maxime agant oportet, ut rebus gerendis viros præficiant, qui ſanctioribus χαρίσμασι, eruditione, notitia rerum, prudentia & experientia fulgeant, & pacem eccleſiaſticam, hæretificandi pruritu & odio theologico abjecto, plantare & propagare conentur. II) In conſtitutione miniſtrorum eccleſiæ curandum, ut in doctrina & vita irreprehenſibiles eligantur, a pravis vero Paſtoribus eccleſiæ liberentur. III) Agenda eccleſiaſtica ita ſunt inflectenda, ut lectionibus precibusque ſubinde jejunis abrogatis, miniſtri eccleſiæ ad formulas communes, homiletæ ad nudas pericopas evangelicas, propheticas & epiſtolicas haud adſtringantur, ſed liberum illis ſit, in librorum Biblicorum univerſalem explicationem deſcendere, & ſermones eccleſiaſticos magis ad populare colloquium, quam orationis figuram componere. IV) Catechiſatio ante omnia urgeatur. V) Confeſſio privata haud facile abroganda eſt, ſed retinenda prorſus, ita tamen, ut Clerici in abſolutione majorem devotionem & zelum adhibeant. VI) A ſacramento Cœnæ nemo arcendus, quem leges eccleſiaſticæ haud arcent, cum iſtud quidem apud eos, qui in ſtatu gratiæ exiſtunt, ſit ſacramentum confirmationis & obſignationis, apud eos autem, qui nondum in ſtatu pœnitentiæ & gratiæ vivunt, fiat ſacramentum quoddam præparatorium ad pœnitentiam. VII) Diſciplina antiqua, juxta quam cœtus ſacer olim in fideles, catechumenos & pœnitentes diſtinguebatur, in noſtros cœtus, ob univerſalem, quæ corpus eccleſiæ pervaſit, corruptionem, nulla ratione induci poteſt. VIII) Excommunicationis nullus fere apud nos uſus, etſi iſtius exercitium magiſtratui politico competat. IX) Pœnitentia publica a ſuperioribus imponi poteſt, partim ut reus pœnam civilem luat, partim ut aliis ſit exemplo. X) Ad confeſſionem privatam atque ſacram Cœnam

aut

aut ad alios actus ecclesiasticos nemo cogi potest. XI) Nihil prorsus agendum, quod tyrannidem in conscientias arguat, eoque ad certa dogmata recipienda laici minime cogendi, nec ulli ritus invitis vi obtrudendi, aut ecclesiis pastores a quibus abhorreant, imponendi sunt. XII) Circa matrimonialia ob benedictionem sacerdotalem & gradus in sacris literis prohibitos doctores ecclesiæ adeundi utique sunt & audiendi. XIII) Ferias diminui potius quam multiplicari simplicitas jubet. XIV) Jejunia indicare magistratui competit, quamvis pietatem parum utique promoveant. XV) Confirmatio juniorum ad sacram Cœnam aspirantium publica, tempore Pentecostali in quibusdam ecclesiis, cum examine & admonitione confirmandorum solenni, maximo cum emolumento, si superstitiosas ceremonias tollas, perficitur. XVI) Ecclesiæ ministros qui abdicat, vel jus sacrorum absolutum, vel jus collegii habeat necesse est. Si causa sit mere civilis, non est quod hanc in rem quisquam e cœtu saltem in consilii consortium vocetur. Si vero sit ecclesiastica, Theologos in consilium advocare utique convenit, maxime si cœtus ecclesiasticus murmuret. XVII) Synodos ecclesiasticas agere, scholas erigere, ædes sacras exstruere, bona ecclesiastica dispensare, & collapsum cultum restituere, nemini, etsi jura collegii habeat, sine consensu magistratus politici licet. XVIII) Is, qui jura collegii possidet, eorundem exercitium ita moderetur, prout ad salutem ecclesiæ id requiri cognoverit. XIX) Denique ab eo, qui jura collegialia administrat, requiritur, ut, si leges in ecclesia obtinere videat, quæ jejunæ, confusæ, obsoletæ sint, eas debita prudentia adhibita, mutet, emendet, refigat, præstantioresque atque ad Christianismum propagandum aptiores condat atque promulget.

Hic subsistimus, cum Autorem in omnibus sequi haud liceat. Illud in universum observamus, multas passim in opere hoc Ecclesiæ antiquitates sollicite indagari, plurima Scripturæ loca feliciter explicari & fontes Juris Ecclesiastici diligenter ubique monstrari; utrum vero se omnibus probaturus sit Celeber. Pfaffius, dies docebit.

M. SI-

M. SIGISMUNDI JACOBI APINI DISsertatio de Loricis linteis veterum & novo Loricarum invento, variis Notis & Figuris æneis aucta.

Altorffii, typis Jod. Guil. Kohdesii, 1719, 4.
Plag. 4 & Fig. æn. 1.

INter tot Loricarum apud veteres species, quales hamatæ, squamatæ, plumatæ, corneæ, laneæ, segmentatæ, a Nostro accurate descriptæ, lineæ multis præcipue admirationi fuere. Hæ a priscis temporibus inter Græcos, in primis Macedonas, Thraces, Hispanos & Italos fuere cognitæ, quas e bombyce, spongia, lanaque minutatim dissecta, ad instar culcitræ fartas fuisse, quidam, licet minus accurate, ajunt, alii vero, inter quos Casaubinus & Salmasius eminent, easdem opera atque artificio coactiliariorum & ποιλοποιῶν, qui linum aceto vel austero vino, cui sal esset adjectum, probe macerabant, fuisse factas, existimant, alii denique, thoracem lineum a loricis nonnisi materia diversum fuisse judicant, quod ille annulis & catenulis æneis constiterit, hæ autem ex torulis (alii stamina, Græci βρόχας in restibus dicunt) trilicibus, quadrilicibus aut bilicibus, aliisve, essent consertæ. Et, cum tres lini apud veteres commemorentur species, carbasium, asbestinum & byssum, facile est conjectu, carbasio vel asbestino ad loricas usos fuisse veteres, quia igni & ferro restitisse eædem narrantur. Etenim harum loricarum usum nostro ævo vix commendandum censet Cl Autor, novam tamen loricas construendi rationem ipse suppeditat, quam ipsius verbis enarrabimus: „Sumatur corium paullo crassius, quale est cervinum vel alcis. (Finni septentrionales coria „alcium jubata aquis superfusis congelata ad corporum muni„tionem adhibere soliti fuere.) Posteaquam igitur ad formam „pectoris humani, ut alia lorica, fuerit exsectum, affigantur ipsi „firmiter fila ferrea plurima spirali modo in coni formam flexa, „interstitia vero reliqua lana aut alia materia simili (e.g. von ge„sottenen Roß-Haaren) effarciantur, & hæc omnia denique no„vo obducantur corio, sicque habebimus loricas corpus quoad anteriorem partem optime munientes.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Augusti, Anno MDCCXX.

NOVUS THESAURUS ANTIQVITATVM Romanarum, congestus ab ALBERTO DE SALLENGRE.

Tomus III.

Hagæ Comit. apud Petrum Gosse, 1719, fol. Alph. 7 plag. 10 cum Tabb. æn. 3 & Figuris plurimis passim insertis.

NIhil quicquam de laudabili industria remittit Celeb. Sallengrius, verum opus felici auspicio olim cœptum, gnaviter urget, atque antiquitatum Romanarum Tomum tertium cum eruditis communicat. Initio autem se offert legentium oculis illustris *Gisberti Cuperi Consulis olim Daventriensis lucubratio de elephantis in numis obviis*, quæ ut jam primum doctorum conspectum subit, ita priorem ejus partem paullo diligentius excutere animo nobiscum constituimus. In duas enim partes divisa est, quarum prima docet, quid elephantis ab Alexandro M. post victos Persas, & Indos, captis, deinde aliis, qui ex India & Æthiopia ad tanti Principis successores, Ægypti, Asiæ, Syriæ & Macedoniæ Reges, aliosque pervenerunt, factum sit. Scilicet Indiam elephantorum feracissimam perhibent scriptores, cujus Reges non tantummodo ingentem eorum aluerunt numerum, sed etiam ad varia eos adhibuerunt ministeria, quandoquidem alii Regum, satraparum, aliorumque magistratuum currus traxerunt, alii, & inprimis parvi, aratris fuere alligati, sub jugum ducti, tum & frenis ac lupatis agitati. Indis elephantus

Barro dictus eſt, unde *baris*, *barritus*, *barrire* derivantur. Id quoque obſervatu dignum eſſe exiſtimatur, Schachiludium in India ſuos habuiſſe natales, quod elephanti in eo ſuas partes gerant, & probabile ſit, illud ex India in Perſidem, inde in Arabiam, atque adeo tandem transmigraſſe in Europam. Equidem ante Alexandrum M. in Europa nunquam viſos elephantos, Pauſaniæ inprimis teſtimonio confirmari poteſt, etiamſi Plato, Herodotus, & Æſopus aliud innuere videantur, inter quos Plato, tanquam oculis conſpexiſſet elephantos, loquitur, videre tamen eos facile potuit in regionibus, quas philoſophiæ cauſa peragravit, præcipue in Ægypto, in qua hujusmodi animal haud poterat eſſe incognitum, ut ex nomine urbis, quam Ægyptii Philæ, Græci *Elephantine* vocant, oppido manifeſtum eſt. Quod autem Bacchus victor ab Indis triumphans elephantis vectus fuerit, Poetarum fabulis adſcribendum exiſtimatur, utpote qui ex fingendi libidine tigres, pantheras, immo nonnunquam centauros Bacchi curribus adjunxerunt. Et hos Nicæenſes, qui Bacchum *κτιστὴν conditorem* colebant, ſine dubio ſecuti ſunt, quando numos curaverunt cudendos, in quibus Bacchus elephantis vectus conſpicitur. Neque probabile eſt, alios, præter Indos, Aſiæ Reges, elephantis in bellis fuiſſe uſos, quandoquidem nullum in Hebræorum lingua elephantorum nomen invenitur, multo minus in ſacro codice, ubi bellorum apparatus deſcribitur, mentio unquam elephantorum, ſed camelorum occurrit. Quam ob cauſam male habet Illuſtrem Cuperum, quod viri rerum Hebraicarum ſatis periti inter bellicos Perſarum apparatus elephantos pingere ſolent, quando ſcilicet Nabuſaradan, qui dux fuit Nebucadnezaris, ornamenta templi Hieroſolymitani Babylona aſportantem repræſentant, & in tabula Geographica Oxonii una cum Xenophonte edita elephantum, camelum, & leonem tanquam animalia Arabiæ *ἐπιχώρια* adſcribunt, a quorum tamen numero elephas eximi debet. Et quamvis Strabo *τῶν ἐν Αραβίᾳ ἐλεφάντων* meminerit, eum tamen de Africæ elephantis loqui, illico apparebit omnibus, qui Strabonem ea, qua decet, diligentia evolvunt. Namque ante Alexandri M.

tem-

tempora soli fere Indi elephantis in bello usi sunt, & etiamsi Lucretius Carthaginiensibus attribuit inventionem pugnandi cum elephantibus, id tamen a nemine alio traditum est, quin immo omnes orienti hanc gloriam relinquunt, & ante bella Carthaginiensium Pyrrhum in Italia primum elephantis pugnasse commemorant. Quod si autem elephantos in exercitu Regum Persarum intuemur, quos sine dubio ab Indis, qui ipsorum parebant imperio, acceperunt, eos post pugnam ad Arbelam ad Alexandrum M. delatos fuisse animadvertimus, num autem Alexander iis in pugna adversus Porum usus fuerit, adhuc sub judice lis est. Id certum est, Porum multos in exercitu aluisse elephantos, quos Alexander cepit, & inter eos eximiæ magnitudinis belluam, ex qua Porus fortiter pugnaverat, Soli consecravit, ejusque dentes aureis exornavit torquibus, quibus inscriptum: Ἀλέξανδρος ὁ Διὸς τὸν Ἄιαντα τῷ ἡλίῳ, quod nomen, si Philostrato credendum, propter fortitudinem, huic belluæ inditum fuit. Et sic Alexander victo Poro, cum Persis jus diceret, tabernaculum elephantis cinxit, cum vero Græcorum & Macedonum lites decideret, δημοτικὸν δικαστήριον habuisse narratur. Frustra autem ex Arriano probare conatur Bochartus, Craterum ab Alexandro elephantis fuisse præfectum, cum dux potius esset omnis exercitus, cui elephanti, ritu illorum temporum, fuerunt additi. Postquam igitur India elephantos primum genuit, ebur in alias fuit deportatum regiones, quod cum per mercatores potissimum Assyrios fieret, ratio facillime intelligitur, quam ob rem Ovidio Lib. II Amor. El. 5 *ebur Assyrium* dicatur. Post mortem Alexandri Reges Ægypti Ptolemæi elephantos in bella eduxerunt, ex quibus inprimis Philopator, ut Maccab. III legitur, his belluis Judæos Alexandriæ conculcari jussit, quas, ut magis ad iram inflammaret, vino thure condito jussit exstimulari, cujusmodi vinum non ex uvis, sed ἐξ ὀρύζης καὶ ἐκ καλάμων conficiebatur. Ut proinde vel fallat Ælianus, vel recte intelligendus sit, quando Libro II Var. Hist. C. 40 elephantum poto vino τῆς ἀλκῆς ἐπιλανθάνεσθαι *roboris oblivisci*, tradit. Frequentem autem elephantorum in Ægypto usum varii quoque numi satis perspicue produnt,

in quibus elephanti occurrunt, quos inter maxime memorabilis eſt, qui Cleopatram Ægypti Reginam elephanti exuviis caput tectam exhibet. Et quum Ægyptii, navibus ad id factis, vel ex Æthiopia, vel ex Troglodytica regione elephantos ad ſe deportare debebant, hinc factum, ut ejusmodi naves ἐλεφαντηγοὶ ab autoribus appellarentur. Inter Aſiæ Reges Seleucus Nicator primus elephantos in præliis adhibuit, quam ob cauſam non in iis tantum numis, quos ipſe cudi juſſit, ſed etiam in numis Apamenſium, quoniam in agro Apamenſi hujusce modi belluæ alebantur, elephas exhiberi ſolet. Cumque in plerisque Seleucidarum numis ancora, ut nota eorum genitiva, conſpiciatur, illuſtris Autor hoc loco alium numum producit ancora inſignitum, quem Alexandri M. vultum referre exiſtimat. Equidem is Alexandro vivo hoc modo ſignari haud potuit; Seleuco tamen I, vel alii ſucceſſorum priorum adſcribi poſſe videtur, qui forte, antequam ipſe ſuum nomen & imaginem numis inſcribi juberet, & Regis uſurparet titulum, Alexandri M. vultum in numis ſuis expreſſit. Hunc Seleucum ſecutus eſt Antiochus filius cognomine Soter, de cujus cognomine multa docte diſputantur. Antiochus autem magnus, qui in prœlio adverſus Romanos elephantos adhibuit, cum Scipione pugnans, tam infeliciter rem geſſit, ut is victo Antiocho, mille ducentos & viginti eburneos dentes in triumpho oſtenderet. Cum autem Antiochus Eupator, cujus belli apparatus L. I Maccab. c. 6 deſcribitur, in pugna cum Judæis elephantos quoque in campum educeret, uvæ & mori ſuccum illis oſtendi juſſit, quia rubro ſanguineoque colore in prœlium acuuntur, id quod etiam Plutarchus innuere videtur, quando eos, qui ad elephantos accedunt, non induere ἐσθῆτα λαμπρὰν ſcribit. Atque hic mos bellandi cum elephantis ad alios Seleuci ſucceſſores tranſiit. Notabilis eſt numus Antiochi cognomine Epiphanis Dionyſi, in quo ἐλεφας λυχνοφόρος, ſeu *lampada gerens* conſpicitur. Victis autem a Romanorum exercitu Aſiæ Regibus, non amplius in bellis Aſiæ Reges elephantis uſos legimus. Quod ad Macedoniæ Reges attinet, Antipater poſt Alexandrum M. in obſidione Megaræ elephantos adhibuit, cujus tamen incolæ ſuibus

pice

Pice illitis & incenſis, ut apud Polyænum eſt, eorum impetum eluſerunt. Demetrius Polyorcetes primus fuiſſe videtur, qui turres, ex quibus armati milites pugnabant, elephantis impoſuit, cumque vix aliquis uſus eſſe videatur hujus belluæ in obſidionibus, ea tamen ſæpenumero in illis fuerit adhibita, ad ſubruendos muros, & ut milites in altis ejusmodi turribus conſtituti murorum propugnatores depellerent, uſurpatam fuiſſe, admodum veriſimile eſt. Elephantis ſua fuiſſe impoſita nomina, vel exinde patet, quod Demetrius Polyorcetes Nicona & fœminam Nicæam dictam in magno habuit pretio, ex quibus Nicæa tam φιλάνθρωπος fuiſſe narratur, ut cum ei uxor Indi, qui illam regebat, moribunda infantem XXX dierum patria lingua commendaret, ea plane ſingularem & vix credibilem illius gereret curam, muſcas abigeret, cunas moveret, & aliis obſtetricis officiis fungeretur. Quot milites impoſiti fuerint elephantis, haud adeo liquet, autor libri Maccabæorum duo & triginta numerat, quod tamen haud probabile videtur Bocharto, qui ſex, ad ſummum, bellatores in elephanti dorſo eminuiſſe arbitratur. Et quamvis cum eo faciat Grentemesnilius, & deleta voce τριάκοντα, ſubſtituat δύο ἢ τρεῖς, vox tamen ὄχλος, quæ legitur apud autorem libri Maccab. & ab utroque retinetur, paullo majorem militum videtur ſignificare copiam, quam etiam Juvenalis confirmat ſententiam, quando *cohortes* & *turmam* elephantis attribuit. Jamque illuſtris Autor in cauſam inquirit, qui factum, ut in numis Athenienſium, Neapolitanorum & Tarentinorum elephanti exhibeantur; nempe inſigne monetarii eſſe, ait, qui interdum camelum, cicadam, uvam inſignium loco adſumſerunt in numis. In Neapolitanorum autem numo elephas ante tripodem ſtans, & proboſcidem ad cœlum tollens, ſine dubio religionem elephantorum prodit, utpote quam tantopere prædicarunt veteres, ut Lunam Solemque eos venerari, exiſtimarunt. Id ante oculos habuit Auguſtus Saxoniæ Dux, & frater Jo. Georgii, tum & Cardinalis Zabarella, quando in numis, Chinenſes autem in tabulis, elephantem cum Sole, tanquam Symbolum pietatis erga Deum, exhibuerunt. Poſthæc

gemmæ capite Socratis, addita elephanti proboſcide, nec non aliorum animalium capitibus, ſignatæ exhibentur ex Chiffletio, & de monſtroſis ejusmodi figuris multa præclare diſputantur. Præterea varia afferuntur, quæ ad elephantos aliquo modo pertinere illuſtri Autori viſa ſunt. Indus fluvius Cariæ dictus eſt a rectore, quem bellua ex ſede ſua excuſſit, & in aquas præcipitavit. Phœnices mercatores ad inſulam Cernen navibus ire ſolebant, ut dentes elephantorum inde reportarent. Elephanti in ſomniis viſi quid portendant, Artemidorus & Achmetus medicus Arabs ſcriptum reliquerunt. Interpres vulgatus Thren. IV, 7 אדמו עצם מפנינים vertit, *rubicundiores ebore antiquo*, quod proverbii loco poſitum defendit Martinus de Roa, perperam tamen verſum dicit Grotius, & λύθες πολυτελεῖς, *pyropos* ſeu *carbunculos* interpretatur, quia ſcilicet omne ebur natura ſua candidum eſt, etiamſi recte docet Mart. de Roa, illud jam ab Homeri temporibus tinctum fuiſſe rubro colore, ne ſcilicet *longis flaveſcere poſſit ab annis*, ut Ovidius canit. Domus & cubicula ebore inducta tam apud Judæos, quam apud Romanos, lecti præterea eburnei, pocula, aliaque vaſa, quæ elephanti præ ſe ferebant formam, apud Græcos Romanosque in pretio fuerunt. Græcis magna animalia elephanti dicebantur, quemadmodum Achilles Tatius hippopotamum ἐλέφαντα αἰγύπτιον appellat. In fine hujus prioris diſſertationis numi exhibentur, cum capite elephanti, in Inſulis Sumatra & Ceylon excuſi. Præterea idolum elephanti capite deformatum, in æs inciſum repræſentatur, & Pagodus ſive templum elephanti deſcribitur. Cumque Brachmanes elephantos adoraſſe perhibeantur, fabula heic eorum putidiſſima de filio Evæ, cui Adam occiſi cujusdam elephanti caput impoſuiſſe dicitur, pro merito exploditur, & feſtum Perſarum, quod VII Martis die celebrant, & *Adventum* nominant *Dominorum Elephantorum*, ex Chardino deſcribitur, mentioque ſimul injicitur *æræ*, quam Arabes *elephantorum* appellant. Unusquisque ex iis, quæ carptim attulimus, variam doctrinam, qua hæc illuſtris Cuperi lucubratio referta eſt, facile agnoſcere, & ex un-

ungue, ut est in proverbio, de leone existimare poterit. Altera enim dissertatio eandem de elephantis materiam pertractat, inprimis postquam Romanis primum fuerunt visi, & Carthaginienses Asiæque Reges iis in bellis, quæ cum populo Romano gesserunt, usi sunt; atque adeo de fortuna agit, quam elephanti Romæ & in imperio Romano tam pace quam bello, in libera republica & sub Imperio Cæsarum experti fuerunt. In fine dissertationum adjecta sunt, quæ de quadrigis elephantorum commentati sunt *Henric. Norisius in duplici dissertatione de Numis Diocletiani & Licinii Differt. I c. 40 sqq. Ezechiel Spanhemius ad Oration. 1 Juliani p. 155. & Pagius in Differt. Hypatica p. 178.* His succedunt II *Jacobi Gutherii in Senatu Parisiensi Advocati, Civis & Patricii Romani, de Officiis domus Augustæ, tam publicæ, quam privatæ, libri tres*, recondita eruditione plenissimi, qui primum Parisiis 1628 in 4, post Lipsiæ 1692 in 8 prodierunt. Ex hoc opere ad oculum quasi patet cuilibet, quantum ad illustrandas antiquitates Romanas conducat accurata juris scientia. Quam plurima enim eorum, quæ de Consulibus, Præsidibus, Consularibus, Correctoribus, Spectabilibus, Illustribus, Consistorianis Comitibus, cognitionibus, consultationibus, legibus, constitutionibus, pragmaticis jussionibus, edictis, mandatis &c. præfectis prætorio, Quæstore palatii &c. agunt, e digestorum libris & aliis antiqui juris fontibus sunt depromta. III *H. T. Salomon, Expratoris Burdigalensis, & in Senatu Aquitanico Præsidis, de judiciis & pœnis, it. de Officiis vitæ civilis Romanorum Commentarius, Burdigalæ 1668*, 12 typis excusus. Complectitur hic brevis commentarius ordinem judiciorum antiquorum apud Romanos tam publicorum, quam privatorum, & præcipue judicia capitalia exponit, in quibus actor, reus & judex omnem fabulam absolvunt. Deinde supplicia recenset, quæ reis confessis & convictis irrogabantur, & ubi de officiis vitæ civilis Romanorum agit, varias τῦ officium significationes affert. *IV Josephi Lanzonii M. D. Ferrariensis de Coronis & unguentis, in antiquorum conviviis, Exercitatio philologica*, quam ab Italico in Latinum sermonem vertit, sectionibus distinxit, notis, & animadver-

ver-

versionibus auxit *Hieronymus Baruffaldus, Ferrariensis*, cujus de *armis Convivalibus Schediasma* Lanzoni opusculo subjunctum est. V *Ejusdem Hieronymi Baruffaldi dissertatio de preficis ad illustrationem urnæ sepulcralis* Fl. *Quartillæ præficæ*, cui accedunt Josephi Lanzoni de luctu mortuali veterum adversaria. VI *Laurentii Jo. Molin de Clavibus veterum dissertatio*, quæ *Upsaliæ 1684* in publicum prodiit, docta sane & pereleganś, in qua fere omnia, quæ de inventione & structura clavium apud veteres scriptores leguntur, invenire licet. VII *Incerti Scriptoris Interpretatio inscriptionum & epitaphiorum, quæ Antiquariæ, quæ urbs est Bæticæ in Hispania, reperiuntur: opusculum scriptum anno 1585*, sed ante nunquam editum. Scriptor hujus libri, ut Celeberrimus Sallengre admonet, ludo literario Antiquariæ præfuit in Vandalicia, & pro ratione illorum temporum & locorum non contemnenda doctrina fuit præditus. Aggressus est interpretari Inscriptiones Romanas, quæ in agro Antiquariensi inveniebantur, & ne perirent, a Johanne Porcello Prætore eo tempore muris urbis infertæ erant. Inscriptiones recentiores heic prætermissæ sunt, & ex reliquis XXX modo adductæ, quæ ad antiquitates Romanas pertinere videbantur. VIII *Taurobolium antiquum Lugduni An. 1704 repertum*, quod plura eruditorum ingenia exercuit. Explicatio hujus monimenti, quod heic adducitur, est *Philippi a Turre Episcopi Adriensis*, cui adnectuntur *Purpurini a Faventia Cœlestinorum Ordinis S. Benedictini Secretarii*, ad *Calendarium Romanum Amiterni effossum minuscula commentaria*, quæ *Neapoli* prodierunt *A. 1680, 4*. IX *Dominici Aulisii de Gymnasii constructione, nec non de Mausolei architectura* opuscula duo, quæ *Neapoli An. 1693, 4* lucem adspexerunt, cum ejusdem *epistola de colo Mayerano*, quod monimentum Romæ repertum instrumentum fuit ex ære rotundum, quod ita cortinæ ritu cavum est, ut simul mamillæ speciem exhibeat; multis foraminibus certo ac eleganti discursu totum pertusum, ut si liquorem infundas, nequeat continere, sed ad guttam transmittat. Hoc autem Colum Mayeranum dictum est, quod Marcus Mayer primus evulgavit, & eruditis dedit explican-

dum.

dum. Huic epiſtolæ accedit de eodem Colo *Claudii Franciſci Meneſtrier e S. J. epiſtola ad Cl. Virum Marcum Mayerum, ex Gallico ſermone nunc primum Latine verſa.* X Sequuntur aliquot libri de Magiſtratibus & Sacerdotibus Romanorum. 1) *Raphaelis Volaterrani de Magiſtratibus & Sacerdotibus Romanorum Commentarius*, ex *Libr. XXIX* Commentariorum Urbanicorum depromtus, cui additæ ſunt notæ quædam Petri Scriverii ad inſcriptiones nonnullas, quæ a Volaterrano vitioſe editæ ſunt. 2) *Jan. Gulielmi, Lubecenſis, de Magiſtratibus reipublicæ Romanæ diſſertatio Roſtochii 1577* in 8 edita. 3) *Georgii Vauchopii, Scoti, de Magiſtratibus populi Romani tractatus, Romæ 1595* promulgatus, in quo de Statu populi Romani ante deletam Carthaginem agitur. 4) *Æ. Prevotii, Uxellodunenſis, de Magiſtratibus populi Romani Commentarius, Lauſan. 1578 in 8.* In eo expenditur gubernandæ reipubl. Romanæ ratio, & recenſentur Magiſtratus ab U. c. ad tempora usque Julii Cæſaris, qui dictaturam perpetuam geſſit. 5) *Henrici Bebelii, Juſtingenſis, Poëtæ laureati, & in Academia Tubingenſi Profeſſoris humaniorum literarum, de Romanorum Magiſtratibus libellus*, qui cum aliis ejusdem Bebelii opuſculis Argentin. 1513 in 4 editus eſt. 6) *Petri Fabri, regii Conſiliarii, Libellorum ordinarii Magiſtri, & in Senatu Tholoſano Præſidis, de Magiſtratibus Romanorum Commentarius*, qui ad Conſules potiſſimum ſpectat, & de veſtibus, ſellis, aliisque rebus magiſtratuum Romanorum tractat. XI *Erycii Puteani Pecuniæ Romanæ ratio, facillimo ad noſtram calculo revocata*, ſecundum editionem *Lovanienſem 1622 in 8.* Huic XII ſubjecta eſt *Hermanni Conringii diſſertatio de Studiis urbis Romæ, & Conſtantinopolis, Helmſtad. 1657,* 4. & tandem XIII *Chriſtoph. Cellarii diſſertatio de Studiis Romanorum literariis in urbe, & provinciis*, huic tertio Theſauri Tomo finem imponit.

RELIQVIÆ MANUSCRIPTORUM omnis ævi diplomatum ac monumentorum ineditorum adhuc, ex Muſeo JO. PETRI A LUDEWIG, JCti.

Tomi III.

Francof. & Lipsiæ, 1720, 8 maj.
Alph. 5.

NOndum dimisit pristinam suam sententiam Vir Illustris, cui has Reliquias ferimus acceptas, ante reipublicæ nostræ notitiam non fore genuinam, constantem, integram, omnique fallacia, fuco, fraude & pigmento liberam, quam habeamus & Historiam diplomaticam & diplomaticam Jurisprudentiam, sive illa publica sit, sive sacra, sive clientelaris, sive etiam civilis, quæ omnia qualem mereantur calculum, nostrum non est disputare. Huic saltem opinioni debemus indefessum illud & nunquam satis laudandum celeberrimi JCti studium veteris ævi reliquias omnis generis manuscriptas undique conquirendi, qua in re quanta post maximos sumtus usus sit felicitate, docent Tomi III nunc ex locupletissimo Museo editi, quibus illustris Editor de Diplomatum in Germania necessitate & usu, multitudine, ejusdemque causis, quibus modis factum sit, ut tanta chartarum multitudo sit conservata, quibus rationibus adversus Diplomaticæ rei hostes pugnandum sit, de bellis diplomaticis, de artis diplomaticæ scriptoribus, de iis, qui diplomata ediderunt, de suo denique instituto prolixe & docte præfatus est. Nos inde nonnulla in rem nostram convertemus.

T. I. Præf. p. 8. Causas multitudinis pene infinitæ diplomatum & chartarum Archiota illustris habet sequentes, quod longi saltem temporis & illam Romanam præscriptionem & usucapionem Germani ignoraverint, quod Clerici imprimis reliquis sagaciores in piis causis sibi per literas caverint, quod notarii & exscriptores in Germania innumeri quæstum eo ipso fecerint, quod Germanorum diffidentia, qua literis quam verbis maluerunt credere, plures tales partus excluserit, quod pactis imprimis fuerit opus, ubi paucæ Leges, quod denique hominum ambitio & superstitio beneficii memoriam ad seros usque posteros transmittere, & venientibus nepotibus commendare voluerit. Nec spernendæ sunt rationes, quibus effectum credit Autor celeberrimus,

ut

ut ex Diplomatibus innumeris tanta eorum copia ad nostram ætatem pervenerit. Exempla unius diplomatis plura authentica scribebantur, unum in gratiam illius, qui rogarat, alterum in gratiam illius, qui annuerat, aliud in urbe, aliud in Cæsareo aut Imperiali Tabulario asservandum. Ea erat contractus literarii autoritas apud majores nostros, ut Alemanni expressa lege caverint, si charta perdita sit, actori hereditatem sibi vindicanti, donationem ut eieret licere, neque Laico cuiquam permissum, ut rem Ecclesiæ absque charta præsumat possidere, si chartam non ostenderit, possessionem semper ad Ecclesiam pertinere. Major fuit Archivorum cura olim, quam post Jus Romanum receptum, & plura Antigrapha confecta, a Monachis inprimis otio abundantibus, qui non modo sacrum Codicem, Canones, Missalia, Diptycha varii generis, bonosque autores alios, sed fundationum inprimis, privilegiorum, donationum, contractuum tabulas vel temporis fallendi causa, vel obedientiæ ecclesiasticæ titulo depinxerunt. Obligationem successoris ad præstanda sui decessoris facta & promissa in dubium vocavit inferior ætas, quare omni cura id actum est, ut ille, qui in rei dominio secutus erat, formulam sui antecessoris haberet ratam, auctis ita codicillis relatis per referentia instrumenta. Ad conservanda antiqua monumenta haud parum contulit Juris patrii, clientelaris inprimis, regula: non novissimis sed antiquissimis standum esse literis. Membranis denique inscripserunt sua majores, ad ætatem ferendam aptissimis. De bellis Diplomaticis non est ut multa dicamus. In vulgus notum est, quid Jesuitæ, nova familia, per suos, Henschenium, Papebrochium, Germonium, Harduinum, ad infringendam antiquitatis fidem moliti sint, quam mascule Mabillonius, Peresius, Fontaninus, Ruinartus, Lazzarinus, Gattus, alii eandem defenderint. Satis certatum est in Germania de Magdeburgensium Diplomate Ottoniano, de Dagobertinis in causa Cœnobii S Maximini Trevirensis, de Carolinis circa origines Westphalicorum Episcopatuum, de variis Cisterciensium Monachorum, potentatum in nostro imperio affectantium, de Carolino a Frisiæ ordinibus allegato, de Ludovicia-

p. 11. 13. 15. 17. 19. 20. 21. 23. 37. 39. 42. 50. 51.

p. 55. no in caufa Lindavienfi, de Dagobertino, quod Cœnobitæ Erfurdenfes crepant, de Conftitutione Caroli Craffi Cæfaris fub-
66. leftæ omnino fidei, & fæpius alias, quæ omnia una cum fcriptoribus magna cura a noftro Autore allatis noffe, quanti interfit rei Diplomaticæ ftudiofis, nobis tacentibus patet. Sed audiamus argumenta diplomatum autoritatem oppugnantium:
84. membranas non poffe ferre octo aut novem feculorum ætatem; fed hoc perfuadeant iis, qui Tabularia infpicere aut nolunt, aut nequeunt. Bella inde, ædium maximam partem lignearum ruinas, incendia jactant; fed quid inde eliciunt? periiffe multa, immo innumera veteris ævi monumenta. Quis negat? Atqui, inquiunt, immanis fupereft multitudo, quod per illas injurias fieri non potuit: immo potuit, fi ea in mentem revocas, quæ de multitudine chartarum ejusdemque caufis fupra allata funt. Argumentum porro eft, quod unius diplomatis tria, quatuor, aut plura exftent exempla: malæ fidei indicium faciunt improvidi pofteri, quod autoritatis diplomaticæ confervandæ caufa a cautis majoribus factitatum eft. Nec eft ut dicas Germanos confenfu magis quam formulis effe nixos, contrarium & Marculphus, & ipfa diplomata loquuntur; aut, fi mavis, iftam fententiam de apicibus & formulis Romanorum captiofis accipias. Præfcriptionis olim exigua fuit autoritas & tutior diplomatum fides. Nec Principes ἀναλφαβήτες alleges: nomina fcribere non poterant, fignis vero & notis utebantur. Sunt itaque certiffimi hiftoriarum fontes diplomata, ea copia paffim exftantia, ut unius Ottonis M. chartæ mille & plures fuperfint; ex quo de reliquis recentioris ævi Principibus, Virisque illuftribus aliis, licet facere conjecturam. Multa latent in Tabulariis Principum, multa in lucem producta funt a Viris doctis, qui aut integros edidere Diplomatum Codices, vel fuas omnis generis hiftorias iftis
96. luminibus illuftrarunt. Hos larga manu & infigni cura Ill. Ludewigius collegit, quo facto de fuo inftituto differit, & fua exhibet partim, partim pollicetur Volumina, manufcriptorum omnis
131. ævi Diplomatum & Monumentorum ineditorum, quas appellat, Reliquias, optimæ olim notæ collectionibus annumerandas.

Tomus

Tomus *primus* est *mere Diplomaticus*, *chartas Monasterii Doberlucensis*, *Eilswardesdorffensis*, *alias*, continens. Est *Doberlucum* cœnobium Ordinis Cistercienfis in finibus Lusatiæ inferioris situm, Seculo XII a Misniæ Marchionibus conditum, cujus ea olim fuit autoritas, ut Abbas Princeps prælatus inter Lusatiæ ordines universos haberetur, sed idem monachis A. 1540 expulsis, cum omni Lusatia Saxonibus, inter Saxones tabulis Joannis Georgii I cum inferiori Lusatia Mersebnrgensi Duci cessit. *Eilwardesdorffense* Monasterium, quod & *Ludesburgense* vel *Lotherburgense* a loco, cui olim erat destinatum, & *Mariencellense* a Virginis cultu appellatum est, Querfordiæ adsitum Ordinis fuit Benedictini, Diœceseos vero Halberstadiensis, sed inde mutatis sacris Magdeburgico Præsulatui, & pace Osnabrugensi Principatui Querfordiensi junctum est, quo nomine hodienum Saxoniæ Duci Weissenfelsensi paret. Utriusque Monasterii diplomaticum Codicem cum nactus esset Illustris Ludewigius, hos junctis aliis nonnullis diplomatibus miscellis primum Reliquiarum Volumen constituere voluit Diplomatum CCC XXXIX, quæ inter sunt Doberlucensia, connumeratis versionibus coævis, CC, Eilwardesdorsensia C. Primum est Eilwardesdorfense Anni 1147, ultimum Doberlucense Matthiæ Regis, incerti anni, ast eorum, qui annos annotatos habent, novissimum est investitura feudalis Hartwigo Legato a Martino Comite Rheinsteinensi A. 1596 concessa. In ordine enim omnium illorum Diplomatum non loci sed temporis ratio habita est, sine die & consule conscripta ultimum locum occupant. II Indices, alter nominum, locorum, familiarum, alter rerum, jurium & verborum medii ævi, voluminis finem faciunt.

Non abludit a primo Tomo *Secundus*, insignibus partibus Chronico & Codicillo diplomatico consistens. *Chronicon* est *Kirsgartense*, cœnobii puta principio virginum postea monachorum extra muros Wormatiæ civitatis versus Spiram siti, in ea area vel horto conditi, qui nomen a cerasis habuit. Scriptor equidem est recentior, annum enim 1500 attingit, nec alias a sui ævi & ordinis vitiis immunis; idem tamen Diplo-

matum fide sæpius nititur, ad codices membranaceos non vulgares passim provocat, & non spernenda diligentia res Episcoporum Wormatiensium persequitur. *Codicillus Diplomaticus* est chartarum CLXXIX, quas partim Chronicis MStis Hohenloicis ineditis, partim Bibliothecæ Senatus Lipsiensis, quæ fere Pegavienses sunt, debet Illustris Autor. Idem alicubi nactus est Diplomatarium Boicum Ludovici Bavari, & qui hujus Tomi pretium auget, *Codicem Epistolarum antiquitatum Episcopatus Magdeburgici*, continentem plus quam centum Diplomata, a P. Lambecio e Cæsarea Bibliotheca promissum. His partibus ille Codicillus constat, ita tamen ut Hohenloica, Pegaviensia, quæ sigillis æri incisis superbiunt, Boica mixtim sed secundum temporis seriem digesta legantur; Viennensia eo ordine, quo in Codice exstitere, succedant. In fine duplex iterum index conspicitur.

p. 176.

Tomum *Tertium* occupant *Gasp. Barthii*, Custrinensis, Equitis Germani in omnis ævi Scriptoribus versatissimi, Lucubrationes Scriptoribus Bongarsianis Gestorum Dei per Francos impensas, ex volumine elegantissime manu autoris descripto depromtas, cujus Titulus erat hic: *Undecim Bellorum Palæstinorum scriptores, Gaspar Barthius partim ex manuscriptis codicibus recensuit, omnes animadversionum libris illustravit; additis cuique indicibus glossariis.* Has Lectiones, Animadversiones, Glossaria magni facienda tertium Reliquiarum Volumen esse voluit Illustris Possessor, qui, quamvis omnino nonnulli fuerint ipsi autores editionem novam illorum Bongarsianorum scriptorum adornandi, impensis tamen virorum doctorum, & prelis, quæ in aliis nondum editis rectius occupabuntur, parcere satius duxit. Eo nempe rerum chartarumque ineditarum apparatu gaudet Celeberr. Ludewigii libraria voluminum manuscriptorum supellex, ut quamvis singulis semestribus novum Tomum prioribus addat, vitæ tamen prius finem sibi affuturum esse ipse præsentiat, quam Tomum hujus collectionis ultimum. Quare non modo bene precamur laudabili instituto, sed & Virum Illustrem publico nomine rogamus, ut quan-

Præf. Tom. I.

quanta fieri poterit festinatione efficiat, ut superstes editi corporis Reliquiarum gloria fruatur. Sunt enim incertæ & fluxæ spes hominum, eoque majori animi impetu in Tomis sequentibus edenda, *Diplomatarium Bohemicum*, quo nomine Silesiam complectitur, *Schickfusium de feudis Silesiæ*, *Diplomatarium Hungariæ*, *Andreæ Lipskii a Lipe*, Regni Poloniæ supremi Cancellarii, *Relationes & Decreta* in causis Jurisprudentiæ Polonicæ gravissimis A. 1622, *Epistolas*, Lutheri, Melanchthonis, Camerarii, Peuceri, Bugenhagii, Jo. Sturmii, Conringii, Jo. Schefferi, Christiani Ravii, Brentii de vocatione in Daniam, Thenneri, Georgii Majoris, Jo. Aurifabri, Hieronymi Schurffii, Jo. Vorstii, Martini Schoockii, Kircheri, Ulrici Obrechti, aliorum, *Numos* a temporibus Ottonum vetustissimos *Imperatorios, Ducales, Episcopales, Comitum, Abbatum, civitatum, S. Ephraimi & S. Cyrilli nonnulla, Andreæ Schotti notas in Heliodori Æthiopica, opus Fratris Wilhelmi Britonis de vocabulis Bibliæ, Anshelmi Cantuariensis dictionarium Theologicum*, alia, præstolamur.

MARQVARDI FREHERI DIRECTORIum in omnes fere, quos superstites habemus, Chronologos, Annalium Scriptores & Historicos potissimum Romani Germanicique Imperii. Recognovit & auxit JO. DAVID KOELERUS, Hist. & Polit. P. P. Altorfinus; accessit CASP. SAGITTARII Dissertatiuncula de præcipuis Scriptoribus Historiæ Germanicæ.

Noribergæ & Altorfi, apud Heredes Jo. Dan. Tauberi, 1720, 4.
Plag. 22.

UTilitatem hujus Directorii Freheriani cum ipsa res loquitur, (plurima enim scripta historica secundum temporis ordinem, quo incepere, quo desiere, in eo annotata sunt) tum iteratæ editiones Philippi Glaseri Prof. Helmestadiensis, qui illud suo Historiæ theoreticæ Syngrammati Argent. 1611, 4 edito adjunxit, Samuelis Rachelii, qui bis illud vulgavit, in distincta

ſtincta notatione Cæſarum metro compendioſe deſcriptorum, & capite XIV Introductionis ad jus publicum Germanicum, & Jo. Chriſtiani Neu, qui Wheari Relectiones locupletius a ſe editas hoc etiam indice ornatiores eſſe voluit. Cum vero hi Viri docti omnes, quaſi religione quadam ducti, ab emendationibus & ſupplementis abſtinuerint, hanc ſibi provinciam ſumſit Clariſſimus Kœlerus, Altorfinorum Hiſtoricus, qui omnis in eo jam eſt, ut de rebus omnis ævi inprimis patriæ noſtræ bene mereatur. Ea fini non modo omnes Rerum Germanicarum collectiones, illas inprimis, quas Frehero recentior ætas dedit, ſedulo excuſſit, ſed Gallos etiam & Anglos, æterna Pithœi, Quercetani, Labbei, d' Archerii, Baluzii, Martene & durandi, porro Savilii, Twisdeni & Seldeni, Galei aliorumque Volumina conſuluit, ſuumque indicem egregie auxit, vel Frecherianum potius; tam parum nempe ipſe Clariſſimus Vir nomini Viri maximi detractum vult, ut Freheriana alio, alio ſua charactere exprimi curaverit. Sed & Hieron. Pezii Scriptores Auſtriacos ineditos ex primi Voluminis conſpectu, ſuis locis inſeruit, certa ſpe fretus fore,ut illi proxime ſtudio doctiſſimi Benedictini, ſumtibus vero Gleditſchii noſtri, ad patris exemplum de bonis libris bene merentis, lucem publicam adſpiciant. De Sagittariana Diſſertatiuncula non eſt ut dicamus, aut de indice addito chronicorum & ſcriptorum recenſitorum. Celeberrimi potius Kœleri Operibus, cum aliis, quæ molitur, tum illi, quod in Indicis hujus præfamine pollicetur, ***Farragini*** eleganti & concinnæ *diſſertationum criticarum de præcipuis auctoribus Hiſtoriæ Germanicæ* a ſummis viris conſcriptarum, fauſtam Lucinam precamur.

Uberzeugende Belehrung vom Urſprung und Wachsthum des Pabſtthums.

h e.

DOCTRINA MAXIME CONVINCENS de origine & incrementis Papiſmi, una cum Apologia pro Reformatione Lutheri ex genuinis monimentis excerpta

ab

ab ERNESTO SALOMONE CYPRIANO, D.

Gothæ, literis Reyherianis, 1720, 8.
Alph. 2 plag. 6.

PErgit pro ea, qua pollet, doctrinæ diviniorìs amplitudine, capacitate ingenii insigni, ac subsidiorum apparatu exquisitissimo, sub Magni Piissimique Principis præsidio, de ecclesia repurgata mereri Summe Reverendus, Autor & scriptum hic ejusmodi publicæ luci vicissim dedit, quod non capitum modo selectu, monimentorum præstantia, & grata cuivis brevitate excellentissimum quemque allicit lectorem, sed tale quoque insuper cujus confutationem οἱ ἐξ ἐναντίας molientur frustra. Mandato nititur Principis optimi speciali, cujus in Numismata rariora, Bibliothecam, naturæ, artisque opera miranda, Orphanotrophea, Pastores, noviter constitutos, scholas, sub Pontificio jugo ex nostratibus gementes &c. ex propriis tot factæ fuerint impensæ, ut, sueta sibi, de Bonis Ecclesiasticis vindicatis, exprobratione supersedere hic facile Pontificii, Principisque adeo non minus in Deum ter Optimum Max. quam in Cæsaream Majestatem pii, qui, pro lectionis suæ selectu judiciique excellentia, multos huic libro inserendos articulos vel subministraverit ipse, demirari potius necessum habeant. Originem Papatus, ita docet, divinam neminem admissurum, qui recolat secum, primos Romæ Martyres, illiusque Ecclesiæ sub tot fluctibus fundatores, modernam Papismi doctrinam nullo modo fuisse dissimulaturos, vel tecturos silentio, siquidem isthæc concredita iis fuisset; Petrum insuper aut dolosi admodum & parum candidi (quod a tanto absit Apostolo) fuisse ingenii, aut more Pontificio, eoque in Majestatem periniquo, quem scitissime exprimit S. R. Autor ad Neronem, de charactere suo Pontificali, Imperantibus quippe perinimico, perscribere oportuisse. Arcem, per multa hucdum secula stantem, exscribere ex asse ideam, a quodam, suis commodis intento, his nostris temporibus, pro lubitu ductam & exaratam, quis sobrius diceret, nisi Ponti-

Dedicat.

Dedic. a. 5

tificiorum artibus assuetus, qui proprio sequioribus temporibus Marte exsculptam quasi - Monarchiam cum rationibus ævi Apostolici conspirare, perperam soleant comminisci? Gerson sane adeo in Imperantes nullam Petri, fictitii Pontificum Antecessoris, potestatem agnovit, ut, siquidem gavisus ea fuisset, Neronem haud dubie depositurum fuisse, arguat; salvum esse adhuc Augustissimi Imperatoris in Romam jus, nec ulla, quam vocant, præscriptione deletum, quæ jam inprimis sigillatim recolere fas sit, dum seculare redierit sacrum, in Suecia non ob temporum calamitatem, sed æræ, ex monito Benzelii, dissimilitudine dilatum, quoque, quod solius Besselii comprobari posset exemplo, Pontificii contra Pacem Religiosam passim nonnulla molirentur. Quod Autor itaque S. R. egerat jam tum in Prolegomenis ad Hilaria Evangelica, illud hic jussu Principis, libri forma commodiori usus, multo copiosius, nec sine accessionibus, agit, ut summos adeo quosque de Papatu ac Lutheranismo multo nunc aliter sentire oporteat, quam a Pontificiis de sententiis utriusque fuerat antea relatum, siquidem, nisi propria negare principia velint, ab omni confutatione hujus sui libri S. R. Autor plane securus est. Quatuor & viginti capitibus omnis libri solidissimi continetur ambitus, ex quo quid excerpas potissimum, lectioni inhians non interruptæ, vix sane decernes. Papatum nullibi approbari, ex Scriptura, Conciliis, Episcoporum Romæ antiquorum effatis, Patribusque, clare docet, nec minori postea eruditione, quæ Petri fuerit prærogativa, cum nemo Pontificum, a Petro se accepisse Papatum, aut cum Ecclesia antiqua pari Romanam, qua nunc est, gaudere autoritate, demonstrare valeat, confutatis simul Theologis Duacensibus, in aprico ponit, productis validissimis rationibus, ex quibus palam est, Concilia indixisse, Jus Episcopale exercuisse, Pontifices sibi subjectos habuisse primos Christianorum Imperatores, utpote qui, soluta prius a Pontificibus æris summa, hos quoque confirmassent, immo officio, quandoquidem leges Ecclesiasticas ipsi sancivissent, jure in Romam & Statum Ecclesiasticum ne hucdum quidem sublato, movissent, adeo non re-

Præf. C. 4. b.

C. 5.

B. 5.

B. 7. b.

C. 2. 3.

nuen-

mentibus Pontificibus, ut pro numero annorum Imperatorii Regiminis Bullas potius suas concinnarint, ac jus Romæ monetandi Imperatoris facile toleraverint. Papatus origo, quibus ad summa crevit, media, divitiarum accessiones, deficiens porro omne illius fundamentum, Principum hinc oriundæ offensiones, immo injuriæ S. Cæsareæ Majestati multos per annos illatæ, Electio denique Pontificis, ut hodie est, a priscis Ecclesiæ Romanæ moribus maximopere abhorrens, hæc inquam omnia a S. R. Autore tam solide explicantur & erudite, ut pedibus ire in veritates hasce exploratissimas oporteat. Regni cœlorum claves non soli Petro datas, Papamque esse sub Concilio, vel ipsius sane Dupinii mens est, (quocum faciunt omnes ii, qui per Papatum regimen illud Ecclesiasticum universale Episcoporum Romanensium intelligunt, vi cujus Judices in controversiis fidei infallibiles, omniumque in Christianismo Ecclesiarum esse Monarchæ, ipsisque adeo dominari Principibus (quorum hac ratione nullum, dum Papatum, ita descriptum, improbamus, offendimus) prætendunt. Quid, quæso, cogitent Principes, ubi Julium III P. R. in æneo numo *Reipublicæ Christianæ Regem ac Patrem*, immo, ubi tiaram Pontificiam *Regnum mundi*, potestatem *Imperatoriam* cum Sacerdotali ac *Regia* simul complexam, ubi ab Azorio *Imperatorem* Papa *minorem* & *inferiorem*, cujus a Pontifice *imperium abrogari*, ejusque *subditi a jurisjurandi vinculo solvi possint*, qui insuper *potestatem* habeat *temporalem* Pontificis potestati *subjectam*, vocari inaudiant? Cœnam, eamque integram, pro Laicis esse itidem institutam, cum Conciliis, Tridentino speciatim, prorsus, diffiteri nemo Pontificiorum potest, Joanne Bona, Jo. Mabillonio, aliisque rem candide eloquentibus; nihilo tamen secius *sacrilegio grandi*, ex sententia ipsius Gelasii, Papæ, eripitur calix, nisi quibus, paucissimis tamen, ex peculiari quasi Pontificis gratia, dispensatur. Regimen Pontificium ignorat Scriptura, qua patet, universa, & Petrus, (siquidem habuisset illud, tacendo rem Christianam in tot turbas conjecturus minime fuisset;) nullibi Petrus pro Episcopo universali haberi voluit, nullibi Laicis eripuit calicem, nullibi Conju-

p. 13. 17. 18.

21 sqq.

25 sqq.

28 sqq.

34 sqq.

40 sqq.

gio Clericos interdixit, nullibi in rebus fidei provocare ad se præcepit, nullibi Magistratus, Principesque deposuit, sanctos nullibi novitios fecit κ.τ.λ. Ecclesiæ Monarchæ Paulus, tam in superos pius, contradicturus in faciem minime, Gal. II, 11 sqq. nec illi se æquiparaturus, 2 Cor. XI,5, 1 Cor.XV, 10, nec in Catalogo Ecclesiæ Præfectorum Eph. IV, 11 tantum Monarchæ nomen omissurus, nec illos, qui *Cephæ* h. e. *Petri* esse & audire volebant, objurgaturus, nec reliqui denique Apostoli, ceu subditi, cum Joanne ad alias Ecclesias tam illustre ac infallibile caput ablegaturi fuissent, Act. IIX, 14, siquidem Pontificatus Petri priscis temporibus vola vel vestigi-

p. 48 sqq. um extitisset. Silent de hoc porro Concilia antiqua, quæ sententias Episcopi Romani, num divino verbo sint conformes, sollicite expenderunt, absentibus quoque hic Romæ Episcopis, eorumque deputatis, fidei Confessiones, non quæsita prius confirmatione Romana, adornarunt, & in controversiis difficillimis deciderunt, Conciliis porro, cum ex iis ad Episcopos Romanos perscriptum est, hos postposuere, & ab his decisa suæ denuo disquisitioni subjecerunt, & pro re nata resciderunt, vel anathemate etiam aliquando simul percusso Romano, quod Launojus, Scriptor Pontificiæ Ecclesiæ conscientiæ stimulis sæpe compunctus, vel ipse desertissime eloquitur. Nullum antiqui Romæ Episcopi agnovere unquam Papatum, quod cum veritate invita edocere Duacenses Theologi An.

90 sqq. 1714 intendunt, ab Innocentio demum, Pontifice non ex primis uno, sed quadragesimo secundo, auspicari necessum habent, quandoquidem ex primis Romæ Episcopis ne unum quidem inveniunt Pontificii sibi ὁμόψηφον, cum Paulum potius Petro multoties præferrent antiqui, tot in Concilia sumtus & expensas facturi minime, si ab uno omnia Episcopo Romano (qui, si, quam jactat, polleret vi, vel unius saltem Scripturæ libri nodos ex Cathedra semel solvere deberet) potuissent pro

116 sqq. cathedra definiri. Venerandus porro Patrum chorus Papæ nescit imperium, ad cujus scilicet, siquidem vel tum fuisset Monarcha, electionem, curiatim minimum, quod tamen non factum est, convocari debuissent. Ob negatam Episcopo Romano

mano infallibilitatem, Hæreticos sane nunquam objurgarunt, quin ad Concilia potius (non ad Monarchæ aut Cathedræ effatum) crebrius provocarunt, ingemiscente insuper Ecclesia Romana, cum Constantinopolitani in doctrina de Spiritus S. processione (absona namque sunt, quæ contra nuperrime Aloysius Andruzzi, & Stephan. de Antimura moliri cœperunt) Romanam sequi sententiam nollent. Voluerit peculiari inter Apostolos autoritate Petrus; valet eadem inter Collegas Decanus, inter Principes Director; male ab ejusmodi πρωτεία ac Primatu concluditur ad Monarchiam, ubi inprimis vel ipse Paulus Archi-Episcopo Marca, Hieronymo vero etiam Jacobus *Princeps Apostolorum*, immo Jacobus idem Pontifici Clementi I *Episcopus Episcoporum*, & Hesychio *caput* ac *vertex* Apostolorum audiunt. A Petro manasse hunc ad Pontifices Primatum, nullo idoneo argumento probari posse, moresque Ecclesiæ apud Romanos antiquæ ac modernæ esse diversissimos, pluraque, quæ nisi exscribere librum solidissime scriptum velimus, recenseri nequeunt, quandoquidem hic abrumpere, & lectionem libri totius commendare fas est, hæc, inquam, omnia tam erudite, pro sedula ac diffusa S. R. Autoris lectione, hic explicantur, ut neminem veritatis amantium lectorum defiturum citius confidamus, nisi scriptum universum, una cum adjecta pro Reformatione Lutheri Apologia absolverit, Deoque, Principi optimo, ac Autori S. R. gratias ardenter, pie, prolixissimeque persolverit.

p. 124.

134 sqq.

140 sqq.

161 sqq.

EXAMEN DE LA REPONSE DE Mr. EMLYN.

h. e.

EXAMEN RESPONSI DN. EMLYNI AD Dissertationem criticam in 1 Jo. V, 1, Tres sunt &c. institutum a MARTINO, Pastore Ecclesiæ Gallicanæ Ultrajecti.

Londini, apud Guil. & Jo. Innys, 1719, 8.

Plag. 9.

RECte facit beneque & rei Christianæ & sibi consulit Clar.

Martinus, quod se Emlyno cujus Dissertationem M Apr. p. 189 sq. recensuimus, opponit, & quicquid ad probandum locum Johanneum de tribus in cœlo testibus esse ὑποβολιμαῖον, attulit, infringit atque destruit. In præfatione monet, se quidem in vindicando illo loco inprimis rationem habuisse Simonii, sed tamen simul aggressum esse scriptum Anonymi, cujus inscriptio: *plena inquisitio in autoritatem primitivam textus Johannei*, eo fine in Anglia editum, ut Clerus ibidem consilium de delendo illo loco e libro N. T. caperet, quo ita commotus sit Autor, ut prodiret in publicum, & Thomas Emlynus se eum esse fateretur. Ubi C. I ad rem ipsam accedit, notat, non tantum in Græco hujus loci textu esse transpositionem, & ἐν οὐρανῷ non spectare ad μαρτυροῦντες se ad εἰσίν, hoc modo, tres sunt in cœlo qui testantur, sed etiam Arianos nunquam credidisse, hunc locum suæ favere sententiæ, qui Spiritum S. personam testantem esse negaverint. Tametsi concedit Emlyno, omnino ad quæstionem facti confirmandam producenda esse facta certa, nec nexum firmum præbere argumentum, aliquem locum esse genuinum; sentit tamen, eundem, si adsit, conducere, nec omissionem aliquid valoris contra factum certis argumentis confirmatum habere, nisi sit universalis. Tum Emlyno, qui statuerat, de hoc loco veteres nihil quicquam annotare potuisse, cum plane is eos fugerit, ita occurrit, ut ostendat, hanc ejus sententiam duabus niti falsis hypothesibus, quarum altera, hunc locum in nullo codice cum Græco, tum Latino, olim comparuisse; id quod prorsus aliter se habere, a se sit demonstratum; altera vero, quod ille in nullo scriptore ante seculum quintum se offerat, qui postea in Biblia irrepserit, quam debeat Simonio, & esse subrutam eo, quod ostensum, eum & in Latinis Bibliis Hieronymi ac Vulgata & Græcis codicibus antiquis extitisse. Quoniam ipsi opposuerant, hoc comma neque in omnibus neque plurimis Ecclesiæ occidentalis codicibus legi, Martinus C. II posterius prorsus negat, prius vero a se concessum esse fatetur, inde tamen nihil damni suæ sententiæ afferri censet, quandoquidem hac ratione omnes textus, in quibus variaverint codices cum Græci tum Latini, non sint pro authen-

thenticis habendi; & ex Millio constet, quam plurimos esse textus, qui vel ex toto vel ex parte in variis codicibus desiderentur, quos tamen integros Sec. IV & V scriptores produxerint. In Bibliis Lotharii omnino hoc comma in ipso contextu legi, & quæ ab aliena manu addita sint, spectare tantum variam lectionem, nempe transpositionem commatis octavi in locum septimi, & voces *in terra & in cælo testificantur*, quæ supra lineam compareant. Quod ad Bentlejum attinet, cui ad adornandam Latinam N.T. editionem viginti codices ante mille annos scripti suppetant, respondet, eum nondum aperuisse, an & quomodo locus controversus in iisdem legatur, dubitari merito, an tantæ sint antiquitatis, quod tales Cl. le Long summo studio quæsitos vix tres invenire potuerit; difficile esse judicare de ætate, qua codices Bibliorum sint exarati, si in quibusdam hoc comma extet, in aliis vero minime, id jam ab aliis esse animadversum; sin vero in omnibus desideretur, nec tamen se cadere causa, quia alii codices fuerint in manibus eorum, qui Biblia Caroli M. adornaverint, & Hieronymi repurgaverint, item Isidori Mercatoris, Ambrosii Autperti & autoris ordinis Rom. Omissionem loci esse argumentum negativum, allegationem vero ejus affirmativum, quoniam qui locum quendam adducat, indicet se eum vidisse & approbasse, id quod & in hac controversia permultum valeat. Vim argumenti ducti a Bibliis Caroli M. C. III ita tuetur, ut dicat, magnum admisisse correctores eorum crimen, si aliis libris Scripturæ S. nihil alieni addidissent, epistolæ vero 1 Johannis capite quinto locum prorsus suppositum inseruissent; probandum esse, caruisse occidentales regiones codicibus Græcis, & non eam fuisse in Carolo M. & Alcuino Græcæ linguæ notitiam, quæ ad judicandum, num aliquis locus in Græco N.T. codice legatur, sufficiat. Pari ratione se gerit C. IV in epistolarum canonicarum præfatione Hieronymo adjudicanda, censetque, eam semper pro genuino Hieronymi fœtu esse habitum, nec nisi nostra ætate de eo dubitatum, cumque Emlynus in eo aliquod suæ causæ præsidium invenisse videatur, quod Hieronymus in suis scriptis nusquam hujus loci mentionem fecerit, respondet, eum etiam non ex instituto scri-

scripsisse contra Arianos, & errare eum, si existimet, illum ideo vel non extitisse, vel ab Hieronymo ignoratum esse, quia eum non adduxerit. Vigilium enim Tapsensem etiam non meminisse hujus loci in libris contra Eutychen & in dialogis, in quibus tamen ei quasi necessitas imposita fuerit illum adducendi; qui vero inde colligere velit, eum prorsus ignarum fuisse ejusdem, errorem gravissimum committere, cujus lectione libri de Trinitate convinceretur. Non posse unum ex correctoribus Bibliorum Caroli M. illius præfationis esse autorem, quia eam oportuisset illum communicare cum aliis, quorum labor simul in corrigendis Bibliis versatus sit, qui nullo modo hanc fraudem approbassent, nec concessissent, ut Hieronymo id adscriberetur, quod neutiquam ab eo profectum. C.V monet, argumentum a correctione Bibliorum Sec. X a Sorbona facta, item a Bibliis Walafridi Strabonis, perstare firmum, ut & a lectionariis seu officiis publicis, quæ semper fuerint magnæ autoritatis, & in quibus nullus locus extet, qui non sit genuinus, tametsi contigerit, ut aliquis locus, qui sit genuinus, diversimode ibidem legatur. Contendit C. VI, novas versiones Latinas antiquitus adornatas habuisse loca, quibus aliæ caruerint, nondum ab Emlyno evictum; multo minus id assensum mereri, quod in adducendis Scripturæ S. locis iis usi sint Episcopi Africani in suis scriptis, quos hac ratione maximæ ignorantiæ, negligentiæ & imprudentiæ ob certamen, quod tum adhuc cum Arianis viguerit, damnet. Idem dum C. VII ad confessionem fidei Ecclesiarum Africanarum a Victore Utensi conservatam transit, perhibet Episcopos, qui jussu Regis Hunerici Ariani eam adornarint, a se, nisi adversariorum risui exponere se voluissent, non impetrare potuisse, ut, cum ex S. literis suam de Trinitate doctrinam firmare jussi fuerint, incognitum suppositumque locum & interpretationem mysticam, in qua etiam autores variaverint, dum Spiritus aliis Pater aliis Spiritus S. & aqua aliis Spiritus S. aliis Pater fuerit, producerent; mysticam vero commatis octavi expositionem tum constanter in usu fuisse, ex Eucherii loco non constare, quin potius ex Vigilio Tapsensi patere, Arianos in suis Bibliis hunc locum Johanneum legisse, qui eosdem ad illum

hoc

hoc modo ablegaverit; quare legite vos, quæ Johannes dixit, tres sunt unum. Plura vero C. VIII affert de Eucherio Gallo, qui utrumque comma exhibeat, uti etiam ab Hygino in decretalibus factum, qui supposito loco non sit usus, & qui de ternario numero agens commode hunc locum, ut alia, quæ vere in Scriptura de eo habentur, adduxerit. Tantum vero abest, ut Emlyno concedat, Cyprianum etiam in adducendo hoc commate interpretationem mysticam in animo habuisse & respexisse alterum comma, ut potius in eo persistat, illum in suis Bibliis omnino hunc locum legisse, nec quicquam sibi officere, quod non verbi sed filii vocem adhibuerit, siquidem ejusmodi variationes Patribus sint familiares, ut ex Hilario pateat. Recitatis C. IX caussis, quibus inductus sibi persuaserit & adhuc persuadeat, quondam in Græcis codicibus extitisse & adhuc extare hoc dictum, etiam se nixum ait testimonio Simonii, qui id in quibusdam comparere in lib. de versionibus retulerit, tametsi postea mutata sententia ad quendam perscripserit, id plane in nullo deprehendi. De Laur. Valla observat C. X, eum habuisse codices N. T. trecentorum imo quadringentorum annorum, & non tres, sed septem, ut pateat ex ejus annotatione ad Jo. VII, 30, & in iis etiam hunc locum reperisse, quia ejus institutum fuerit, versionem Latinam cum Græco conferre & utriusque discrepantiam ostendere, cumque etiam levissimum annotaverit, in hoc loco vero tantum particulæ non totius commatis diversitatem animadverterit, facile intelligi, ipsum eum in Græco integrum ut in latina versione conspexisse. C. XI negat, vel Cajetanum vel Erasmum fuisse credulos, qui potius quid huic loco faciendum sit, consideraverint probe, quorum ille cum Græcos codices in hoc loco variantes viderit, hæserit aliquantisper, quod ab eo factum non esset, si eo omnes codices Græci caruissent, quandoquidem eo vulgatæ versionis autoritatem stabilire potuisset; hic vero in sua tertia N. T. editione hoc dictum in prioribus omissum non exprimi jussisset, nisi codicem Britannicum vidisset & Græcorum codicum, quos Complutensis secuta est, rationem habuisset. Clarius proponit C. XII suam de codicibus Roberti Stephani, qui N. T. in quo

& hic locus comparuerit An. MDXLVI, MDXLIX in 16 & An. MDL in fol. ubi codices Græci indicentur, & MDLVI cum notis Bezæ ediderit, ſententiam, traditque, eum poſſediſſe ſedecim præter Complutenſem, habuiſſe plus quam ſeptem canonicarum epiſtolarum, quia poſſederit quatuordecim Paulinarum, quibus illæ plerumque junctæ fuerint, nec oſtenſum ullum eorum fuiſſe mutilatum; ſeptem tantum eſſe, in quibus deſideratum τῷ ἐν οὐρανῷ, alios vero omnino hunc textum legiſſe, fruſtraque dubitari, an ipſe Beza eos inſpexerit. Et ſic C. XIII porro contendit, obelum pertinere ad ἐν οὐρανῷ & non pertingere ad ἐν τῇ γῇ, & ſufficere, Robertum Stephanum dixiſſe, ſe vidiſſe hunc locum in Græcis codicibus, qui æque ac Beza mereatur fidem, inprimis cum uterque in edendo N. T. An. MDLVI cum ſtudio verſatus ſit; Bezam, qui tum temporis Lauſannæ Theologiam docuerit, & ad preces amicorum N. T. annotationibus illuſtrare ſuſceperit, ea, quæ in chartam conjecerit, Genevam impreſſum miſiſſe Roberto Stephano, qui ea acceperit etiam, perlegerit, & ut literarum gnarus de iis judicium tulerit, qui etiam ea, quæ de loco Johanneo addita fuerint, dubio procul cum cura conſideraverit, & ſi quædam cum veritate pugnantia ibidem animadvertiſſet, ea ut divulgarentur, indigna exiſtimaſſet. Confirmat hæc ulterius C. XIV teſtimonio Theologorum Lovanienſium, quod integrum affert, oſtenditque, eos loqui non de impreſſis ſed manuſcriptis codicibus. Quod ad Amelotum attinet, putat illum locum ab eo inventum in antiquiſſimo codice, qui demum poſt Cariophili tempora Vaticanæ bibliothecæ fuerit illatus, huncque virum inveniſſe fidem apud Clerum Gallicanum æſtimatumque magni a multis, quamvis de ejus fama aliquid detrahere auſus ſit Dupinius, & ſi in quadam re erraverit, id non in textu ſed in notis eſſe factum. In Berolinenſis codicis textu & non in margine hunc locum legi, ex literis ejus, qui bibliothecæ regiæ præeſt, docet. Quemadmodum C. XV teſtimonium ex Athanaſii Synopſi & dialogis Græcis inter Athanaſium & Arianos ita C. XVI autoritatem confeſſionis fidei recentis & lectionarii Græcorum, qui his illud dictum non inſeruiſſent, niſi id manuſcripti codi-

codices habuiſſent, ab adverſarii exceptionibus vindicat. Tandemque C. XVII ea, quæ de ſuis reſponſis ad objectiones adverſarius monuerat, diluit.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK, JC. & Senatoris, opuſculum de jure occidendi, vendendi & exponendi liberos apud veteres Romanos.

Lugduni Batav. 1719, 4.

Tertium hoc opuſculum Illuſtris Domini van Bynkershœk originem patriæ poteſtatis apud veteres Romanos derivat ex jure dominii, in quo fuerint tum liberi tum ſervi, atque in commercio etiam. Ex hoc ipſo jure dominii arceſſit mox ἀνυπεύθυνον illud imperium patrum Romanorum in liberos. De re enim, quæ eſt in dominio meo, poſſum, ut libet, decernere. Potuiſſe ergo illos in liberos decernere etiam usque ad necem, eosdemque vendere & exponere; quia hoc minus eſt quam occidere. Boetius dixerat lib. 3 Topic. *Noſtri autem juris res ceteræ nec mancipi vocabantur: eædem vero in jure cedebantur*. Rigidos autem fuiſſe veterum Romanorum mores, præſertim in his, quæ ad tuendum cujusque dominium pertinebant. Hinc & rigidas eorundem fuiſſe leges, ac rigidam etiam veteris Jurisprudentiæ rationem. Illuſtrantur hæc verbis Sexti Empirici, Dionyſii Halicarn. (ubi εἰργειν vertit Noſter *exponere*) Papiniani *apud Collat. LL. Moſaic. & Rom.* Conſtantini *in L. 2 pr. C. Theod. liberal. cauſ.* & Simplicii *ad Epict. c. 37.* Primos equidem Reges Romanorum obſervaſſe Legem Romuli de poteſtate occidendi ac vendendi, fuiſſe tamen, quibus diſplicuerit; quin & diſplicuiſſe ipſis Decemviris: hos tamen trecentis poſt annis non auſos fuiſſe legem illam moribus receptam tollere; inſeruiſſe igitur XII Tabulis, quartæ nimirum, οὐκ ἐτόλμησαν ἀνελεῖν, *non auſi ſunt tollere*, ait Dionyſius. Miteſcentibus itaque moribus, non usque adeo fuiſſe exercitam illam vitæ necisque poteſtatem: quamdiu autem exerceri potuerit, varie diſputari. Noſtro placuit, viguiſſe effreniorem illam

C. 1.

potestatem ad tempora usque Trajani, Adriani vel Antonini Pii, inde cessasse moribus primum, deinde legibus. Non concidisse uno statim ictu, vel lege in hanc rem lata, effreniorem illam potestatem, sed deferbuisse sensim sine sensu. Si ultra instes, Legem permittere, ut pater *ex justa causa* filios interficiat, respondet Noster, neminem nisi *unum* & *solum* id affirmare Sopatrum apud Grotium de J B. ac P. L. 2 c. 5, n. 28, alios omnes, & quidem testes magis idoneos, simpliciter loqui, sine ulla ullius causæ mentione. Neque tamen putandum ideo, patres animi oblectandi gratia occidisse liberos, sed justa indignatione motos ob facinus aliquod vel in se, vel in Rempublicam admissum. Eoque sequuntur exempla non pauca, ubi causa justissima subfuit. Nam Servius Tullius forte non processisset ad novam legem, nisi vidisset, adversus filium immorigerum fuga se proripientem, succurrendum patri esse eo judicio, ut filius a quovis, qui eum caperet, posset occidi. Magis movet Nostrum illud apud Senecam Rhetorem *Lib. 2 Controv. 3, an filius agere etiam cum patre possit, cui vitæ mortisque arbitrium datum est?* Et oratio Alexandri ad patrem Herodem coram Augusto, apud Josephum *L. 16 c. 8.* Sequuntur Leges Romanæ, Cornelia, Pompeja, Julia: nulla enim harum jam tunc interdictum fuisse patri jus istud occidendi liberos, quos vellent; probe autem attendendum, ut JCtos Romanos intelligamus de illa ætate, quam habebant istæ Leges, & non simpliciter de ætate JCtorum recentiore, qua eas interpretabantur. Sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio, Alexandro Severo, excultis studiis humanitatis & mansuetudinis, ipsiusque philosophiæ moralis, successisse etiam mores mitiores, qui rigorem juris veteris sensim ac sine sensu subegerint, tandemque Constitutiones Principum illorum αὐτοδικίαν hanc sustulisse. Inceptum a servis, neque amplius permissum in illos sævire, etiam sub ipso Augusto: neque adeo plus juris relinqui potuisse patribus in liberos, cives Romanos, quam Dominis in servos. A Constantino autem pœnam etiam parricidii statutam in patrem ob cædem liberorum, *L. un. C. de his qui parent.* Jam C. 5 & 6 respondet Vir Illustris iis, qui sub Papiniano, Ulpiano,

C. 2 & 3.

C. 4.

C. 5 & 6.

no, & Paulo jus vitæ necisque in liberos ſtetiſſe adhuc opinantur. Et repetitis illis, quæ antea dixerat, confectum eſt negotium. Succedit nova quæſtio, an pater tempore Pandectarum & usque ad Principum conſtitutiones, jure poteſtatis ſuæ potuerit procurare abortum, ut jure ſuo cædere infantem jam editum? Reſpondet Noſter, *ajunt potuiſſe* p. 187. Deinde p. 190, *JCti nec ajunt nec negant, patri licuiſſe abortum procurare* Alia quæſtio, an mulieri poculum abortionis bibere licuerit? *Fere negant veteres JCti*, inquit: aut ſi dederint hanc poteſtatem, non aliter quam de partu, quam mulier ex vulgivaga Venere, non ex marito concepit, dediſſe, quia uterus ad maritum pertinet jure proprio; etiam ex mente Ulpiani in *l. 8 ad L. Corn. de ſicar.* Necem autem infantum editorum, atque illorum expoſitionem, jure & legibus Romanis, ipſa ætate Veterum JCtorum improbatam illicitamque affirmat: licuiſſe tamen jure antiquo, i. e. impunitum fuiſſe. Jure vero Pandectarum teneri patrem liberos illos agnoſcere & alere, & cogi per Prætorem. Nec potuiſſe reſpondere, paratum ſe eſſe vel necare partum vel exponere. Neque electionem illi fuiſſe, velletne liberos tollere, an abjicere. Qua occaſione verba Pauli *Lib. II Sent. §. ult. & L. 4 de agnoſc. & alend. lib.* inſigniter illuſtrantur. *Necare videtur qui perfocat. Non eſt*, inquit, *intelligendum de matre, quæ partum abigit*, ſed de ſtrangulando partu, & cui ſpiritus intercluditur obſtructis faucibus. Ad verba, *qui alimonia denegatur*, locus Ennodii, Ticinenſis Epiſcopi, Declamat. IX egregie emendatur: *ſi manu medica jugulum præſcidiſſes - nec, ut* crudelem *decet, inferre.* Ut hoc argumentum ex Paulo amoliretur V. C. Gerardus Noodt, diſtinxiſſe eum ait præcepta officiorum a regulis & decretis juris: præcepta officiorum pertinere ad ſapientiam moralem, cujus ſit monere, ſuadere & ex ratione virtutis, etiam veræ, regulas præſcribere; non item imperare, vetare, & pœna cogere ad ſui obſervantiam; quod pertineat unice ad Decreta Juris & Legem. Verba Pauli referenda eſſe ad præceptum morale, non ad Decretum Juris. Hic jam uſus eſt Vir illuſtris viribus ſuis, atque publica Senatorii Conſeſſus autoritate: Paulum, ait, eo opere vel

C. 7.

 ma-

maxime Juris Regulas & dogmata Jurisprudentiæ comprehendere, principia inquam & fundamenta Juris Civilis. *Si hanc Pauli particulam, si reliquas, quas Pandectis inseri jussit Justinianus, ad pracepta moralia referas, vereor, ut, quod ille pro lege haberi voluit, habeatur pro declamatione alicujus Rhetoris vel Philosophi.* Ne matribus quidem licuisse necare: & quamvis pater non nominetur a Paulo, crimina tamen hic recensita vix cadere nisi in patrem, vereque dixisse illum secundum Jurisprudentiam sui temporis. Noodtium tamen largiri, de recens natis & sanguinolentis infantibus tandem secutam, eamque primam prohibitionem Valentiniani, Valentis & Gratiani in *L. 8 C. ad L. Corn. de sicar.* Illos autem ante hanc legem populari errore vix habitos fuisse pro homine, quia nutricis opera & officium nondum accesserit aut intervenerit, ut est apud Philonem, *de vita Mosis.* Respondet Noster, illum errorem nec Philonem ipsum occupasse, (tunc enim pro homicida habitum etiam qui matrem fœtumve in utero percussit, ut inde abortus sequeretur, si fœtus formam hominis acceperit, libro de *legibus specialibus*) nec veteres JCtos. Dissidium aliquod occurrit C. 8 inter recentiores Principum Constitutiones, & cum inanis fere labor videatur Viro illustri in defendenda posteriorum temporum Jurisprudentia, mallet simpliciter Paulum sequi Lib. 5 Tit. 1 §. 1, quam quicquid est aliarum distinctionum. Revertitur Noster C. 9 ad jus antiquum, atque existimat, *primam* Legem Romuli de educanda omni prole mascula, & quæ ibi sequuntur apud Dionysium f. 88, per alteram, quæ memoratur fol. 96, iterum fuisse a Romulo ipso abrogatam, & omnigenam rursus potestatem patribus concessam occidendi, vendendi, exponendi, & si quid illis pejus est, promiscue scilicet, & citra discrimen partus monstrosi vel non. Alteram hanc legem etiam fuisse insertam XII Tabulis. Falli itaque eos, qui putent, primam legem fuisse partem earundem XII Tabularum.; quin neque satis de eo constare, an caput unicum de partu monstroso ibi deprehendatur. Causam erroris hanc fuisse, quod interpretes illi primam & secundam Romuli legem non distinxerint, tribuerintque primæ abrogatæ, quod de sola secunda

C. 8.

C. 9.

ſecunda verum eſt, eam ſc. XII Tabb. inſertam. In eadem hac nominari etiam jus exponendi, *ſi recte*, inquit Noſter, *verti Græca Dionyſii*. Ultimo capite X reſpondet idem ad Patrum Chriſtianorum autoritatem, apud quos agatur de cædibus & expoſitionibus liberorum apud Romanos frequentibus, tanquam de re licita, Juſtini Martyris, Tertulliani, Arnobii, Minutii Felicis, Ambroſii. Nam hos vel æquales fuiſſe JCtorum, qui in Pandectis loquuntur, vel poſt illos vixiſſe etiam ſub ipſis Chriſtianis Principibus. Neque aliquid ultra deſiderandum. *Sed ego*, ſequitur, *nolim religioni pietatique meæ eſſe fraudi, ſi dixero, veteres Chriſtianos de bona fide ſæpe parum ſollicitos, Gentilibus ceu adverſariis ſuis plurima exprobraſſe, ac ſi ea Gentiles haberent pro licitis: quæ tamen Gentiles eorumque Leges palam deteſtabantur.* Plus ſemel illos Patres inſurgere in ſeculi vitia, in mores corruptos, in fecem populi & turbam ſine nomine: hæc vero ad viros bonos, qui legibus viverent, non recte detorqueri. Tales eſſe declamationes illas contra homicidia & adulteria, ut impunita fere fuiſſe dixeris. Unum Minutium Felicem multa protervia Gentiles exagitare, ac ſi ea crimina permiſiſſent: verba ejus: *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire.* Et mox: *At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus: unius matrimonii vinculo libenter inhæremus*, in *Octav.* Poſſem ſexcenta ejusmodi proferre: & quæ ſequuntur apud Noſtrum. Forte etiam Chriſtianos Gentilibus promiſcue ideo objeciſſe vulgi flagitia, utpote ignaros, an legibus eſſent vetita: meliores ſcilicet fuiſſe Theologos, quam JCtos. Contra homicidium tamen præſto fuiſſe Legem Corneliam, contra adulterium Legem Juliam, atque ita in aliis: contra necem & expoſitionem liberorum Leges Conſtantini una plures; ante illum quoque inter ſeculi vitia cædes & expoſitiones infantum fuiſſe numeratas & punitas: & forte hac mente a Patribus increpatas. Malos mores extorſiſſe Patribus honeſtas illas orationes: quia nullus eorum dixerit, jure licito patres ſua ætate abblandientes ſibi puerulos eliſiſſe, expoſuiſſe; ſed ejus ſceleris immanitatem & frequentiam narrare primum, deinde damnare, & præterea nihil. Fateri hoc ipſum Tertullianum

lianum Lib. I ad Nationes c. 15. *Vos quoque infanticidæ, infantes editos necantes, Legibus quidem prohibemini, sed nullæ magis Leges tam impune tam secure, sub omnium conscientia, unius æ.... tabulis eluduntur.* Lacunam conjicit Vir illustris hoc modo supplendam *unius ædipi fabellis eluduntur.* Clarissimum Noodtium, ne sibi obstet is locus, Tertullianum accipere de Lege Romuli, vel de Lege XII Tabb. cui illa Romuli lex inserta fuerit. Sed videri magis de legibus sui temporis loqui: quum Romulus eam legem priorem ipse postea abrogaverit per legem posteriorem. Et hanc demum Tabulæ IV fuisse insertam: de priori id non constare. Unum Ciceronem L. III de Legib. c. 19 subinnuere, de *insigni ad deformitatem puero* mentionem factam in XII Tabulis. Sed hic novam litem de lectione Ciceronis ortam. Nostro placuit, *cito denatus*, &, *quo pacto recreatus.* Sed esto, jusserit lex XII Tabb. partus monstrosos interfici, non ideo jussisse, partus integros tolli. Quin aliud de monstro sanxisse priorem legem Romuli, aliud legem Decemviralem. Illa non vetuit exponi, sed permisit ex sententia quinque vicinorum: hæc jussit monstrum cito necari, nec demum ex arbitrio aliorum. Ex posteriori autem Lege Romuli arbitrio illo non fuisse opus, ne quidem in partus integri nece vel expositione. Tertullianum igitur præsumi intelligere non priorem & abrogatam Legem Romuli vel similem Decemviralem, quæ non extet, sed Leges suæ ætatis. Verba Justini Martyris, de quo paulo ante, ex Apologia II depromuntur, Arnobii citantur Lipsio ex libro octavo, Lactantii ex Lib. 5 Div. institut. c. 9 & Lib. 6 c. 20, Ambrosii denique ex Hexaemer. Lib. 5 c. 18, quæ singula describere supersedemus.

Ceterum quæ hujus quoque Dissertationis occasione ad nos dedit Cel. Wæchtlerus, ea in in Suppl. Tom. VII Sect. VIII comparebunt.

ACTA MEDICA BEROLINENSIA IN INcrementum Artis & Scientiarum collecta & digesta. Volumen V & VI.

Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1719 & 1720, 8. Plag. 13.

In

IN Voluminis V Sectione I imputatum errorem circa denominationem rubricæ dissertationis Leidenfrostianæ, quæ agit de casu Beati Lichtscheidii, modeste declinant Medici Berolinenses. In Sectione II Historia ægrotorum, qui per æstatem anni 1718 Fontem salutarem Freyenwaldensem frequentarunt, nectitur, & in III Casus quidam memorabiles de calculis tam folliculi fellis quam renum describuntur. Lites, quæ in Sectione I agitantur, nostras non facimus; ex aquarum Freyenwaldensium usu salutarem effectum experti perhibentur illi, qui psora pudendorum, contractura & aridura brachii, mensium defectu, partium & artuum imbecillitate post superatum morbum acutum, asthmate ex metastasi febris acutæ, affectione hypochondriaco-spasmodico-flatulenta, rheumatismo & inde oriundo serpiginoso affectu cutaneo ex febre acuta, faucibus exulceratis venereis cum topho in pede, carie tibiæ ex mensium imminuto fluxu, glaucomate, asthmate periodico hypochondriaco-spasmodico, polypo narium cum ozæna & exostosi maxillæ superioris, aridura, cephalæa, asthmate humido hypochondriaco flatulento, panno oculorum ex achoribus, morbillorum metastasi ad artus & cutem, rheumatismis, decubitu ex mensium suppressione ad pedes, malo hypochondriaco, stupore utriusque brachii ex purpura alba, ophthalmia cum pannis oculorum, nephritide calculosa cum œdematibus pedum, raucedine cum retrocessione sudoris, arthritide vaga, podagra, inflatione dolorosa lienis ex asthmate spasmodico, atonia juncturæ pedis ex febre relicta, tæniis, & scabie laborarunt. Inter calculos, qui ultimo loco commemorantur, notandi sunt lapilli numero 37 coloris albi, variegati, splendentis in folliculo fellis mulieris reperti, quæ per duos annos de periodico & frequenter recurrente dolore in hypochondrio dextro cum aliquali pedum intumescentia conquesta fuerat. Commendant insimul Medici Berolinenses in hoc Volumine echium minimum contusum oculis inflammatis rubentibus inter duplicatum linteum applicandum, fimum tauri simul cum urina tumentibus in arthritide & dolentibus locis admovendum; frumenti prima stamina viridia ad men-

p. 33.
68.
70.

p. 71. menſium ſuppreſſionem; interiorem tunicam ventriculi ciconiæ nigræ ad febrem quartanam; atque thermarum Carolinarum aquas ad diſſita loca pro uſu interno ſalutariter transportari poſſe, exiſtimant.
59.

In Volumine VI, tribus pariter Sectionibus circumſcripto, Hiſtoria morborum Anno 1719 Berolini obſervatorum deſcribitur, Caſus nonnulli Chirurgici, & Sectiones cadaverum recenſentur. Morbos quod attinet, poſt Solſtitium brumale ob repentinam aeris mutationem ortæ ſunt febres catarrhales benigniores æque ac maligniores, utræque ad diarrhœas proclives, miliares albæ, peripneumonicæ, rheumaticæ, continuæ, petechiales, affectus ſpaſmodico-convulſivi, pluresque analogi, vel ad catarrhos vel rheumatiſmos referendi. Circa æquinoctium vernale repurgationes humorum ſponte natura inſtituebat, quæ ubi patulas & humoribus lentis nondum obſeſſas offendebant vias, ſatis ſalutariter procedebant, inque febrium varie formatarum figuris conſiſtebant; ubi vero ex prædiſpoſitione vitæ minus ordinate tranſactæ offendebant impura & cachectica corpora, ſimul ſenio fracta, morbi eveniebant chronici, ac refractarii, conſpiciebantur etiam variolæ & febres verminoſæ, item lentæ, aſthmata chronica. Sub ſolſtitium æſtivum dyſenteria, cujus hiſtoria prolixius recenſetur, populariter graſſabatur, & febres quotidianæ in continuas plus minus petechizantes abeuntes obſervabantur. Poſt æquinoctium autumnale febres curſum ſuum continuabant ad ſolſtitium hybernum usque, morem anomalum varia ſchemata vel catarrhalium vel tertianarum continuarum, vel duplicium, vel potiſſimum quartanarum induendi conſervantes. Circa finem anni variolæ infantes non admodum malignæ, rheumatiſmi, pulmonum affectus & uteri adultos adoriebantur. Caſus Chirurgici, qui hic recenſentur, gangrænam fracturæ pedis ſupervenientem, aliamque ex ulcuſculo digiti minimi pedis ortam, amputationem pedis carioſi, empyema per paracentheſin curatum, extirpationem tumoris ſteatomatoſi in femore funeſtam, herniam male pro abſceſſu habitam, abſceſſum umbilicalem, ex quo acicula prodiit, & tumorem chronicum in genu, cui caries oſ-

offium supervenerat, respiciunt. Sectioni denique subjecta sunt cadavera repentina morte ex ventriculi foramine defuncti, phrenetici, puellæ hydropicæ ex quartana per chinam suppressa, duorum peripneumonicorum, phthisici, hydrope pectoris extincti, ascíticorum duorum, ubi in alterutrius abdomen lympha ex vomica pulmonis per foramen diaphragmatis præter naturaliter factum descenderat, & pleuripneumonici. Annotant insimul Doctores Berolinenses, febres rheumaticas venæsectionem haud bene ferre; muscum corallinum cum mercurio dulci febres verminosas profligare; herniam per dysenteriam fuisse curatam; fœminamque, quæ ex febre tertiana duplici anomala in febrem lentam & infarctum lienis inciderat, frustum glandulosum, quod æri incisum visitur, per alvum rejecisse.

p. 11.
23.
44.
47.

Vernünfftige Gedancken von GOtt, der Welt und der Seele des Menschen ꝛc.

h. e.

MEDITATIONES DE DEO, UNIVERSO, & Mente humana, Entibus omnibus in genere; Autore CHRISTIANO WOLFIO, P. R. B. Consil. aulico, Math. & Nat. P. P. O. Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodali.

Halæ Saxonum, ex Officina Rengeriana, 1720, 8.
Alph. 1 plag. 17.

AUtorem Celeberrimum, Rectorem h. t. in Academia Halensi Magnificum, animum ad Mathesin methodi potissimum gratia applicasse, ut disciplinas philosophicas, moralia præsertim & metaphysica, ad majorem certitudinis ac evidentiæ gradum eveheret, in Act 1717 p. 88 monuimus. Quantum in methodi cognitione profecerit, cum ex ipsius Tractatu Logico de intellectu, de quo in Act. 1713 p. 133 & sqq. diximus, quique uberioribus præsertim exemplis ac nonnullis regulis auctior 1719 recusus, tum ex Ratione Prælectionum, in Actis anni superioris p. 118 & sq. nobis commemorata, satis superque

apparet. Prodiit initio hujus anni Metaphysica, cujus caput secundum Ontologiam seu generalem Entis cognitionem, tertium & quintum Pneumatologiam, quartum Cosmologiam metaphysicam, sextum denique Theologiam naturalem complectitur.

Quod methodum attinet, qua Autor opus hoc metaphysicum conscripsit; tenendum est, eandem omnino esse, qua Elementa Matheseos universæ concinnavit, etsi definitionum, axiomatum, propositionum, corollariorum ac scholiorum titulos non adscripserit, sed continuo verborum nexu uti maluerit, capitibus in articulos distinctis, quorum numero sunt 1089. Citationibus tamen continuis perinde ac in Elementis Mathematicis usus est, cum in thesium probatione non assumat nisi ante probata, vel definitiones, & continua brevitate usus ab omni superfluo verborum apparatu abstineat. Sed agedum perlustremus paulo specialius singula capita, ut quandam Systematis ideam animo concipere detur.

Cap. 1 itaque de existentia nostra tractat: ubi in rationem evidentiæ, qua cognitio ejus nititur, eum potissimum in finem inquirit, ut in subsequentibus constet, utrum aliæ veritates momentosæ eadem evidentia cognoscantur, nec ne. Ideo modum illationis distinctius explanat & demonstrationis geometricæ formam inde exsculpit, qualis nempe esse solet, ubi analysis perfecta datur. Hisce breviter præmissis

Cap. 2 ad Ontologiam progreditur, quod de primis cognitionis principiis & entibus in genere inscribit. Notiones generales, quas hic evolvit, ex duplici principio derivat, *principio* nempe *contradictionis*, quod Scholastici cum *Aristotele* jam usurparunt, & *principio rationis sufficientis*, quod ab *Archimede* olim in Mechanicis adhibitum, *a Leibnitio* in Metaphysicam primum introduci cœpit, & cujus geminam Noster demonstrationem affert, cum *a Leibnitio* nonnisi per inductionem probaretur, cujus fide idem assumserat *Archimedes*. Neque vero eidem sufficit notiones explicasse: verum etiam multas ex iisdem conclusiones deducit, quæ præmissarum vices in subsequentibus ratiociniis subeunt. Multus inprimis est in theoria simpli-

simplicis & compositi, quæ in doctrina de mente, mundo ac Deo magnum affert adjumentum. Nec minorem industriam ponit in doctrina generali ordinis ac perfectionis, hactenus apud Metaphysicos prorsus neglecta, in specialibus tamen materiis modo laudatis ac in principiis moralibus rite constituendis maximi usus. Simplicium existentiam ex ipsa compositorum existentia infert vi principii rationis sufficientis & postquam ostendit, nullas ipsis cum compositis proprietates communes esse posse, tandem evincit, continuam dari in iis status interni mutationem, in variatione graduum virtutis alicujus perennantis, sed per se indefinitæ, consistentem, ita ut status præsentis ratio sufficiens contineatur in antecedente atque adeo præsens status per antecedentem distincte explicari possit. Quoniam Autor continuo nexu unum ex altero deducit, ita ut analysis ratiociniorum verbis concisis expressorum in primis tandem notionibus terminetur, quarum realitas vel a principio contradictionis, vel a principio rationis sufficientis, vel ab utroque pendet; fieri sane non potest, ut apertius dicamus, quomodo illam simplicium proprietatem demonstret. Tenenda vero hæc sunt de substantiis simplicibus finitis, quas ab infinita sic distinguit, ut *infinita* habeat omnes status possibiles simul, *finita* vero successive: quæ differentia non exigui in Metaphysicis momenti, hactenus non animadversa, infinitum imaginarium, quale est mathematicum, cum reali vulgo confundentibus Philosophis. Ordinem definit per similitudinem in varietate, atque hinc inter alia ostendit, quod spatium sit ordo simultaneorum, tempus ordo successivorum, veritas ordo phænomenorum, & quilibet ordo suas habeat regulas, quarum multitudine gradus ejus æstimentur. Ob gradus vero ordo habet quantitatem & rationis fit capax. Perfectionem definit per consensum in varietate, imperfectionem per dissensum & in omni perfectione ordinem esse probat; non tamen omnem ordinem statim inferre perfectionem. Distinguit autem inter perfectiones simplices & compositas. Fundamentum distinctionis situm est in rationibus perfectionum, quæ sunt regularum principia, unde consensus æstimetur. Quoniam vero in perfectionibus compositis regularum sæpius datur con-

conflictus, qui exceptionem parit; docet etiam, a quanam regula exceptio fieri debeat, ut perfectio major in toto obtineatur. Atque hunc regularum conflictum esse causam, cur subinde imperfectio partis ingrediatur perfectionem totius. Quemadmodum vero theorias maxime abstractas praxi constanter accommodat, ita quoque in doctrina ordinis & perfectionis problemata solvit, quomodo ordo pariter ac perfectio agnoscatur, & utriusque gradus determinentur. In varietate graduum perfectionis entium essentiam similem habentium fontem contingentiæ reperit: sed ea hic pro dignitate exponi nequeunt. Ceterum non omnes notiones ontologicas in hoc capite evolvit: verum plures in subsequentibus demum passim enodat, ubi eas commodius explicari posse animadvertit.

Cap. 3 animam contemplatur, quatenus a posteriori, ex ipsius scilicet operationibus, cognoscitur. Quoniam tamen ubique cognitionem distinctam curæ cordique habet; singulorum etiam, quæ de mente observantur, notiones distinctas affert & subinde annotat ab aliis in eadem non animadversa. In omni autem pertractatione differentiam inter partem animæ superiorem ac inferiorem, quam agnovere Veteres nonnulli, sollicite observat. Ejus fundamentum ipse in differentia cognitionis confusæ atque distinctæ constituit. Illa nimirum ad partem animæ inferiorem; hæc ad superiorem spectat. Et ideo menti tribuit sensus quoad præsentia, & imaginationem quoad præterita & futura seu absentia, quatenus habet perceptiones confusas; intellectum vero, quatenus eædem sunt distinctæ. A perceptionibus confusis appetitus sensitivus cum affectibus; a distinctis vero voluntas proprie sic dicta oritur: & quemadmodum a sensu & imaginatione servitus, ita ab intellectu ac pendente hinc ratione, quam per intuitum nexus veritatum definit, libertas, judice Nostro, emanat. Agit igitur in hoc capite primum de cogitationibus in genere, deinde speciatim de sensibus, imaginatione, memoria, reminiscentia, intellectu, ratione, ingenio, analogo rationis, voluptate, tædio ac dolore, appetitu sensitivo affectibus, voluntate, libertate ac servitute, dispositione naturali & habitu, tandemque de commercio inter men-

tem

tem & corpus. Ut ſpecialia quædam commemoremus, tenendum eſt, Cel. Autorem, ubi de imaginatione agit, hanc regulam tanquam legem ipſius inculcare: Si quæ perceptiones fuerint aliquoties præſertim partes unius totalis, earum una excitata, alteram quoque redire, & de memoria differentem, cur meminerimus, nos olim eandem perceptionem habuiſſe, rationem hanc reddere, quod tunc in alio ordine quam nunc contineretur. Ex iſta autem imagitionis lege oſtendit, ſomnium eſſe debere ſtatum perceptionum totalium diſtinctarum, ſed inordinatarum, cum contra ſtatus vigilantis ſit perceptionum diſtinctarum ordinatarum, veritate in ordine phænomenorum fundata. Docet præterea, quænam ſint imaginationis partes in inveniendo non minus, quam in fingendo, & quomodo cum ipſa, tum memoria extendi poſſit. Intellectum definit per diſtinctam poſſibilium repræſentationem, eumque vocat purum, quatenus notiones ab imaginibus ſeparat: id quod fit ope combinationis characterum, in quorum cenſum etiam veniunt voces, quarum indolem atque diſcrimen contemplatus, varia in medium profert in Grammatica univerſali uſum habitura. Explicat hic notionem artis characteriſticæ combinatoriæ, cujus nudum nomen in epiſtola quadam *Leibnitii* apud *Walliſium* legitur, itemque diſcrimen inter cognitionem intuitivam atque ſymbolicam, ubi circa judicia atque ratiocinia inexpectata quædam profunditas ſeſe offert. Ex. gr. ſi quis columbam videns ajat, avem iſtam eſſe columbam, primo intuitu vix nobis ratiocinari videbitur: oſtendit tamen Noſter, ſi quis diſtincte ex natura Mentis explicare voluerit, quomodo fieri poſſit, ut verba iſta pronunciet columbam videns, eum ad Syllogiſmum ſeu præſcriptam in Logica ratiocinandi formam recurrere debere. Habet quoque varia de experientia & arte obſervandi ac experimentandi, & in doctrina de ratiociniis conſequentias immediatas examinat, quas vel enthymemata cryptica, vel ſaltus in ratiocinando permiſſos eſſe monſtrat, conſiſtentes ſcilicet in imitatione ratiociniorum olim diſtincte evolutorum. Regularum artis inveniendi duplicem fontem agnoſcit, intellectum ſcilicet atque ingenium, cumque ingenium per facilitatem obſervandi ſimilitudines definiat, in

cen-

censum posteriorem refert imprimis ***principium reductionis***, de quo nonnulla diximus in Actis anni superioris p. 118. Analogum rationis per expectationem casuum similium explicat, cujus cum ratione similitudinem ex notionibus rationis atque similitudinis monstrat, & quando vicem rationis tueatur, docet. Certitudinem omnis cognitionis, sive a priori sive a posteriori acquiratur, tandem a principio contradictionis pendere demonstrat. Mittimus, quæ de demonstratione, probabilitate, scientia, opinione ac errore habet. Sequitur deinde, quomodo appetitus ex boni malive repræsentatione, & quidem sensitivus ex confusa, rationalis seu voluntas ex distincta oriatur. Appetitus vehementiores sunt affectus, unde ostendit, quod in omni affectu sit confusa repræsentatio plurium sive bonorum, sive malorum, quæ non magis discernuntur, quam perceptiunculæ mutationis radiorum luminis in visione colorum, vel soni singulorum fluctuum in murmure maris inquieti. Lætitiam definit per prædominium notabile voluptatum; tristitiam vero per prædominium notabile dolorum seu tædii: affectus ceteros esse horum veluti gradus per circumstantias speciales, quibus bonum vel malum confuse repræsentatur, limitatos vel eorundem mixturam. Sic e. g. amor est dispositio animi ad voluptatem ex alterius felicitate percipiendam: odium vero dispotisio ad percipiendum voluptatem ex infelicitate alterius. Invidia est tædium ex alterius felicitate subortum, & ita porro. Ad libertatem requirit intelligentiam & contingentiam actionis atque spontaneitatem. Contingentia actionis excludit necessitatem intrinsecam; spontaneitas extrinsecam sive coactionem. Unde ulterius probat, motiva actiones non reddere necessarias, sed tantummodo certas, ipsarum futuritione ab illis pendente. Hanc certitudinem esse id, quod vulgo *necessitatis moralis* nomine insigniatur. Dum commercium inter mentem & corpus describit, quatenus experientiæ subest, multa utitur circumspectione, ut vitium subreptionis evitetur, quod vulgo committi solet & quo nititur influxus physici Systema.

Cap. 4 ad Universum seu Mundum progreditur, quod ejus

ejus notitia ingreditur notionem mentis humanæ; immo spiritus in genere aliarumque substantiarum simplicium, nec absque ea Theologia naturalis solide pertractari potest. Definitionem Universi, quam Cel. Autor via analytica eruit, exhibuimus in Actis anni superioris p. 123, quod nempe sit series possibilium simultaneorum & successivorum inter se connexorum. Vocat autem inter se connexa, quorum unum continet rationem alterius. Probat, entia in universo tum ratione spatii, tum temporis connexa esse, atque hinc universi unitatem concludit. Docet deinde, essentiam mundi tanquam entis compositi in structura consistere, atque adeo omnes in universo mutationes ex ea consequi ac per eam intelligi. Ob essentiarum immutabilitatem infert, mundum non amplius esse eundem, si vel minimum in structura diversum sumatur, nec in eo casu phænomena amplius eadem fore. Ostendit porro, mundum esse machinam & ideo inesse phænomenis veritatem, immo in omni composito mechanismum esse fontem veritatis objectivæ. Eundem mechanismum esse fontem certitudinis, cujus a necessitate differentiam perspicue explicat, etsi communiter certitudo objectiva phænomenorum *necessitas physica* vulgo salutetur. Atque hac occasione contingentiam paulo profundius rimatur, quam ob immutabilitatem essentiarum tantum ratione actus, haud quaquam ratione potentiæ admittit. Monstrat vero, universum perinde integrum ac singula ipsius phænomena esse contingentia. Unde etiam necessitatem physicam a contingentia distinguit, cum illa respiciat potentialitatem, hæc vero actualitatem phænomenorum. Contingentia determinari ad actum per infinitam seriem caussarum, atque adeo perfecta analysi non comprehendi. Per elementa mundi intelligit simplicia, quæ sunt fons & origo compositi, atque hic notat errorem Philosophorum, qui elementis, hoc est simplicibus, attributa & modos compositi, hoc est corporis tribuunt. Ut de iis certiora tradat, ad eadem non modo applicat, quæ in capite ontologico de simplici in genere demonstravit, verum etiam ***principium indiscernibilium Leibnitii*** stabilit, vi cujus nec duo simplicia, nec composita similia existere possunt. Utitur au-

tem eum in finem non modo principio rationis sufficientis cum *Leibnitio*, verum etiam notione contingentium modo laudata. His admissis sequitur ultro admiranda varietas in rerum natura, sive composita, sive etiam simplicia spectes, cum hac utique ratione non solum quantulæcunque spatii partes quantulocunque tempore a se invicem realiter distinguantur, sed & singuli status simplicium per totum durationis tempus prodeant diversi, quos tum inter se, tum cum compositis consentire debere probat. Sic constat dari rerum harmoniam universalem & infinitam Naturæ perfectionem. *Leibnitius* simplicia dixit monades seu atomos Naturæ, & status internos explicavit per quoddam perceptionum genus, ita ut quælibet monas sit speculum universi exhibens imaginem ejus pro eo, quod in universo obtinet, puncto; sed Noster hac vice nondum definit, in quonam status internus simplicium consistat. Difficilis videtur compositorum ex simplicibus ortus: eum tamen Noster distincte explicat, difficultates, quas contra puncta Zenonica afferunt Philosophi, a punctis istis realiter a se invicem quovis momento distinctis removens. Scilicet cum præcipuæ difficultates oriantur a coincidentia punctorum in compositione, qua continuitas & extensio tollitur; Noster ostendit, realium punctorum differentiam internam ad id sufficere, ut unum extra alterum existat, alias enim diversa forent idem, quod absurdum, ab extraneitate resultare extensionem, ab ordinis vero, qui ex principio rationis sufficientis resultat, simplicioris exclusione continuitatem: quæ etsi concisis verbis prolata obscuritatis quid habere videantur, hic tamen distinctius explicari non possunt. Ab elementis ad elementata, hoc est, corpora progreditur. In iis materiam, essentiam & naturam distinguit. Ad materiam refert non nudam extensionem, verum etiam vim inertiæ, qua mutationi resistunt & in statu suo uniformiter perseverant, nisi adsit extrinseca mutationis ratio. Cum vero materia ex congerie elementorum cum ratione ordinatorum resultet; minime probat, quod instar massæ confusæ ac uniformis vulgo concipiatur: quam notionem confusam imaginationi deberi monet. Essentiam in structura consiste-

ſiſtere probat, ubi docet, quatenus philoſophia corpuſcularis admitti debeat. Naturam in vi motrice ſeu mutationum principio fundat. Etſi autem vis ultimo ortum trahat ab elementis; monet tamen, in compoſitis vim conſtanter conſiſtere in fluido interlabente. Hac data occaſione in naturam motus & principia motuum, quæ Legum motus nomine vulgo veniunt, inquirit, eoque demonſtrat, quæ vulgo a Mathematicis ad demonſtrandas regulas motuum ſumantur, quale eſt iſtud: actiones & reactiones corporum eſſe æquales. Probat quoque dari in corporibus motum inteſtinum, qui in motum totius ſubinde convertatur; ſicuti vice verſa motus totius nonnunquam recipitur in motum partium atque fluidi interlabentis ſicque in inteſtinum tranſit. Probat ulterius, in natura non dari ſaltum, quem a ſubitaneo diſtinguit, cujus cauſas aſſignat. Hac occaſione una de minimis tempuſculis conceptibilibus atque ex parte imaginabilibus agit. Monſtrat deinde, motum non convenire ſimplicibus, ſed ſaltem compoſitis, atque adeo nec naturam materiam unquam reſolvere in ſua elementa, ſed tantummodo in minus compoſita, ſeu corpuſcula minora, quæ tamen conſtantis molis atque figuræ non ſint. Vi notionis generalis perfectionis univerſi ſeu mundi perfectionem in harmonia rerum univerſali fundat, unde fluit difficultas de rerum perfectione judicandi, cum ad perfectionem totius juxta principia generalia ſæpe tendat imperfectio partis. Originem imperfectionis in rebus corporeis a regularum, quibus perfectio æſtimanda, conflictu derivat, & huc quoque refert phænomena extraordinaria, qualia ſunt monſtra. Docet deinde fundamenta graduum perfectionis in univerſo, ut judicium fieri poſſit, cur mundus unus altero perfectior eſſe queat. Agit tandem de ordine Naturæ ejusque a perfectione differentiam evolvit.

C. 5 in eſſentiam animarum atque ſpirituum inquirit, & exinde rationes a priori reddit eorum, quæ de mentis noſtræ operationibus obſervantur. Primo loco docet, quænam ad hoc requirantur, ut ſubſtantia ſimplex ſit ſui ipſius atque aliarum rerum conſcia, indeque probat, nullum corpus, nec ullam materiam, quantumvis ſubtilem, cogitare poſſe; ubi ſimul oſten-

dit, qualis differentia inter perceptiones & repræſentationes rerum corporeas in machina intercedat. Poſtquam itaque evicit, mentem humanam eſſe ſubſtantiam ſimplicem; ejus eſſentiam in vi repræſentandi univerſum pro ſitu corporis organici in universo conſiſtere probat, atque ex hac unica vi ſingulorum rationem a priori reddit, quæ de ſenſu, imaginatione, intellectu, ratione, appetitu ſenſitivo, affectibus, voluntate aliisque huc ſpectantibus C. 2 ex obſervationibus deduxit. Eandem vim eſſe naturam mentis, ut adeo ſupernaturale ſeu miraculoſum in eadem cenſeri debeat, quod per eam non eſt explicabile. Docet in genere, perceptiones eſſe repræſentationes compoſiti in ſimplici, atque ab imaginibus pictis & ſculptis differre, quod hæ ſint repræſentationes compoſiti in compoſito. Ceterum hic prorſus a priori incidit in Syſtema harmoniæ præſtabilitæ *Leibnitianum*, quod intactum relinquere ſtatuerat, neque ſolum ejus poſſibilitatem a priori demonſtrat, ſed omnes quoque difficultates, quas ingenue commemorat, diſtincta explicatione tollit. Perceptiones rerum corporearum nonniſi motus, magnitudines & figuras repræſentare: quæ, ſi ſingulæ diſcerni poſſunt, diſtinctæ ſunt; confuſæ autem fiunt, quatenus iisdem diſcernendis mens non ſufficit. Mutationes mundi idealis in mente eodem ordine, conſequenter eodem tempore, fieri, quo in reali contingunt: unde intelligitur ratio exiſtentiæ perceptionum ac appetituum mentis cum motibus ac mutationibus in corpore organico, quæ ab Autore diſtinctius explicantur. Cum omnis ſubſtantia finita ſtatus ſuos ſucceſſive evolvat; Cl. Autor porro monſtrat, quomodo iſta evolutio fiat in mente noſtra, ſeu, quod perinde eſt, quomodo ſucceſſive vis animæ ad infinitum tendens, nempe ad repræſentandum totum univerſum tum quoad ſpatium, tum quoad tempus, determinetur, ut ex variationibus limitationum diverſi ipſius ſtatus naſcantur. Brutis etiam animas immateriales attribuit, quarum tum ab invicem, tum ab humana differentiam exponit. Mittimus, quæ de ſtatu animæ in ſomniis, atque ſomniorum naturalium & ſupernaturalium diſcrimine occurrunt. Vim repræſentativam univerſi imaginationem appellari, quatenus

nus ſtatus præteritos vel futuros repræſentat, tendens a præſenti ad præteritos vel futuros ſimiles ex parte: ubi ſimul explicat, quomodo actus imaginationis mechanice in corpore organico repræſententur, & cur ſenſus atque imaginatio perturbari, ac medicamentis in ordinem reduci queant. Æſtimat deinceps gradus perfectionis in perceptionibus, quam in diſtinctione earundem fundat quoad formale, in extenſione ad multitudinem objectorum quoad materiale. Ad intellectum pedem promovens monſtrat, quomodo ex vi repræſentativa univerſi notiones univerſales emergant: id quod fit per intuitum ſimilitudinis perceptionum præſentium & præteritarum, quas ſenſus & imaginatio una ſiſtunt. Imprimis etiam hic cognitionis univerſalis mechanicam in corpore repræſentationem explicat, & perſpicue docet, quomodo corpus vi organorum verba notionibus mentis reſpondentia citra mentis influxum producere queat. Sequitur deinde, quomodo ratiocinia mentis ex unica iſta vi repræſentativa conſequantur, & quomodo eadem mechanice in corpore repræſententur. Cum de gradibus perfectionis intellectus diſſerit, explicat etiam, quid ſit acumen, quid ſoliditas, & unde ingenium oriatur, quomodo cum ab intellectu, tum ab ingenio ars inveniendi proficiſcatur, qui fiat, ut ſubſtantia ſimplex rationalis evadat, quomodo loquela rationis uſum promoveat, cur bruta eodem deſtituantur, quid ſit analogum rationis ipſis a veteribus conceſſum. Appetitum cum rationalem, tum ſenſitivum eſſe conatum producendi perceptiones prævifas, quem ex eadem vi repræſentativa univerſi, unde cetera derivavit, ortum trahere oſtendit. In affectibus adeſſe conatus multiplices plures perceptiones una producendi, vel earum productionem impediendi, in quo poſteriori conatu conſiſtit, judice Noſtro, quod averſationem appellarunt veteres. Agit deinde de libertate voluntatis & brutis appetitum ſenſitivum, haudquaquam voluntatem liberam concedens, omne diſcrimen inter animas brutorum & hominum diſtinctius exponit & a prima origine arceſſit. Sic quoque delabitur ad notionem ſpiritus evolvendam, qui eſt ſubſtantia ſimplex intellectu ac voluntate prædita: quare cum animæ brutorum tantum ſen-

su, memoria & appetitu sensitivo polleant, eas spiritus esse negat; etsi immateriales esse demonstret. Atque hac data occasione substantias simplices seu immateriales ad tria genera reducit, sub quorum primo monades Leibnitianæ, sub secundo animæ brutorum, sub tertio humanæ continentur. Discrimen petitur a forma repræsentandi universum, unde cetera fluunt. Determinat gradus perfectionis spirituum, rationis, voluntatis, atque sapientiæ notionem evolvit. Tandem de indestructibilitate animarum tam brutorum, quam hominum tractans, istis solam indestructibilitatem, his vero præterea immortalitatem tribuit: quod discrimen hic recensere non licet.

Progredimur itaque ad C. 6 seu ultimum de Deo: ubi Autor ex principio rationis sufficientis primum ostendit, dari ens necessarium & a se, quod sit æternum, primum & ultimum, indestructibile, incorporeum, simplex, independens, a mundo & animabus humanis diversum. Hanc diversitatem ita evincit, ut nec Dualistæ, nec Idealistæ, nec Egoistæ principia, quibus utitur, in dubium vocare possint. Atque ita Deum definit definitione nominali, quod sit ens a se, in quo continetur ratio sufficiens existentiæ universi. Ut igitur inde attributa divina porro deducat, ante omnia demonstrat, plures uno non existere posse mundos, etsi infiniti sint possibiles, cumque mundi non differant nisi gradu perfectionis, rationem, quæ Deum determinat, ut mundum unum præferat alteri, in perfectione ipsius fundat. Inde porro arguit, Deum sibi repræsentare distincte omnes mundos possibiles simul, atque hinc essentiam Dei ejusque naturam in vi repræsentandi omnes mundos possibiles distincte atque simul constituit, cum cetera ejus attributa inde pendeant, & intellectum divinum definit per repræsentationem simultaneam & distinctam omnium possibilium. Hanc rationem reddit, cur Deus sensibus careat & imaginatione, itemque affectibus, etsi in ideis hominum & brutorum sensus quoque & imaginationem intueatur. Inprimis etiam demonstrat, quod *Leibnitius* sine demonstratione affirmat in Theodicæa, Deum in qualibet minima spatii parte totum contueri universum: id quod etiam ad temporis partes

ex-

extendit, atque una notat, quamlibet universi repræsentationem differre a qualibet alia ut adeo unius sint repræsentationes infinitæ eædemque diversæ. Explicat porro, quomodo Deus præsciat futura & quomodo præscientia in objecto nil mutans nec contingentiæ Naturæ, nec libertati mentis deroget, originem difficultatum una indicans easque tollens. Addit alia de ratione divina & ortu essentiarum & veritatum omnisque perfectionis ab intellectu divino. Motivum voluntatis divinæ determinat summam rerum perfectionem, quatenus in toto spectatur, atque difficultates circa voluntatis divinæ libertatem expedit. A voluntate divina rerum actualitatem derivat, atque ostendit, quandonam ad voluntatem Numinis & qua adhibita cautione in scientiis provocare liceat: quæ non exiguum usum habent ad principia precaria ex disciplinis eliminanda. Refutat errorem de essentiis arbitrariis, fonte erroris clarissime detecto. Decretorum divinorum rationem exponit, quomodo fortuna tum prospera, tum adversa sit a Deo, monstrat. Postquam disseruit de diversis methodis voluntatem Numinis cum a priori, tum a posteriori agnoscendi, criteria quoque revelationis divinæ immediatæ affert ab objecto partim materiali, partim formali desumta & methodo demonstrativa ex jactis antea de mente humana, natura & Deo principiis stabilita. Ad classem priorem referri debet, quod objectum sit homini scitu necessarium, sed ad quod cognoscendum alia via, quam per revelationem immediatam pervenire nequit: quod a Deo revelata perfectionibus ipsius adversari non possint; quod eadem veritatibus necessariis contradicere nequeant, etsi contradicere possint contingentibus, vi miraculi mutabilibus; quod officia revelata nec legi naturali, nec naturæ mentis repugnare queant. In censum posteriorem refert, quod pro revelatis divinitus perperam venditentur, ubi distincte percipimus, quomodo solis naturæ viribus ad eorum cognitionem pervenire potuerit homo revelationem sibi factam jactans; quod revelatio divina viribus naturæ, quantum datur, uti debeat; quod denique in regulas logicas atque rhetoricas cum ratione scribentibus observandas impingere haud quaquam possit. De omni-

omnipotentia divina inter alia docet, quod tantum ad possibilia extendatur, atque rationem reddit, cur non omnia possibilia fiant actualia. Hic itaque ostendit, Deum agere secundum fines, atque dari in natura fines, in quorum numerum referenda sint tum quæ ex essentiis rerum necessario consequantur, tum omnes rerum usus, etiam inventoribus ignorati, tum quoque fortuna prospera & adversa: essentias rerum cum earum naturis esse media ad fines ducentia. Inde notionem sapientiæ divinæ exsculpit, atque mundum, quatenus est machina, esse opus sapientiæ divinæ demonstrat, cum alius mundus a mechanismo alienus & perpetuis miraculis turbatus sit opus solius potentiæ. Demonstrat porro, miraculosum esse inferius naturali atque ideo hoc isti a Deo præferri, nec miraculis esse locum, nisi ubi eadem simul fuerint opus & sapientiæ & potentiæ divinæ: qua data occasione criterium suppeditat miracula fictitia a genuinis discernendi. Cum argumentum de sapientia divina tractat, perspicue ostendit, quomodo harmonia præstabilita sapientiam Dei extollat & cur Deus eandem concursui immediato præferre teneatur. Prolixitate non careret, si recenseremus, quæ de creatione & conservatione universi, inprimis concursu divino tradit, quamvis arduæ difficultates de mali cum metaphysici, tum physici, tum denique moralis origine hic explicentur, atque rationes reddantur, cur Deus malum permittat, nec per miracula impediat. Mittimus itaque ista, nec minus cetera, quæ de bonitate divina ortisque circa eam difficultatibus, de voluptate, beatitudine, infinitudine, ortu idearum perfectionum divinarum in mente nostra, aliisque attributis divinis docentur, cum adeo concatenato nexu cohæreant, ut paucis exponi non possint: quæ etiam ratio est, cur in recensione, tametsi prolixiore, fere nonnisi nomina argumentorum indicare atque a rebus ipsis abstinere coacti fuerimus.

Prostat Supplement. Tomi VII Sect. VIII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Septembris, Anno MDCCXX.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΚΑΘΗΚΟΝΤΩΝ ΒΙΒΛΟΣ, ΣΥΓΓΡΑΦεῖσα παρὰ τοῦ Εὐσεβεστάτου Ὑψηλοτάτου, καὶ Σοφωτάτου Αὐθέντου καὶ Ἡγεμόνος πάσης Οὐγγροβλαχίας Κυρίου Κυρίου ἸΩΑΝΝΟΥ ΝΙΚΟΛΑΟΥ ἈΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΜΑΥΡΟΚΟΡΔΑΤΟΥ ΒΟΕΒΟΔΑ, νῦν πρῶτον τύποις, ἐκδοθεῖσα ἐπὶ τῆς Ἡγεμονίας τῆς αὐτοῦ Ὑψηλότητος &c.

i. e.

LIBER DE OFFICIIS CONSCRIPTUS A Piissimo, Celsissimo atque Sapientissimo Principe ac Duce totius Vlachiæ Domino, Domino JOANNE NICOLAO ALEXANDRI MAUROCORDATI F. VOIVODA, nunc primum typis editus sub Ducatu ipsius Celsitudinis.

Bucherestæ A. 1719, 4.
Alph. 1 pl. 1.

EA quidem est dignitas, præstantia & utilitas studii literarum & philosophiæ, ut per se facile resplendeat & commendetur; magnum tamen decus & tutamen accipit ab illustribus viris Regibusque & Principibus illud amplectentibus, illis præsertim qui etiam editis ingenii monumentis & scriptis inclarescere pulchrum sibi putarunt; quorum exempla efficacissime opponuntur literarum osoribus. Magnum erat καύχημα Philosophorum sui temporis M. Aurelius Antoninus Imp. Rom. Philosophi cognomento inclytus, Princeps laudatissimus, cujus libri moralem philosophiam complectentes ad nos pervenerunt. Postea vero

ro inter Chriſtianos Imperatores itidem decoravit Philoſophiam cognomento ſuo Leo Philoſophus, Baſilii Macedonis F. Conſtantini autem Porphyrogenneti pater. Qui quidem tres Principes ut natura ſic ſcriptis ſeſe contingunt. Nam Conſtantinus ſcripſit Vitam avi Baſilii, Leo libros Βασιλικῶν a patre cœptos: ipſe Baſilius monita moralia, quæ παραινετικὰ dicuntur, ad Leonem F. Cujus ad exemplum multò poſt Jacobus I Magnæ Britanniæ Rex ſcripſit Βασιλικὸν δῶρον ſive inſtitutiones Principis ad Henricum F. Sed ne ſimilibus exemplis ex omni ævo commemorandis longiores ſimus, hoc tempore novum decus addi videmus literis inſperatumque oſtendi incrementum. Sol novus ortus eſt literis, & quidem literis Græcis jam pene extinctis & caligine cœca oppreſſis, novus Apollo Μασηγέτης. Illuſtriſſimus Princeps JOANNES ALEXANDRI MAUROCORDATI F. in quo genuina Græcia adhuc refulget, ſuæ genti ad recuperandum priſtinum literarum ac eruditionis decus dux & autor & Mæcenas eſt, omnibus modis excitans & fovens ingenia, media ad opus ſalutare proſpiciens, ipſe exemplo ſuo prælucens. Dedit in præſentia hunc librum περὶ τῶν καθηκόντων, ſive de Officiis, nempe quæ faciunt ad bene, honeſte, decore, ſocietati civili convenienter, & θεαρέστως vivendum, multa etiam de officio Principis continentem. Opus populo ſuo, qui tali adhuc caruit, & genti ſuæ neceſſarium; ſed & τοῖς ἀλλοφύλοις φιλέλλησιν utile & cum fructu legendum; non ſolum propter res, quas, etſi abundare ſe putant præceptis Philoſophiæ moralis, tamen non pœnitendas hic invenient: ſed præcipue propter orationem Græcam, ad quam recte formandam hinc exemplum petant, diſcantque non inepte ſcribere: qua cautione valde indigent, cum etiam doctiſſimi Viri Græceque callentiſſimi illud vitium declinare vix potuerint. Oratio hic eſt elegans, pura, perſpicua, ingenua, non ad ſervilem imitationem compoſita, non Atticiſmos aut alia obſoleta temere affectans, non dialectos diverſas imperite miſcens, non calamiſtrata, nec ſophiſtico tumore inflata. Quod ad tractationem rerum attinet, hic nec ſollicita & ſcrupuloſa methodus magiſtellorum inaniſque

que

que subtilitas suspensum tenebit animum lectoris aut eludet: neque rudis indigestaque moles aut chaos confusum rapiet nunc huc nunc illuc in partesque trahet varias. Est naturalis & æquabilis rerum series, ratione, judicio, notitia & experientia consistentium, testimoniisque S. Scripturæ, SS. Patrum nec non Profanorum, quos vocamus, Autorum confirmatarum. Quod si alicubi concinnus tenor & apta ὑφὴ Serenissimi Autoris videbuntur interrumpi; id non nisi in theologumenis fuerit, in locis quibusdam S. Scripturæ adducendis. Sed fuit hoc opus ante impressionem, ut videtur, Ecclesiasticis personis traditum, veluti Reverend. atque Doctissimo Hierotheo Metropolitæ Drystræ, ut ex ejus Epistola ad Principem hic præmissa colligere licet, in qua, κατὰ τὸν ὁρισμὸν τῆς αὐτοῦ ὑψηλότητος, secundum mandatum ejus Celsitudinis perlectum a se codicem remittens, Opus hoc omnibus & meritis laudibus prosequitur. Ut adeo talia ad eorum sensum accommodata videantur, quæ quasi ἐπείσακτα quædam considerari possunt. Absit tamen ut dicamus, in illis quidquam esse quod veros Christianos possit offendere, cum potius ad οἰκοδομὴν faciant, & quam maxime clericis ac religiosis hominibus sint profutura, nec laicis nocitura. Ut contenta Libri quodammodo appareant, en Indicem Capitum ex Græco translatum. Cap. I Prooemium scopusque Libri: & qui de Officiis scripserint. II De Bono, honesto, & Virtute: Definitio Officii, ac Divisio varia. III Unicum finem propositum esse homini, unum solumque Deum. IV De religione sive cultu divino. V Divina providentia omnia gubernari. VI De Timore Dei. VII Deflectentes ad superstionem corrumpere officia Pietatis. VIII De Spe in Deum. IX De Humiliatione, & danda inimicis venia. X De Excellentia hominis, ejusque ad Societatem civilem propensione. Tum generaliter de virtutibus. De Sinceritate. De Simplicitate. De recta conscientia. XI De fortitudine. XII De temperantia, continentia, castitate ac modestia. XIII De justitia erga Deum, cujusque erga seipsum, erga proximum. Multifariam esse justitiam, officiaque inde manantia varia. XV De pœnitentia.

tia. XVI De beneficentia & liberalitate. XVII De prudentia. XVIII Sanctos homines verbis factisque exercuisse prudentiam. XIX De Probitate & integritate (περὶ καλοκἀγαθίας) Qualis sit Probus.

Sed sine dubio expetent οἱ φιλέλληνες gustum aliquem sermonis Græci, apponemus ipsum initium: Ἐνῆκεν ὁ θεὸς τῇ τῦ ἀνθρώπυ φύσει τὰ σπέρματα τῆς ἀρετῆς, διὸ ὁ ἐν ἡμῖν λόγος (ῷ τῶν ἄλλων ζώων διενηνόχαμεν) ὑπαγορεύει τὰ δέοντα, συνᾴδει τε καὶ τὰ τῦ ἐγγράφυ νόμυ τοῖς ἐγκεκολαμμένοις ἄνωθεν τῇ φύσει τύποις. „λύχνος γάρ φησι τοῖς ποσί μυ ὁ νόμος σε, καὶ „φῶς ταῖς τρίβοις μυ„ διὰ δὲ τὴν τῦ προπάτορος ἁμαρτίαν ἀμαυρωθέντας αὐτὺς, ἐλλαμπόμενοι τῇ χάριτι τῦ καινῦ νόμυ, ὀφείλομεν ταῖς ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς βαφαῖς καλλύνοντες, τοῖς τε ἀπὸ τῆς θύραθεν φιλοσοφίας χρώμασιν ἐπικοσμῦντες, ὅτι μάλιστα λαμπρὺς ἀπεργάζεσθαι, τῦ θεῦ πάντως συναιρομένυ τοῖς εἰς ἀγαθὸν ὁρμῶσιν. i. e. versione verbali, minime assequente Græcam pulcritudinem: *Immisit Deus naturæ hominis semina virtutis: itaque ratio in nobis (qua ceteris animalibus præstamus) dictat quid fieri oporteat: concinitque lex Scripturaria, ab origine insculptis naturæ signis. „Lucerna enim, inquit, pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.„ Sed quia hæc* signa *peccato primi parentis obscurata sunt, debemus, illustrati gratia novæ legis, ea tincturis Divinæ Scripturæ decorando, externæque Philosophiæ coloribus ornando, quam potest maxime clara reddere, Deo utique opitulante tendentibus in bonum.* Mox interjecta ῥήσει Basilii Magni, qua probatur, Scripturæ sacræ meditationem ad invenienda officia amplissimam esse viam, sequitur: καὶ αὐτὸς ὗτος ὁ θεῖος ἀνὴρ καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν λόγων ὠφέλειαν ἀμφιλαφῶς συνίστησιν. *Idemque iste Vir divinus utilitatem ab externa eruditione percipiendam copiose commendat.* Nempe scripsit S. Basilius libellum egregium de utilitate ex Profanorum scriptis legendis; quem utiliter hic apud nos ante aliquot annos prælegit Summe Rev. atque Clariss. D. Bœrnerus cum eum typis exscribi curasset. Post hæc de vegetandis seminibus illis divinitus naturæ humanæ insitis: γῆ τε γὰρ ὐκ ἀρδευομένη, συνέχει μὲν ἐν κόλποις, ἐπεὶ...

Ψαλμ: ριή.

Ps.118,105.

ειπεῖν, τὰ σπέρματα, ἀλλ' ἀνίσχυρός ἐστιν αὐξῆσαι καὶ εἰς φῶς αὐτὰ προαγαγεῖν, καὶ νοῦς κἂν εὐφυῶς ἔχῃ, τῆς ἔξωθεν μέντοιγε ἐπιδείας ἀμοιρήσας, ἢ ὅλως ἐξείρωται πρὸς ἐνέργειαν τῶν καλῶν, ἢ καθ' ἑαυτὸν ὀργῶν καὶ σφαδάζων, ἀκολασαίνει μὴ παιδαγωγούμενος, μή τε τυπούμενος εἰς κρίσιν καὶ αἵρεσιν ἀρετῆς. *Nam & terra, cum non rigatur, cohibet quidem sinu suo, ut ita dicam, semina, sed ad ea vegetanda ac in lucem edenda, invalida est: & mens quamvis habilis, si destituatur irrigatione, aut plane sterilescit ad bonos actus, aut per se turgens ac palpitans, proterve agit, dum non instituitur & formatur ad discernendam & eligendam virtutem.*

ANDREÆ NAUGERII, PATRICII VEneti, *Opera omnia, curantibus* JO. ANTONIO J. U. D. & CAJETANO VULPIIS.

Patavii ex Vulpiorum ære, 1718, 4.
Alph. 2 pl. 8.

ANdreas Naugerius, cujus vitam a Jo. Antonio Vulpio descriptam in fronte hujus libri conspicimus, Historicus, Orator, & Poeta celeberrimus, anno p. C. n. 1483 Venetiis, Bernardo Naugerio & Lucretia Polana parentibus, natus fuit. Ab ineunte ætate docile in eo eluxit ingenium, & magna litterarum cupiditas, qua inflammatus, repudiatis aliis voluptatibus, in literis solum tractandis tempus consumsit, quibus ita se totum dedit, ut valetudinis curam sæpius studiorum causa abjiceret. Namque puer adhuc multum operæ in addiscendis Latinis litteris collocavit, quas eo tempore M. Antonius Sabellicus, quem Naugerius parentis loco observasse dicitur, Venetiis omnium applausu docuit. Petri Bembi civis sui exemplo incitatus, nihil prius eloquentia sibi habendum duxit, & tam inimicus fuit horrido & inficeto dicendi generi, ut quæ sibi olim puero minus castigata exciderant, in ignem proferiore ætate conjiceret, ne aliquod eorum ad posteros extaret monimentum. Patavium profectus, a Marco Masuro

Cretenſi, qui cum aliis doctis Græciæ exulibus, capta Conſtantinopoli, in Italiam conceſſerat, literas Græcas didicit, & Pindarum præcipue habuit in deliciis. In Philoſophiæ ſtudio Petrum Pomponatium præceptorem nactus eſt, quem de rerum natura ſubtiliſſime diſputantem non ſine magna animi voluptate audivit. Inter amicos, quos morum facilitate ſibi comparaverat, familiariſſime uſus eſt Caſp. Contareno, Hieronymo Fracaſtorio, Petro Bembo, Jo Cotta, Bartholomæo Riccio, aliisque, qui elegantiores literas illo tempore præ ceteris ornabant. Initio ſcriptis ſuis cenſorem adhibuit Chriſtophorum Longolium, hominem in Germania natum, magnum tamen purioris Latinitatis vindicem. In recenſendis, atque emendandis veterum ſcriptis multum conſumſit temporis, & ſocium ea in re ſibi adſcivit Aldum Pium Manutium, qui, cum inſigni accepta calamitate, de typographia deponenda cogitaret, a Naugerio confirmatus, & a conſilio bonis literis exitiali retractus eſt. Ob nimiam autem in ſtudiis contentionem melancholia laborare cœpit, & per aliquod temporis ſpatium in Bartholomæi Liviani Venetarum copiarum Imperatoris contubernio vixit, quem fato ſuo functum eleganti oratione laudavit. Depulſo morbo, litteris ſe denuo tradidit, & mortuo M. Antonio Sabellico, bibliothecæ præfectus eſt, quam Cardinalis Beſſarion illuſtriſſimo Venetorum Senatui teſtamento legaverat. Inter Scriptores Latinos inprimis delectatus eſt Julii Cæſaris Commentariis, quos etiam, cum ad ſcribendam hiſtoriam applicaret animum, ſibi imitandos ſumſerat, ſed mors intervenit cœptis, & deſtinata prorſus evertit, quandoquidem opus inchoatum, teſtamento comburi, & ex oculis mortalium auferri juſſit. Atque hoc fato deſideratur etiam *oratio*, qua Catharinam Corneliam Cypri reginam laudaverat, *libri duo de venatione*, & *alter de ſitu orbis*, quos carmine conſcriptos promulgare ſtatuerat. Propter egregium in patriam amorem ad Carolum V Imperatorem & Hiſpaniæ Regem, tum & ad Franciſcum Regem Galliæ legatus miſſus eſt, quod tamen munus fatale illi fuit & in oppido ad Ligerim Blæſio mortem attulit, in quo febri correptus anno 1529 d. 8 Id. Maj. cum an-

annum ætatis 46 ageret, diem obiit. Orationes ejus, & carmina quædam amicorum cura primum anno 1530 Venetiis prodierunt, & ſequenti tempore aliquoties recuſa ſunt. Omnium autem nitidiſſima eſt editio, quam heic fratres Vulpii promulgaverunt, & in eam retulerunt, quicquid ſcriptorum a Naugerio editorum potuerunt invenire. Primo loco conſpiciuntur *duæ Orationes, in funeribus Liviani, & Leonardi Lauretani* dictæ, ex quibus Livianus adeo dilexerat Naugerium, ut in Academiam, quem ipſe ad portum Naonis, ubi Naucelus fluvius præterlabitur, occluſo propter bellorum calamitatem Patavino Gymnaſio, conſtituerat, non ſine magno honore cooptaret. Has orationes *quatuor præfationes ad Leonem X Pontificem, Petr. Bembum, Iac. Sadoletum, & Jo. Glorierium ſcriptæ* excipiunt, in quarum poſtrema contra Volcatium contendit, Latinæ Comœdiæ principem, longe Plauto excellentiorem Poetam, Terentium jure ac merito haberi oportere. Sequuntur *doctorum virorum aliquot epiſtolæ ad Naugerium, & variæ illius lectiones in omnia Ovidii opera*, quibus *carmina* denique *a Naugerio conſcripta*, & *Naugerius ſive de poetica dialogus Hieronymi Fracaſtorii* ſuccedit, & cum *variis epiſtolis, carminibus, itinerum in Galliam, & Hiſpaniam deſcriptionibus Italorum vernacula exaratis*, operibus Naugerii finem imponit. De dialogo Naugerii nomine inſigni non eadem omnibus eſt ſententia. Alii enim hos ſermones in Baldi montis receſſibus prope Veronam a viris doctis habitos, & a Fracaſtorio diligentiſſime exceptos arbitrantur; alii autem Fracaſtorium totam hanc diſputationem affinxiſſe putant Naugerio, quod tamen Cl. Vulpio a veritate abhorrere videtur. Ceterum in omnibus ſcriptis puritas & elegantia mirifice elucet, & carminum inprimis tanta eſt venuſtas, ut cum quibusvis illius ætatis poetis de prærogativa contendere queant. Tam infenſus autem obſcœnis & deterioribus ſcriptoribus fuit, ut ſtato quotannis die multa Martialis volumina inter diras & execrationes flammis comburenda traderet. Quod tamen in proſa, juxta atque in ligata oratione, ſecus ac Chriſtianorum permittit doctrina, im-

immortales Deos obtestatus fuerit, id nimio erga veteres scriptores amori, quo abrepti ut plurimum fuere illis temporibus homines, jure meritoque tribuendum censemus.

JOANNIS OLIVÆ, RHODIGINI, IN Marmor Isiacum Romæ nuper effossum Exercitationes ad Reverendiss. P. Magistrum F. ANTONIUM CLOCHE, totius Dominicanæ Familiæ Generalem.

Romæ, apud Jo. Mariam Salvioni, Typogr. Vatic. in Archigymnasio Sapientiæ, 1719, 8.
Pl. 8 & Tab. æn. 1.

CUm anno proxime elapso Dominicani in Cœnobio Minervitano Romæ ingentia Bibliothecæ celeberrimæ Casanatensis spatia magis amplificanda esse constituissent, dirutisque ea de causa nonnullis prope Cœnobium ædificiis fossores fundamentorum jaciendorum gratia terram altius molirentur, effossum est Marmor Isidi sacrum, quod singula quatuor latera elegantissime figuris distincta præ se ferebat. Cum vero tum situs loci, unde erutum fuit, tum signa, quibus nobilitatur, antiquitati quandam veluti lucem afferre viderentur, Joannes Oliva, Clarissimus Vir, qui hoc eodem anno Acelo Romam illam urbium dominam concessit, sibi persuaderi passus est a doctissimis Bibliothecæ Casanatensis Præfectis M. Joanne Benedicto Joanellio, Veneto, & M. Thoma Maria Minorellio, Patavino, ut suam sententiam, quam in Bibliotheca dixerat de marmore, uberius & scripto quidem explicaret. Fecit id in his exercitationibus egregie & docte & insigni etiam sermonis cultu adhibito, quarum summam dedisse, nec inutile erit, nec injucundum.

C. I. TAB. IV. Fig. 1. 2. 3. 4.

C. 2. Isis & Osiris, decantatissima Ægyptiorum numina, divinos honores egregiis in genus humanum meritis frugum inventione, legum latione, sacrorum variorum institutione apud Nili accolas antiquissimo tempore meruerunt. Qua ætate ista superstitio in urbem populumque Romanum irrepserit, non satis

satis liquet, hoc certum est, ambigua illius fuisse fata, sæpiusque urbe ejectam: A. U. C. 701 Senatus Isidis fana privatim exstructa demoliri jussit, mox A. V. C. 708 Isiaca delubra Aruspicum jussu de medio sublata sunt. Triumviri Isidi Serapidique templa decrevere. Augustus tamen & Agrippa urbe illis interdixit, religione an odio incertum. Tiberius ob facinus in Paulina nobilissima matrona commissum, quod Flavius Josephus refert, templum funditus evertit, Isidisque simulacrum in Tiberim injici jussit. Sub Tito horum numinum fana conflagrarunt: donec adversa omnia pertinax superaret superstitio, Commodi inprimis ætate, quem Isiaca sacra coluisse, Lampridius testatur. Fuit Iseum Romæ non districtus longe lateque exporrectus circa templum Isidis, ut invitis veteribus omnibus sibi perperam persuasit Ath. Kircherus, merito hic loci a doctissimo Oliva confutatus, sed ipsissimum Isidis templum in Regione nona, cui a circo Flaminio dicitur partum nomen, situm, in qua & Villam publicam, Septa, Serapeum, Bellonæ templum, Minervium Rufus ac Victor collocarunt. Hæc vicina fuisse variis antiquorum locis probat Noster, indeque colligit, aut eo loco, quo Iseum olim stetit, aut certe parum remoto, marmor esse effossum; maxime cum & Donatus narret, Osiridis statuam atque Ægyptiaca multa alia signa, Patribus item Dominicanis in Minervitano Cœnobio ædificantibus, fuisse reperta. His expeditis, an Marmor Ara sit votiva, an Basis quædam, disputatur; non prius, quod in marmore voti nulla sit mentio facta, cum tamen verba in talibus Aris imprimerentur, ut, a quo positæ, & qua de causa, omnibus possit esse conspicuum: non posterius, quod in superiore parte ornamenta habeat, quibus carere solent bases & veteres & recentiores, ipse lapis ferme in Pyramidem assurgat, nec, si lynceis oculis eundem intuearis, ullum exesi aut deturbati simulacri vestigium præ se ferat. Est itaque ex sententia nostri Lapis votivus Isidi consecratus. Sed quæ voti causa? an quod quis naufragii periculum vitavisset? præfuit enim navigationi Isis. Immo potius ab aliquo positus, qui

Antiqu. Judaic. l. 18 c. 4.

C. 3.

C. 4.

C. 5.

pristinæ incolumitati est redditus. Nam Deam fuisse salutarem vel unus ille Tibulli locus satis loquitur:

L. I. Eleg. 3.

Nunc, Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.


Et Blasius Cariophylus V. Cl. cui sua legenda dederat Noster, docuit Isidis Etymon, quo a *curando* dicta videtur. Arabes enim, quorum linguæ affinis Ægyptia, آسا *Asa*, curam dicunt; unde آسي, *asion*, Medicus, أسون *asavon*, medicamentum. Sed ad ipsa marmoris latera properandum est. In primo videas vas Luna & spicis insculptum, e cujus operculo serpens in gyros educta attollitur, impositis his literis: ... IDI SACR... Hæc citra omnem controversiam ita supplendæ sunt: ISIDI SACRVM. Neque in serpente quicquam est obscuri: divinitatem iisdem tribuerunt Veteres, & Isis Ceres est. Neque tamen vas illud est Cereris cista mystica. Dissimili plane specie eandem exhibent Seguinus & Patinus in Nummis. Est omnino urna, quam Apulejus Libro XI Metamorphoseos una cum reliqua pompa Isiaca describit. *Gerebat*, inquit, *alius felici suo gremio summi numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem, sed solerti reperta, etiam ipsa novitate venerandam, altioris utcunque & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile, sed & ad istum plane modum fulgente auro figurata. Urnula faberrime cavata fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata. Ejus orificium non altiuscule levatum, in canalem porrectum longo rivulo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens spatiosa dilatione adhærebat ansa, quam contorto nodulo supersedebat aspis squamea cervicis striato tumore sublimis.* Illa itaque urnula ipsa Isis est, id enim verba Apuleji volunt: culta sub hac imagine nec pecoris, nec avis, nec feræ, ne quidem hominis, eodem modo, quo Solem Phœnices sub lapidis nigri simulacro, Pæones sub brevi disco longo ligno opposito coluerunt, Arabes Lapidem Tetragonum pro Deo sumserunt, Idæa Mater Pessinuntia Romam deducenda lapis fuit. Luna Isis est, est & Ceres, ut jam dictum: unde Lunam cum spicis in vase sculptam facile inter-

C. 6. TAB. IV. Fig. 1.

C. 7.

C. 8.

C. 9.



pret aberis. Caput in summo lapide a læva parte conspici- C. 10.
lum, Osiridis habetur, avem, quæ juxta spectatur, upupam C. 11.
dit Noster, vel accipitrem. In secundo latere est Anubis ca- Fig. 2.
canino palmam & situlam sinistra gerens. Nec difficili-
sunt, quæ in tertio latere videntur, discus, dolabra, & calix, Fig. 3.
menta in sacrificiis adhiberi solita. Superest in ultimo C. 12.
e Harpocrates sane perelegans, Isidis & Osiridis filius, si- Fig. 4.
i Deus, lævo brachio copiæ cornu sustinens. Foramen
pite indicat, Lotum Ægyptiacam inibi fuisse collocatam,
Soli sacra dicitur. In ipso copiæ cornu Persicæ arboris fo-
bellissime attollitur, linguæ persimile, Harpocrati vero
m, ut ab Ill. Cupero jam observatum est.

IDEM ILLUD MARMOR ISIACUM ORGII CHRISTIANI GEBAUERI, *Uratislaviensis, Exercitatio.*

ta sunt sat multa de Celeberrimi Olivæ libello, quo Mar-
mor suum exposuit tam docte, tam copiose, tam deni-
eganter atque ornate, ut suæ & doctrinæ famam & elo-
æ laudem, qua inter suos maxime celebratur, hoc uno
egregie constabiliverit. Solent autem esse in rebus adeo
is variæ variorum sententiæ; quo omnino factum est,
nulla, dum istum lapidem recens refossum, harum lite-
dulcedine captus, intentius meditor, mihi in mentem
int, partim a doctissimo Interprete neglecta, partim ab
ntentia aliena. Attexam ea lubens, quod existimo, huma-
um Virum probaturum esse dissensionem de suis, qua-
se de Kircherianis nonnullis & Baudelotianis ingenue
us est.

rima quæstio est, quid sibi velit illud marmor, quo no-
appelletur? Cel. Oliva noster confutatis iis, qui Aram Vo-
, aut Basin dicere poterant, pro Lapide votivo habet; sed
inisse debuerat doctissimus Vir, idem telum, quod contra
qui Aram votivam putabunt, fortiter intorquet, propri-

am ferire sententiam: si nempe ex voto consecratum esset, nos illud in ipso lapide, literis omnino signato, apertissimis verbis lecturos. Ut breviter dicam, quid sentiam, Aram credo, non Votivam, cum titulus tale quid non indicet, sed aliam vel publicam vel privatam, sacrificiorum causa positam. Moveor, & in hanc sententiam veluti propellor externa forma, quæ in omnibus aram accuratissime refert. Neque enim quemquam illa in summitate ornamenta offendent; similia sane ararum decora & supremi margines in Idææ Matris sacrificio a Bellorio ex ædibus Vitelleschianis edito, in Martis sacris ex Arcu Constantini depromtis, in elegantissimo illo Taurobolio Lugdunensi, alibique passim deprehenduntur: neque quemquam tam superstitiosum credam, ut pyramidali marmoris specie se commoveri patiatur; si tamen sit, ad aram eadem forma in Minervæ sacrificio ex Cimeliarchio Justinianeo edito exhibitam abire jubeo. Sed & illis instrumentis ad sacrificia & libationes adhiberi solitis moveor, Dolabra, Disco, Calice, quæ latus aræ posticum ornant. Moveor denique literis deletis, cum dubium non sit, modo unam in fine periisse, duas illius magnitudinis, quæ sunt reliquæ, spatium illud non admittere. Illa, quæ excidit, non alia esse potest quam A, & verba legenda sunt integra in hunc modum: ISIDI SACRA, nempe Ara, quod res erat.

Nunc ad locum Apuleji deveniendum est, nostræ scriptionis caput, qui libro XI Metamorphoseos exstat, & talis est: *Gerebat alius* (in pompa nempe Isiaca, in qua, Deæ monitu, hominis figuram se recuperasse fingit lepidissimus Afer) *felici suo gremio summi sui numinis venerandam effigiem, non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem: sed solerti repertu, etiam ipsa novitate reverendam, altioris utcunque & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile: sed & ad istum plane modum, fulgente auro figurata urnula faberrime cavata, fundo quam rotundo, miris extrinsecus simulacris Ægyptiorum effigiata, ejus orificium non altiuscule levatum, in canalem porrectum, longo rivulo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens spatiosa dilatione, adhærebat ansa: quam contorto nodulo supersedebat aspis squameæ cervi-*

cervicis striato tumore sublimis. Non videtur esse prætereunda varia lectio, qua hic locus laborat in verbis: *tegendæ religionis argumentum ineffabile: sed & ad istumplane modum, fulgente auro figurata urnula faberrime cavata* κ.τ.λ. Ita, ut dedimus locum, habent Jo. Pricæus, & Julianus Floridus, qui Apulejum in usum Delphini edidit, sed sensu, ut mihi videtur, nullo; quid enim ita distinguendo sibi volunt hæ voces: *Sed & ad istum plane modum.* Oliva noster, qui hoc probe intellexit, post vocem *figurata* fecit punctum, & ita sequentia: *Urnula faberrime cavata*, novæ periodi caput esse voluit, & eatenus recte. Sed qui priora cohærent? *Gerebat effigiem novitate reverendam, religionis argumentum ineffabile, sed & ad istum plane modum fulgente auro figurata.* Petrus Colvius pro *figurata* habet *figuratum*, planissimo sensu, an ex codicis cujusdam autoritate, ego quidem ignoro. Persuasissimus sum, Apulejum scripsisse *figuratam. Gerebat effigiem, novitate reverendam, (altioris utcunque & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile) sed &*, quod Apulejo videlicet, equidem, aut simile quid, valet, *ad istum plane modum*, quem descripturus erat, *fulgente auro figuratam.* Ab imperitis librariis *M.* in fine vocis deletum est, quod ad proxime sequentem: *Urnula* illud: *figuratam* pertinere crederent; ad proxime enim præcedens aliquod nomen substantivum, quod ipsorum sententia erat vox: *Argumentum*, multo minus pertinere, satis se intelligere putabant.

Nunc ipsam rem aggredior, ubi duo veniunt separanda: alterum est: an Urnula ab Apulejo descripta sit per omnia ferme similis Vasi in marmore Isiaco expresso? alterum an Apuleji locus omnino faciat ad illustrationem marmoris? Prius affirmat Clarissimus Oliva his verbis: *In Vase nostro sunt ferme omnia similia. Deest ansa, in qua contorto nodulo aspis insideat. Sunt tamen externe Ægyptiaca expressa signa, spica videlicet ac Luna, & vas ansæ loco, pyramidis instar non altiuscule, ut ait Apulejus, sed perquam alte levatum operculum habet, unde aspis illa bellissime attollatur.* Hæc Oliva. Deest itaque Vasi in marmore ansa, fatente Nostro, sed & plura desunt. Non vide-

videtur illud Vas faberrime cavatum fundo quam rotundo nec extrinsecus mira Ægyptiorum simulacra agnosco. Conferat, qui volet, Vas Isiacum, quod ex Thesauro Brandenburgico protulit in lucem Laur. Begerus, Mensam Isiacam. aliasque ejus superstitionis Tabulas, & facile miras Ægyptiorum figuras intelliget. Supersedet Vasi Aspis in spiralem lineam contortu & squameæ cervicis striato tumore sublimis; sed in nodulum collecta non est. Et quid de eo habendum, quod doctissimus Vir verba Apuleji: *non altiusculè levatum*, interpretatur, *perquam alte levatum.* Incidi in splendidissimo Antiquitatis explicatæ opere Montfauconiano in Pompam Isiacam, cui mea sententia magis cum Apulejo convenit. Celeberrimus Vir eam ex Admirandis Antiquitatum Romanarum suo Operi intulit, nos uberius, & alicubi forte rectius interpretabimur. *Prior figura Mulieris*, inquit Montfauconius, *omnes Isidis notas præ se fert,* situlam dextra, anguem sinistra, in capite lotum, *unde fortasse arguatur, sacerdotes mulieres in ceremoniis suis Isidis formam mutuatas esse.* Quid ni? cum Apulejus in sua pompæ descriptione ascititio ejusmodi ornatu usos comites indicet, eaque magnæ pompæ anteludia appellet. *Hic*, inquit, *incinctus baltheo militem gerebat, illum succinctum chlamyde copides & venabula venatorem fecerant: alius soccis obauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso, & adtextis crinibus incessu perfluo fœminam mentiebatur. Porro alium ocreis, scuto, galea, ferroque insignem, e ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui magistratum fascibus purpuraque luderet; nec qui pallio baculoque & baxeis & hircino barbitio philosophum fingeret, nec qui diversis harundinibus alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret. Vidi & ursam mansuem, quæ cultu matronali sella vehebatur: & simiam pileo textili crocotisque phrygiis, catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum, & Asinum pinnis adglutinatis adambulantem cuidam seni debili: ut illum quidem Bellerophontem, hunc autem diceres Pegasum.* Hæc Apulejus. Dicas itaque hanc etiam Isidem, &, qui sequitur, Mercurium, Pompæ hujus anteambulones, sacerdotes nempe in communi lætitia, &

T.III. p.186

T. II. P. II. TAB. IV. Fig. 5. 6. 7. 8.

secun-

ſecundum illius diei ritum, numina mentitos, quos tamen cum Montfauconio dicere mulieres non eſt opus. Hoc obſerves, Iſidem dextra gerere vaſculum Ægyptium, ſitulam, qualem in noſtro marmore læva fert Anubis. Qui ſequitur, Mercurius eſt, Sacerdos nempe Iſiacus, illius Dei ſchemate aſſumto. Hujus enim numinis varia in Iſidem & ejus filium Orum merita memorat Plutarchus, illi, corona ab Oro detracta, quod Typhonem Oſiridis necati reum e vinculis dimiſiſſet, ex bucranio galeam impoſuiſſe, huic in judicio, in quo de legitimis natalibus diſceptabatur, auxilio fuiſſe dicitur. *Tertia imago Viri eſt*, ait Montfauconius, *qui princeps haud dubie in hac cerimonia eſſe videtur, & Sacerdos præcipuus, capite eſt abraſo, tegiturque magno velo, quod in brachia, & ad dimidias tibias defluit, calcei ex Ægyptiaca papyro, ex qua planta ſoleas paratas fuiſſe Apulejus teſtatur. Ipſam etiam manum obtegit velo, & nil præter vultum oſtendit, cum reliquæ figuræ nudis pedibus manibusque ſint. Inter brachia geſtat amphoram magnam aqua plenam: ſimiliter geſtabantur amphoræ in pompis Oſiridis, inquit Plutarchus in Iſide, quibus ſignificabatur, aquas Nili fertilitatem indere regioni.* Ita fere Montfauconius. Magnum illud velum, quo tegitur ſacerdos, lineum eſt, cujus rei pariter atque raſi capitis, & ſectorum unguium rationem arcanam tradit Plutarchus: Η δὲ ἀληθὴς αἰτία μία πάντων ἐςί. Καθαρῷ γὰρ (ἤ φησιν ὁ Πλάτων) ὀ θεμιτὸν ἅπτεσθαι μὴ καθαρῷ. Περίσσωμα δὲ τροφῆς καὶ σκύβαλον ὀδὲν ἁγνὸν ὀδὲ καθαρόν ἐςι. Εκ δὲ περιττωμάτων ἔρια, καὶ λάχναι καὶ τρίχες καὶ ὄνυχες ἀναφύονται καὶ βλαςάνουσι. κ. τ. λ. Calcei ſunt ſtriati, an ex papyro, in medio relinquam, in Apulejo nihil tale reperire potui. Denique de amphora, pace Viri celeberrimi, dicam, mihi admodum veriſimile videri, ipſam eſſe Iſidis effigiem, ſane ad Apuleji urnulam proxime accedit. Eſt profecto *faberrime cavata, fundo quam rotundo, orificium ejus*, ita enim appellanda eſt ſuperior pars, qua amphora in anguſtum coit, *non altiuſcule levatum.* Illud orificium in anteriore parte (ſuperius enim operculo quodam clauſum exiſtimo, tegendæ religionis argumentum ineffabile) *in canalem porrigitur, & in rivulum quendam prominet*, qui in Tabula etiam videri poteſt, & quem in Apuleji urnula adhuc lon-

longiorem fuiſſe, dicere nihil vetat; ad eam forte formam, qua apparet in urnula Theſauri Brandeburgici, quam inde Iſidis ſimulacrum pro ſua jam olim ſagacitate dixit Begerus.

T. III. p. 302.

Ex alia vero parte, poſteriore puta & adverſa priori, *anſa adhæret ſpatioſa dilatione recedens.* Aſpis deſideratur & mira illa Ægyptiorum ſimulacra abſunt, injuria forte temporis, aut ſculptoris incuria. Neque eandem prorſus dico amphoram cum urnula Apuleji, ſed perſimilem. Plutarchi locus a Montfauconio tactus ad Oſiridem pertinet, & ejus pompam. Οὐ μόνον δὲ, inquit Chæronenſis, *τὸν Νεῖλον, ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Οσίριδος ἀποῤῥοὴν καλῦσι, κὴ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τῦ θεῦ.* Hæc Iſidis pompa eſt, & Vas illud non *προπομπεύει; πομπεύει*, ipſa pompa eſt. Sane Vaſe aqua, non Nilotica, quod credit Montfauconius, ſed quavis alia pleno, in Oſiridis pompis prægeri ſolito, auguſtius quid, & Deam Sacerdos omnino præcipuus tanta cura, tam religioſo ornatu, numinibus etiam præeuntibus, geſtare videtur. Quarta Figura Iſiaca fœmina eſt læva ſiſtrum quatiens, dextra ſimpulum, aut Begeri ſententia hauſtrum tenens.

Tom. III. p. 456.

Jam ad alterum veniemus, an omnino ad marmoris illuſtrationem faciat Apuleji locus? Non admodum repugnaverim in eo doctiſſimi Olivæ ſententiæ, conjecturis etiam nonnullis pro eo militantibus. Latus illud marmoris, in quo Vas conſpicitur, eſſe omnium præcipuum, ornamenta in ſummitate inſignia & inſcriptio addita ſatis loquuntur. Iſidi ſacra eſt ara, nec tamen ulla ejus effigies: proxima duo latera cuſtodes ſatellitesque Deos, Anubin, Oſiridis & Nephthyos filium, Iſidis alumnum, & Harpocratem, Iſidis & Oſiridis necati filium, exhibent. Hos additos & Iſidem ipſam omiſſam putem? Minime vero. Sed adjiciendum eſt, qualem conjecturam Luna illa cum ſpicis mihi ſuggeſſerit. Apud Plutarchum legere eſt: *XIX menſis Athyr ſacerdotes Ægyptios ſacram ciſtam & in ea auream arculam noctu detuliſſe ad mare, infuſaque arculæ aqua potui apta magna voce clamaſſe: Oſiridem eſſe inventum: mox tellure frugifera aromatibus etiam & ſuffimentis aquæ illi admixtis ſubactisque effinxiſſe* μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον, *imagunculam*

[...]am luniformem, significaturos, se terræ & aquæ naturam hos Deos credere. Osiris, humidum est, aqua enim arculæ infusa Osiridem invenisse sibi videbantur sacerdotes: Tellus illa aqua imprægnata, Isis frugifera. Μηνοειδὲς est ἀγαλμάτιον; Luna enim & humida, & ipsa Isis, alia interpretandi ratione. Spicæ fœcunditatem ex Osiridis & Isidis connubio oriundam denotant. An itaque illud Vas in marmore forte est ipsum illud [...]ιβώτιον, Luniformis icunculæ capsa, Isidis veneranda effigies, tegendæ religionis argumentum ineffabile, istis tamen signis adumbrata quodammodo, & sacris ejusmodi initiato facile agnoscibilis. Fatebuntur forte nonnulli, parum a verisimilitudine hæc abesse.

Nunc coronidem subjungam, spontaneam conjecturam in verbis Apuleji supra allatis: *Vidi simiam pileo textili, crocotisque phrygiis, catamiti pastoris specie, aureum gestantem poculum.* Hæsi, fateor, dum legi, simiam crocotis phrygiis ornatam pastoris speciem dedisse; non solent pastores esse catamiti; & quid denique aureum poculum in manu pastoris significat? Ita tamen habent Libri, quos inspexi, omnes, iidemque meliores, Colvii, Elmenhorstii, Pricæi, Floridi, non tamen dubito τὸ *poculum* mutandum esse in *pomulum*, hoc sensu: Simiam crocotis phrygiis indutam, & pomulum aureum gestantem retulisse Phrygium Paridem, mollem & amasium, litem de pulcritudine inter Deos sua sententia diremturum. Intactus mansit hic locus, quod de Ganymede Jovis pocillatore acciperetur, uti eum interpretatus est Julianus Floridus. Sed ego Virgilio potius crediderim, qui Ganymedem non pastorem facit, sed venatorem, V Æneid. v. 252.

> *Intextusque puer frondosa regius Ida,*
> *Veloces jaculo cervos cursuque fatigat,*
> *Acer, anhelanti similis, quem præpes ab Ida*
> *Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.*

Paris decantatus nimis est, quam ut alium sub Phrygii Pastoris nomine intelligas, & illi Isiaci homines in pompa sua, si Ganymedem voluissent, addidissent ridiculam quandam Aquilam ridiculo Ganymedi, uti seni debili Bellerophonti junxisse in-

ineptum Pegasum, asinum pinnis adglutinatis, ibidem legimus.

JOANNIS POLENI, IN GYMNASIO PAtavino Phil. Ord. Prof. & Scient. Societatum Regalium, quæ Londini & Berolini sunt, Sodalis, de Castellis, per quæ derivantur fluviorum aquæ habentibus latera convergentia Liber, quo etiam continentur nova experimenta ad aquas fluentes & ad percussionis vires pertinentia.

Patavii, typis Josephi Comini, 1718, 4.
Plag. 8 Tab. æn. 1.

Sistimus ex intervallo alterum specimen, quo doctrinam de motu aquarum amplificare studet Vir Celeberrimus *Joannes Polenus*. Postquam enim motum aquæ mixtum non invita Minerva expenderat, ad motum aquæ per Castellum fluentis, cujus latera convergunt, animum convertit: quod argumentum hactenus ab aliis intactum eadem industria pertractat, qua in priore evolvendo usus fuerat. Quid ea in re præstiterit, sub initium pertractationis ipsemet enarrat. Primum, *inquit*, „ostenditur, bene multa flumina ab arte fuisse effecta: artem „ipsam non modo fluminibus iis fecisse alveos, verum etiam ne „ex alveis flumina effluerent & curavisse, & curare pluribus mo- „dis, aut moliendo aggeres, aut nimis tardum aquæ modum au- „gendo, aut minuendo nimis celerem, aut aquam per fossas deri- „vando. Ita vero fieri talem derivationem, ut fossas ipsas per stru- „cta in aggeribus castella influant aquæ. Me hunc ultimum mo- „dum & in hoc præsertim proprietates castellorum habentium „latera convergentia (hortante peculiari quadam rei difficulta- „te) attendisse. Deinde quandoquidem sciendum est, quantum „aquæ per illiusmodi castella transeat, plura ad id narrantur „experimenta, quibus nova quædam ac mira contineri videntur: „a parietibus nempe canalium, sive multum, sive parum con- „vergentibus, quantitates fluentium aquarum semper paullum im-

mmutari; aquam effluentem ex nudo foramine plus contra-„
hi, quam exeuntem ex tubo, &, quod mirum magis eſt, per„
tubum, cujus cavitatis diameter æqualis ſit foraminis diame-„
tro; eandem tamen & quod ad tubum, & quod ad foramen,„
attinet, inter velocitates & altitudines aquæ in vaſe rationem„
ſervari: ex quibus poteſt apparere, quomodo pro æſtimatio-„
ne aquæ transeuntis per illiusmodi Caſtella poni debeant fun-„
damenta, quod efficere animo propoſueram. Ad extremum„
cum in eorundem caſtellorum latera fluens aqua impingat, in-„
quiruntur tum momenta impulſuum, quæ varia ſunt, tum vi-„
res, quibus pollent particulæ aquæ fluentis, ſive quantitates ef-„
fectuum integrorum, quos edere poſſunt aquæ particulæ, quam-„
diu ſunt in motu, pro varia, quam habent, velocitate. Qua„
occaſione celebris & a viris doctiſſimis agitata plures ante„
annos de viribus motorum corporum controverſia expe-„
rimento claro certiſſimoque dirimitur, interpoſitis aliquibus„
de motu corporum ex percuſſione, & quibusdam additis ſpe-„
ctantibus ad cauſam, cur propoſitæ vires tales ſint, quales eſ-„
ſe cognoſcuntur.„ Hactenus Clar. Autor, ut ſpecialiora quæ-
dam commemoremus, dicendum nobis eſt de experimentis,
ex quibus de quantitate aquæ transeuntis per Caſtella, quorum
convergunt latera, conjecturas ducit. Uſus eam in rem tribus vaſis *T*, *S* & *P*, quorum infimum *P* tantæ erat capacitatis, ut aquæ pollices cubicos 73035 poſſet continere. Diameter nempe fundi erat $'4\ ''4\ '''4$, diameter oris $'3\ ''5\ '''8$, altitudo $'3\ ''5\ '''11$, Foramen *HY* in fundo vaſis *T* excavatum, cujus diameter linearum 20, conto *LI* ita tornato, ut pars extrema *LI* conicam referret figuram, magis minusve obturabatur, ut ex vaſe *T* tantundem aquæ ſemper efflueret, quantum eidem in vaſe *S* quantitati conſtanter conſervandæ ſufficeret. In vaſe *S* prope fundum erat excavatum foramen, cui ærei canales aptari poſſent. Canales primum adhibiti erant fruſta coni rectanguli *NQZF*. Obſervavit autem, aquæ diametrum per foramen minus *VA* prorumpentis contrahi, quam ideo ***diametrum contractam*** appellat. Principio orificium *NQ* erat 42, minus *VA* 26, longitudo curticoni *FNQZ* 92 linearum, altitudo aquæ in vaſe *S* 256; aquæ ſummum attingebat foramen *M*. Tempus nu-

TAB. IV. Fig. 9.

numerabatur ope horologii oscillatorii minuta secunda indicantis. Implebatur hac ratione vas infimum *P* intervallo ′2 ″57: contracta diameter erat $25\frac{1}{4}$ linearum. Nec majus temporis spatium requirebatur, ubi *NQ* erat 33, *VA* 26, & diameter contracta fuit 25 linearum. Idem fuit tempus, sed contracta diameter 24 lin. ubi *NQ* 60, *VA* 26 lin. Sed cum *NQ* esset 118, *VA* 26 lin. tempus observatum in primo experimento ′3 ″4, in secundo ′3 ″6, diameter contracta $23\frac{1}{2}$ lin. Tubo cylindrico, cujus diameter 26, longitudo 91 linearum, in locum curticoni substituto, tempus observatum in duobus experimentis ′3 ″7, in uno ′3 ″8, diameter contracta $24\frac{1}{2}$ lin. Succedente lamina ferrea, cujus diameter 26 linearum, in duobus experimentis tempus erat ′4 ″36, in uno ′4 ″38, diameter contracta $20\frac{1}{2}$ lin. Eadem lamina ad fundum vasis applicata, tempus erat in primo experimento ′4 ″40, in secundo ′4 ″39, diameter contracta 20 lin. Cum altitudo aquæ in vase *P* fenestram *X* attingens esset 128 lin. & lamina ferrea ad latus vasis applicata; tempus in primo experimento fuit ′6 ″37, in secundo ′6 ″36, diameter contracta 20 lin. Succedente tubo superiori, tempus fuit ′4 ″24 vel ′4 ″25, diameter contracta 2‴5. Facta altitudine aquæ in vase *P* 542 lin. tempus in casu tubi adhibiti fuit ′2 ″11, vel ′2 ″10, diameter contracta 25 lin. in casu autem laminæ tempus ′3 ″11 vel ′3 ″12, diameter contracta $20\frac{1}{2}$ lin. Eadem experimenta repetiit domi in vasis minoribus, præsentibus Medicis *Vallisnerio* & *Morgagnio* atque Philosophis *Gratiano* & *Nicolao Bernoulli*. Erat nempe vasis *P* diameter fundi ′1 ″6, diameter oris ′1 ″4 $\frac{1}{5}$, altitudo aquæ ipsam implentis 1″1, ita ut capacitas esset 2560 pollicum cubicorum. Contra altitudo aquæ in vase *S* erat 1″7 $\frac{1}{8}$. Cum bractea ferrea tenuis cum foramine, cujus diameter ″9, aptaretur; tempus repletionis fuit 3″0, diameter contracta $7\frac{1}{2}$ lin. Facto foramine, diametri ‴9 in lamina ærea, cujus crassities erat $\frac{4}{5}$ unius lineæ, tempus repletionis fuit ′1 ″33, diameter contracta $7\frac{3}{4}$ secundum lineam horizonti parallelam, at $7\frac{1}{8}$ secundum perpendiculum. Idem foramen cum efficeretur conicum, ita ut longitudo esset $\frac{3}{5}$ unius lineæ, parte una crassitiei laminæ intacta, diameter interni orificii 10, externi vero 9 linearum

nearum

nearum, tempus repletionis fuit $1'\,15''$, contracta diameter $8\frac{1}{5}$ linearum. Eadem lamina inversa, istud fuit $1'\,30''$; hæc $7\frac{1}{2}$ linearum. Tubo præfixo, cujus diameter 6 linearum, longitudo $1''\,6'''$, tempus repletionis erat $1'\,12\frac{1}{2}''$. Diameter contracta parum aut nihil differebat a diametro cavitatis tubi. Aqua per tubos effluens minus pellucida visa, quam cum per foramina efflueret. Cum longitudo tubi esset $3''\,3'''$, tempus repletionis fuit $1'\,10''$. Ubi illa erat $9''$, hoc fuit $1'\,12\frac{1}{2}''$. Ubi illa $4''\,9'''$; hoc $1'\,10''$. Alteri tubi orificio conciliata figura conica, quam laminæ æreæ insculptam diximus, & aqua per orificium hoc influente, tempus fuit $1'\,3''$: inverso autem tubo, mansit $1'\,10''$. Aqua per foramen laminæ quadratum effluente, cujus $7\frac{2}{3}'''$, tempus repletionis fuit $1'\,38''$, contracta diameter horizonti parallela 7, normalis $6\frac{1}{2}$ linearum. Huic foramini applicato canale æreo, figuram parallelepipedi habente, cujus longitudo 6 pollicum, latitudo $7\frac{2}{3}$ linearum, altitudo unius pollicis, tempus repletionis fuit $1'\,24''$; sed $1'\,17''$, cum canali substitueretur tubus æreus ejusdem figuræ ac longitudinis, cujus latitudo & altitudo $7\frac{2}{3}$ linearum, Ex his experimentis concludit, in castellis latera convergentia habentibus pro æstimanda quantitate aquæ transeuntis non debere magnopere attendi aditus a fluvio, sed ostii exitus magnitudinem. Observat etiam, aquam velocius fluere per tubum quam per nudum foramen, & venam ejus fieri crassiorem: id quod hactenus ab aliis annotatum minime fuit. Deducit hinc etiam in laminibus iisdem vel similibus quantitates aquarum ob vim superincumbentis. Expendit deinde aquæ impulsus, quibus castelli latera impetuntur, & sic delabitur ad regulas motus ex percussione generales, quas easdem cum *Wolffio* in Elementis Mechanicæ & *Hermanno* in Phoronomia, sed diversa ratione deducit, nempe ex principiis *Leibnitianis* de tribus vivis in ratione duplicata celeritatum existentibus & de conservanda virium vivarum in conflictu corporum eadem quantitate. Mensuram virium *Leibnitianam* experimento definire tentavit. Vas, inquit, in quo erat ge-„ latum sevum ad altitudinem unciarum sex, æquabili pavimen-„ to clavis confixeram ea ratione, ut sevi summa superficies „

„quæ plana erat, a pavimenti ſuperficie æqualibus ubique diſta-
„ret intervallis. Curaveram fieri duos globos æquales, quo-
„rum alter ex plumbo erat, alter ex orichalco, & hic partes me-
„dias tantillum habebat cavas, ut cum ille penderet pondo libras
„duas, hic unam penderet. Hi globi e lacunari filis appenſi erant,
„ut impenderent vaſi, in quo ſevum; diſtarent autem a ſevi
„ſuperficie iis intervallis, ut levioris globi a ſevi ſuperficie di-
„ſtantia dupla eſſet diſtantiæ globi gravioris. Reſectis deinde
„filis, globi in ſevum cadentes ad perpendiculum foveas ſimi-
„les ac prorſus æquales fecerunt in ipſo ſevo.

THE STATE OF PHYSICK AND OF DISEASES.
i. e.
MEDICINÆ ET MORBORUM STATUS delineatus a JOANNE WOODWARDO, M.D. in Collegio Greshamenſi Profeſſ. Medicorum Collegii & Societatis Regiæ Membro.

Londini, apud T. Horne & R. Wilkin, 1718, 8.
Plag. 18.

EXploſo pravo ſeculi noſtri genio, quo plerique Artem Medicam profitentes relicta ſolida Philoſophia ad cerebroſa delabuntur figmenta, preſſo ſe pede in præſenti opere ſecutum eſſe naturæ ductum atque obſervationum, & ratiocinia in ſtructura corporis humani fundaſſe, in Præfatione fatetur Clariſſimus Woodwardus, in noſtris Actis ſæpius laudatus. Præmiſit libro Ideam naturæ humanæ, morborumque, quibus eſt expoſita, cum methodo iisdem medendi; quam cum Autor ante legendam commendet, quam tractatum ipſum evolvendum, ex ea quædam prælibabimus.

In Stomacho ait Noſter, principia eſſe omnium rerum, corpori animali vel proficuarum, vel noxiarum; primas impreſſiones, motusque primos, qui hic fiunt, prout regulares ſunt, vel irregulares, ſecluſis externis accidentibus, corpus reddere ſanum, vel ægrotum, ſanitatem firmam vel interruptam; contenta quocunque modo ex hoc organo rejecta, in omni ætate & perfectiſſimo ſanitatis ſtatu continere præter alia bilio-

biliosum succum: salia ventriculi, dulcia, muriatica, ammoniacalia, amara, acida, dum rite constituta, inque proportione debita missa sunt, in alimenta agere, & carnem in specie dissolvere, digerere, atque in tenue coagulum vertere; durante ea actione & conflictu excitari calorem, surgere fumos & halitus; insufflari inde stomachum ad moderatam tensionem; premi hac ratione omnes vicinas partes, speciatim vero truncum arteriæ magnæ descendentem, sanguinisque descensum magis minusve impediri. Hincque patere existimat, ex pulsione cordis æquali majorem fluidi sanguinei quantitatem influere in omnes partes obstaculo superiores, speciatim in cerebrum, quo satis fiat nobilissimi hujus visceris necessitati, & obtineatur naturæ ad vitales usus operantis intentio. Præter officium enim digestorium ad productionem phænomenorum, passiones animi comitantium, atque insuper, cum ventriculi tensio ejusque in arteriam subjacentem actio regulata sit, ad cerebrum modulandum, sensationem cogitationemque perficiendam, salia biliosa concurrere. Accedente demum in intestinis novo ab hepate eorum proventu, subtiliorem alimentorum partem, occurrente in tubo intestinali levi impedimento & oppositione, quam flatus & halitus a conflictu biliosorum salium excitati objecerant, transversim per vasa lactea & ductum thoracicum ad sanguinem agi, crassam vero extra corpus sub excrementorum nomine ejici. In somno, dicit, pylorum propemodum claudi, communicationemque inter stomachum & sanguinem ex parte intercipi, descensum tum alimenti, tum succi biliosi, qui palmarium dicitur animalis actionis & sensationis instrumentum, impediri, pluresque alias actiones remittere ac suspendi, laxari cordis motum, hinc tardiorem fieri circulationem, nutritionem vero optime succedere. Chylum denique ait, sanguini affusum mediante salium agitatione, flatuumque & vaporum expansione, in spumeas quasi vesiculas seu globulos tornari, quorum insignis pro motu musculari præstando, in cordis motu, atque sensatione sit usus. Iisdem pariter principiis innititur doctrina de morbis; quodsi enim dicta salia nimiis curis aut mœroribus ab opere digestorio distrahantur, &

alior-

aliorsum impendantur, vel inordinata diæta confundantur, & supprimantur, putat Noster, alimenta necessario non satis attenuari, sed in mucum vel phlegma crassiusculum dissolvi, quod in ventriculo dictis ex causis aut ob nimiam in somnum indulgentiam detentum putrescat sensim,& noxium evadat,iatque sub hac mora majorem extrahi salium quantitatem, & quidem præternaturalium, quæ causæ evadant nimiæ inflationis & relaxationis stomachi, caloris excedentis, dolorum, & mali hypochondriaci, animi passionum, sensationum & cogitationum irregularium, deliriorum atque rabiei, infinitorumque ex aortæ descendentis pressione ortorum symptomatum, ut taceamus pravos ex vitiatis contentis stomachi deorsum pulsis exsuscitatos effectus, qui varii pro diversa illorum quantitate agentiumve causarum ratione observantur; ita ut omnis & sapientia hominis & felicitas in stomachi ac digestionis cura atque principiorum ibi residentium justa directione consistat. Quemadmodum autem principia rerum naturalium constitutiva, sive corpuscula, non alterantur unquam, ita ex pomposa medicamentorum alterantium serie nihil proficui in corporis humani salutem redundare posse, sibi persuadet Noster. Phlegma autem & indigesta moles stagnando putrefacta, & nimiam biliosorum salium saburram suggerens, quia causa est omnis mali, morbis hinc ortis obviam iri haud posse dicit, nisi hujus ipsius causæ remotione, inducta nova meliorique digestione & successiva fluidorum renovatione, hanc vero causæ remotionem seu salium evacuationem difficulter succedere, nisi hæc prius fuerint temperata, seu per oleosorum & unctuosorum usum subacta.

Sed ad ipsum nos tractatum convertimus Clariss. Woodwardi, qui D. Freind taxans, quod hypothesibus male fundatis innixus attractionem defendat, causas morborum nos latere, latiturosque forte semper adstruat, in mictu cruento variolosorum camphoram & acida probet, ac purgantia in secundæ febris accessu adhibeat, suum potius commendat tractatum, in quo strictissime observationibus & symptomatis ipsis se inhærere dicit, non statuminaturus quicquam, quod non inde consectariorum loco deduci posse, sibi videatur. Quemadmodum

modum autem controversiis nos lubentes non immiscemus, ita quæ Autoris Clarissimi circa variolarum theoriam pariter ac praxin, quibus modo commendata principia sua applicat, sit sententia, breviter inculcabimus. Ex symptomatibus, quæ in primo variolarum stadio occurrunt, ventriculum morbi sedem manifeste indicari, autumat, utpote quem salia calida, acria, corrosiva, tumultuoso impetu aggrediantur, & inflent, quæ postmodum ad sanguinem transeuntia & in corporis habitum effusa ibidem febrim aliaque excitent symptomata. Quo tempore omnis Medico & prima impendenda est cura, ut excitetur phantasia ægri, dirigantur animi passiones ac spes conservetur continua; abstineat a potibus fermentatis, decoctis cervinis, medicamenta præbeat grata sed pauca, ex absorbentibus margaritas, aliosque pulveres testaceos, cornu cervi ustum, corallia præparata, ad reprimendam exorbitantem principiorum variolosorum in ventriculo commotionem, ut & exilem dosin de pulvere Gasgonico, lapide de Goa non perfumato, Bezoar orientali, vel contrayervæ lapide; cavendo a serpentaria Virginiana, sale volatili cornu cervi, & viperarum, nec in alterum acidorum & refrigerantium extremum incidendo. Ratione ductus in dulcia vegetabilium olea, e. g. amygdalarum incidit Autor, utpote acri illi calidæ, corrosivæ, biliosæ materiæ, quam primariam non solum variolarum, sed & plurium aliarum ægritudinum causam judicat, e diametro contraria, cui spei conceptæ non infelix respondit eventus. A vomitoriis pariter, si in primo exhibeantur principio, salutarem spondet effectum. In secundo stadio seu tempore eruptionis variolarum bilis & putridum phlegma ex ventriculo in massam sanguinis promotum consueta infert symptomata; in tertio autem, seu sub maturatione pustulæ sensim elevatæ rumpuntur, tandemque profundunt materiam pituitosam, purulentam, flavescentem, bilis phlegmaticæ progeniem. In declinatione seu quarto stadio, si symptomata inde pendentia regulari ordine decrescunt, periculum omne evanescit; quod si vero ista non solum persistant, sed obstinata magis evadant, imo forte nova emergant, summa cautela opus esse, fabrica corporis tum val-

 de

de conquassata, viribusque labentibus, injungit Noster. Quemadmodum autem eorum ætiologiam ex dictis principiis fusius ante oculos ponit, ita quoad curationem, vesicatoriorum, venæsectionis & purgantium usum rejicit, opiata aliquatenus admittit, potissimum vero emetica commendat, ita tamen, ut ante omnia flatus removeantur, quæ operationem eorum sufflaminare possint. Jubet hinc, ut serum lacte dilutum aliive liquores grati simul ac apti ad phlegma attenuandum exhibeantur, debitisque intervallis reficiatur & vigoretur stomachus vino Canariensi, aliove generosiori, dulci ac calido.

Cum igitur vulgarem medendi methodum reliquerit, atque D. Freind ejusque asseclas, imprimis D. Mead, acerbius hoc in opere tractaverit Clarissimus Woodwardus, non potuit liber varias turbas, Autorique adversarios complures non excitare. Hinc multi extitere, qui per Satyras, dramata Musica, quæ operas vocant, libellos famosos, in soluta pariter ac ligata, ludibrio eum exponere sategerunt, imo Woodwardus & Mead in platea publica sibi occurrentes strictis gladiis se invicem adoriri non erubuerunt. Johannes Quincy vero, Med. D. librum hunc sub examen vocasse, falsitatisque incusasse perhibetur, quod quidem scriptum ad manus nostras nondum pervenit. Fuere tamen & haud pauci iique magni nominis & autoritatis Viri, qui Woodwardum publicis scriptis defenderunt. Dignum & præsentem tractatum judicavit Scheuchzerus, quem in Latinum idioma transferret, & Tiguri superiori anno typis exprimi curaret; spemque nobis facit in præfatione Clariss. Woodwardus, Collectanea sua circa œconomiam animalem observationibus & experimentis nixa, publicoque destinata, iis, quæ hoc in opusculo exhibuit, non parum lucis allatura esse.

APPENDICES AD JOSEPHI PITTON TOURNEFORT Institutiones Rei Herbariæ, Autore ANTONIO DE JUSSIEU, Lugdunæo, Doctore Medico Parisiensi, Regiæ Scientiarum Academiæ,

miæ, Regiæque Societatis Londinensis Socio, & in horto Regio Parisiensi Botanices Professore.

Parisiis, e Typographia Regia, 1719, 4.
Plag. 4.

TRia sunt, quæ in hisce Appendicibus comprehenduntur: Vita scilicet Turnefortii, Judicium de ejusdem Methodo, & Botanographorum Elogia Turnefortianæ Isagogi addenda.

Vitam Turnefortii cum jam in Actis his Anni 1710 Mense Majo p. 210, ex Historia Academiæ Regiæ Scientiarum uberius retulerimus, opera in hac recensenda supersedere nunc possumus, Lectorem benevolum illuc ablegantes.

Methodum Turnefortii quidem pariter in Actis Anni 1695 Mense Novembri, p. 509 Elementa ejus Botanices recensentes, descripsimus, haud abs re tamen fore existimamus, si ex Judicio Jussiæi, de illa lato, quædam nunc addamus. Etenim a longis jam seculis magnum opus magnusque labor erat, stirpes inter se dissimillimas in certum ordinem reducere. Inanis enim agnitus fuit ille, qui ab exterioribus plantarum figuris petebatur; falsus, qui a quatuor anni tempestatum varietate depromebatur; nec minus infidus, quem situs solive patrii ratio suppeditabat; ad vanitatem vero magis quam ad utilitatem comparatus, qui stirpes ab Autorum, qui eas primi cognoverant, nominibus indicandas præbebat; incertus, quem vel multiplex foliorum situs, vel figura & color subministrabat; minus tutus, ad quem odorum saporumque discrimina ducebant; ac usui magis quam cognitioni plantarum favebat, ad quem stirpium virtutes ansam dabant. Ab immutabilium ergo plantæ partium structura diversorum generum discrimina petendi rationem Cæsalpinus excogitabat, Fabius Columna, Gesnerus, & Joachimus Jungius continuabant, & solus Turnefortius fere perficiebat. Ex floribus enim hic ceu primis, quæ sese oculis ingerunt, partibus classes, ex fructibus vero ac seminibus genera, classibus subjecta, instituebat, quorum unum-

quodque sexcentas species a ceterarum partium varietatibus petitas amplectebatur. Sed non defuerunt, qui hanc Turnefortii methodum impugnantes improbabant, vel quod a floribus, stirpium parte minus diuturna, classium divisiones peteret; vel quod relictis antiquorum divisionibus novitati magis quam utilitati studens novas florum Campaniformium, Personatorum, Labiatorum, Cruciformium, Rosaceorum, Liliaceorum, Flosculorum, Semiflosculorum, Radiatorum &c. substituerit; vel quod vocabulorum, nominum, phrasiumque usu antiquo in Botanice receptorum immutatione novam difficili jam scientiæ difficultatem attulerit. Quæ objectiones quanquam tantæ non fuerint, quæ a via semel calcata seducere potuerint Turnefortium, nihilominus tantum abest, ut in opere ejus nihil omnino reprehensione dignum judicet Clarissimus Jussiæus, ut nævos potius quosdam in Institutionibus animadversos conspiciendos hic præbeat. Longe enim accuratiorem fore existimat classium generalem divisionem, quæ a simplicibus ad copulatas, e. g. a floribus apetalis ad petaloides progrederetur; etsi in ipsa petalorum dispositione Classes, quas multiplex petalorum numerus format, classibus, quæ minori eorum numero constant, postponerentur. Reprehendit etiam majorem, quam opus sit, classium numerum definitum, generumque dispositionem taxat, cum multa e sectionibus suis ad alias forsan æquo jure transferri possint. Quoad species plantarum, quæ generum sunt partes, monet, male plures plantas sub variis synonymis & appellationibus iterum ac tertium appositas, ipsas synonymas voces minus congruentes additas, & plantas nimium multas inter illas, quæ passim obviæ & vel tyronibus notæ sunt, tamen consulto omissas esse, quod sedem ex sua methodo propriam illis nondum invenerat. Quos quidem errores, aliosque id genus, ad obtrectationem invidorum Turnefortius non reliquisset, qui forsan primus eos agnovit, ut fidem facit ipsius codex, quem illustrissimo Abbati Bignonio delegavit, utpote in quo sexcentas emendationes per quadriennium propria manu inter lineas adscripserat, multo plures

res additurus novæ editioni, quam parabat, immaturo Autoris fato nobis præreptæ, quod Clar. Jussiæus non diffitetur.

Cur Autores nonnulli, qui scriptis observationibusque suis de Rei Herbariæ studio ad hunc usque diem bene meriti sunt, in Isagoge Turnefortiana desiderentur, triplex allegatur causa, vel quod Autori ignoti fuerint, vel quod, eo Institutiones suas defunctis encomii honorem decernentes scribente, vitam adhuc egerint, vel quod ab ejus tandem obitu nomen aliquod fuerint nacti. Ad primam classem Joachimus Jungius, & Jacobus Barrelierus; ad secundam Carolus Plumierius, Johannes Rajus, Jacobus Breynius, Samuel Duodius, Johannes Baptista Triumfetti, & Augustinus Lippi; ad ultimam Petrus Hotton, Petrus Magnol, & Guido Crescentius Fagon, spectant, quorum encomia brevius recensentur.

CHRISTIANI EBERHARDI WEISMANNI Introductio in memorabilia Historiæ Novi Testamenti, maxime vero seculorum primorum & novissimorum.

Tomi II.

Stuttgardiæ, sumtibus Mezlerio-Rœslinianis, 4.
Tomus I A. 1718 Alph. 6 pl. 9½. Tomus II A. 1719 Alph. 7 pl. 10.

QUi luculentum ac nervosum editurus est Historiæ ecclesiasticæ compendium, ac suam operam sapientibus probari cupit, eum eousque supra vulgus literatorum evectum esse oportet, ut (1) animum gerat a levi credulitate, a præjudicio autoritatis & antiquitatis, itemque ab affectu sectario vacuum, (2) cujusvis ævi scriptores συγχρόνους perlegerit, nec minus recentioris ævi Criticorum de veritate singularum historiarum judicia cognoverit atque expenderit, (3) securus sit injustæ reprehensionis imperitorum, hypocritarum, & pædantismo theologico laborantium, ac veritatem fortiter profiteatur, (4) missis levioris momenti disputationibus ea studiose tractet, quæ sapientiam Theologicam prudentiamque Christianam instruunt & augent, nec solum divinæ providentiæ in conservanda pro-

tranquillus & ſibi Deoque relictus eſt; alium, cum extra ſe ipſum raptus in elementum carnis & affectuum rapitur per controverſias & lites cum hominibus aliis; ejusdem coarguit mendacium de objecto ſibi coram divino tribunali Ciceronianiſmo; notat etiam ejusdem indiſertas declamationes in matrimonium. Hinc Cl. Autor progreditur ad Schiſmata, Meletianum, Luciferianum, & Antiochenum. Sequitur hiſtoria Donatiſtarum, quam tanta perſequitur diligentia, ut clare appareat, quid ſentiendum ſit de Donatiſtis. Tranſit hinc ad Arianiſmi hiſtoriam, ad hiſtoriam Photini, ad hiſtoriam Apollinariſmi, ad hæreſin Macedonii, Audæi, Priſcilliani, Joviniani, Aerii, Helvidii, Collyridianorum, Meſſalianorum. Hic obſervata Ariani erroris gravitate, depulſaque λογομαχίας ſuſpicione, ac notata utriusque Apollinaris inaniſſima ſubtilitate, nec excuſatis Photini & Macedonii erroribus, non tamen probat pœnas civiles in Macedonianos conſtitutas. Qua occaſione laudare etiam nobis neceſſe eſt ſingulare Caput p. 450 ſqq. quo Clar. Autor ſevero ſubjicit examini proceſſum illius ævi cum hæreticis ſeu errantibus, eumque a Chriſti doctrinis alieniſſimum eſſe oſtendit. Nec indignum notatu eſt, quod p. 450 exclamat: *Nos vero carnificinas iſtas toto corde improbamus, ſi vel mille Auguſtinos pro ſe haberet, cujus utinam epiſtola ad Vincentium & Bonifacium pridem intercidiſſent.* Laudat etiam p. 453 Bælii *Commentarium philoſophicum*, eumque *incomparabili vivacitate & ſoliditate quoad hanc partem concinnatum eſſe*, judicat. Sed redimus ad hæreticos quarti ſeculi, e quibus Clariſſ. Autor *Audæum* in numero martyrum & innocentiſſimorum errantium ponit; de Priſcilliano in medio relinquit, innocens fuerit nec ne; nec Jovinianum & Aerium hæreticis aggregare ſuſtinet; Meſſalianorum hiſtoriam pro tam intricata habet, ut vix extricari queat, Arnoldi tamen ad hanc hæreſin annotationes pio examine dignas habet. Succedit hiſtoria Synodorum hujus ſeculi, a quibus nihil humani alienum fuiſſe, facile largitur. Eam excipit delineatio Regiminis Eccleſiaſtici hoc ſeculo vigentis. Hic agnoſcit Cl. Autor, nec Principes tum, nec Epiſcopos, cognitos ſemper & commendatos habuiſſe veros ſuæ poteſtatis limites; Principes ad

ad Chriſtianam religionem converſos totum ſuum *aulicismum*, hoc eſt, ambitionem, luxum, & cetera vitia aulica Chriſtianiſmo adverſa ſecum transtuliſſe in Eccleſiam, ac nihilominus cultos fuiſſe pro Chriſtianis, iisque primi ordinis; ſpeciatim pœnas hoc ſeculo ſtatutas in errantes ortas eſſe ex confuſione civilis & eccleſiaſticæ poteſtatis, Principibus credentibus, ſibi etiam jus eſſe, in rebus fidei imperio abſoluto & rigore militari extorquere obſequium; Conſtantinum M. fuiſſe magnum ſimulatorem modeſtiæ erga Epiſcopos, quo tamen nemo magis deſpoticum geſſerit imperium in res & perſonas Eccleſiaſticas. Cum autem inter Epiſcopos ſupereminuerint Romani Epiſcopi, de his ordine diſſerit, ac memoratu digniſſima recenſet, ſimul docens, eorum monarchiam & infallibilitatem a nemine fuiſſe hoc ſeculo agnitam, frivolasque eſſe hodiernorum Papicolarum hoc in genere ratiunculas. Quod ad diſciplinam hujus ſeculi eccleſiaſticam attinet, quatuor pœnitentiæ gradus recenſet, ac ſimul oſtendit, admodum hoc ævo laxari cœpiſſe frenos diſciplinæ eccleſiaſticæ. Totum hoc ſeculum concludit hiſtoria martyrum hujus ſeculi, in qua copioſior eſt Clariſſ. Autor, eo haud dubie conſilio, ut legendis talibus excitetur & alatur legentium pietas.

Accedimus promiſſi noſtri memores ad ſeculum Reformationis, in quo Clariſſ. Autori ea placuit methodus, ut in limine ſtatim exhiberet ſtatum Eccleſiæ Romanæ. Primo igitur hiſtoria Pontificum-Romanorum hujus ſeculi breviter ac nervoſe exhibetur, ac de unoquoque notatu digniſſima inſperſo ἐπιχαίρεως ſale annotantur. Hinc præcipui Romanæ Eccleſiæ Theologi pari ratione recenſentur, *Hochſtratanus*, *Prierias*, *Tezelius*, *Cochlæus*, *Eccius*, *Emſerus*, *Cajetanus*, *Aleander*, *Surius*, *Gropperus*, *Campegius*, *Ambr. Catharinus*, *Reg. Polus*, *Contarenus*, *Sadoletus*, *Hoſius*; quibus ſubjungitur compendioſior deſcriptio *Keyſersbergii*, *Wimphelingii*, *Ximenii*, *Io. Fabri*, *Latomi*, *Vatabli*, *Melch. Cani*, *Sixti Senenſis*, *Caranzæ*, *Maldonati*, aliorumque. Tum Irenicos aliquot Theologos exhibet, *Eraſmum*, *Fabrum Stapulenſem*, *Caſſandrum*, *Balduinum*, *Wicelium*. Sequitur Concilii Piſani, eique oppoſiti Lateranenſis

 hiſto-

historia; historia item Sanctionis pragmaticæ in Gallia; historia Concilii Tridentini, cujus potissima momenta solerter lectori ob oculos ponuntur. Progressus Cl. Autor ad historiam Reformationis, præmissis aliquot observationibus generalibus, præmissaque de Staupitio dissertatiuncula, *Lutherum* non perfunctorie contemplatur, ac perstrictis inimicorum calumniis, decantatisque veris ejus laudibus, etiam nævos tanti viri jure libertatis historicæ in apricum producit. Inde luculenter disserit de *Carolostadio*, *Bugenhagio*, *Melanchthone*, *Myconio*, *Bucero*, *Spalatino*, *Justo Jona*, *Vergerio*, *Brentio*, subnexis brevioribus annotationibus de *Ambsdorfio*, *Regio*, *Wellero*, *Sarcerio*, *Lamberto*, *Wigando*, *Chemnitio*, *Selneccero*, aliisque. Jam singulari Capite persequitur Historiam Reformationis Germanicæ ad morem annalium, ex qua sequentia excerpimus. P. 143 inquit: *Opposita Bullæ Papali scripta ex parte Lutheri non fuerunt quidem injusta ratione causæ ipsius, cogit tamen nos veritas asserere, potuisse, imo debuisse Lutherum anathemate isto Pontificis non usque adeo exacerbari. Optamus etiam, abstinuisset Lutherus a combustione publica ejusdem Bullæ.* P. 155: *Lutheri censura in Edictum Norimbergense non injusta per se, sed nimis acerba, pro more.* P. 162: *Autor Confessionis Augustanæ non fuit Lutherus ipse, sed Melanchthon. Neque dubium est, aliam ejus scripti formam exstituram, si Lutherum habuisset autorem.* P. 166 sq. de fœdere Smalcaldico differens, observat, jura Principum Imperii Luthero non satis fuisse perspecta, Zuinglianosque ab hoc fœdere exclusos insigni adversus prudentiam politicam errore. Absoluta Reformationis historia repræsentat controversias Lutheranorum domesticas, sistens historiam Antinomismi, Osiandrismi, Adiaphorismi, Synergismi, Flacianismi, Majorismi, Huberianismi. Sequitur historia controversiarum inter Lutheranos & Reformatos usque ad Crypto-Calvinismum & Formulam Concordiæ. Et hanc quidem historiam Cl. Autor judicat esse omnium tristissimam, scandalosissimam, intricatissimam, quæ sine dolore & indignatione a nemine pio & Christiano legi possit. Hinc de Zuinglio & ceteris Helvetiæ Reformatoribus pro eo, ac satis est, disserit, per Genevam transiens

iens in Galliam & Angliam, ac utriusque regni historiam hujus seculi ecclesiasticam haud indiligenter exponens. Nec segnius versatur in historia Belgii. Subjungit historiam Anabaptistarum, historiam fratrum Bohemorum & Waldensium, quam quidem uberius deducendam existimavit, idque propterea, quod vulgo nimis breviter nimisque obiter ea tractari solet.

En generatim descripta hujus Compendii Historiæ Ecclesiasticæ facies! Quod cum eximia dignum laude atque commendatione censeamus, nolumus tamen dissimulare, tria nos deprehendisse, quæ pro nævis tam venusti corporis non immerito videntur haberi. Primo scilicet Cl. Autor, alias minime credulus, nimium timidum se præbet in rejiciendis fabulis ad fovendam pietatem accommodatis. En specimen unum alterumque! Tomo I p. 731 scribit ita: *Fateor, me non videre, quid rationibus Launoji* (historiam de Brunone Carthusiano refutantis) *solidi certique possit opponi, nihilominus optans, ut validis argumentis salvari possit monumentum in se utile divinaque providentia non indignum.* Sic in Prolegomenis p. 30 & T. I p. 266 fabulosissimam Sulpicii Severi de S. Martino narrationem acriter defendit pro vera historia. Piæ quoque credulitatis documenta exstant T. I p. 105 n. 8; p. 106 n. 9; p. 225; p. 302 n. 15; p. 705. Deinde Clar. Weismannus & arti Criticæ & Rationi se præbet invisum: id quod eo magis mirum est, quod, nisi præcursores secutus esset Criticos, nec ratione sine præjudicio voluisset uti, haud sane tam elegans historiæ ecclesiasticæ Compendium potuisset concinnare. Ac de Criticis quidem vide sis p. 110, 159, 223, de philosophis p. 120, 158, ut plura loca prætereamus. Fortasse justo major Poireti amor Clar. Autori pulcerrimarum illarum disciplinarum inspiravit fastidium, eademque de causa in Notitia sua Autorum omisisse videtur Cl. Clericum, ejusque Historiam seculi I & II, quam tamen in ipso opere non raro nominat, e. g. p. 36, 46, conf. p. 115.

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII, Theologi Tubingensis, Dissertatio Polemica de Successione Episcopali, in qua probatur, eam in tota, quaqua patet,

Ecclesia, maxime in Romana, dudum defecisse, & si qua sit, Græcæ magis, quam Romanæ, maxime vero Anglicanæ Ecclesiæ competere, veræ autem Ecclesiæ notam prorsus haud esse.

A. MDCCXX in 4.

Pl. 4.

art. 1. p. 3. Opposita est hæc Viri, scriptis & multis & eruditis celeberrimi, Dissertatio præcipuo cuidam Romanensium telo, quo nobis objiciunt, nos successione Episcopali, successione itidem ministerii Ecclesiastici canonica, quæ inde ab Apostolis originem trahat, carere, unde Romanam Ecclesiam solam esse veram, cui ista successio competat, Protestantium autem cœtus spurios esse, arguunt, quippe qui vel a Presbyteris, vel a Laicis, qui ordinare haud potuerint, ordinationis ministerialis originem repetant. art. 2. p. 4. Postquam Autor doctissimus quædam de momento quæstionis, quod, quia veritatem Ecclesiæ attinet, de nihilo haud est, præmisit, deque difficultate argumenti, siquidem & vetustissimi Patres ad canonicam istam successionem provocant, art. 3. p. 6. postquam & autores hac de re consulendos magno numero allegavit, art. 4. p. 8. successionem doctrinalem, personalem & localem a se invicem distinguit, personalem autem, eandemque canonicam, i. e. quæ secundum canones Ecclesiæ universalis aut particularis fiat, vel electionem, vel ordinationem spectare docet. Istis suppositis, art. 5. p. 9. jam ad objectionem respondet I, neque successionem localem, neque personalem minus canonicam, neque personalem canonicam sine doctrinali, quicquam hic probare, doctrinalem autem, solitarie quoque spectatam, veræ Ecclesiæ notam esse, quæ singula ex locis Patrum confirmantur, & pro re utrinque confecta habentur. Unde insulsum & contra ordinem esse concluditur, a successione personali initium facere disputandi, quod a doctrinali fieri debebat, qua si Protestantes præ Romanensibus art. 7. p. 13. gaudeant, res statim patere existimabitur. Respondet II, defecisse in toto orbe Christiano successionem personalem canonicam, tum quoad electiones, quæ jam ad Reges, & Principes, patronosque laicos, quos vetus Ecclesia prorsus ignoravit, ad Cano-

Canonicos, Capitulares, Cardinales, contra Ecclesiæ universalis canones devenerint, nec Ecclesia monstrari facile queat, in qua Episcopi, Clerus & plebs eligunt: tum quoad ordinationes, quæ vel a falsis aut hæreticis Episcopis factæ, adeoque nullæ sint, vel ob schismatum, queis sedes Patriarchales turbatæ fuerunt, multitudinem incertæ & irritæ factæ sint. Remittuntur hic lectores ad historiam Patriarchatuum & Episcopatuum, apertis simul genuinis ejus fontibus. Aut igitur nullam prorsus dari Ecclesiam, exin colligitur, aut, si qua datur, sine successione personali canonica eam dari. Respondet III, in Ecclesia Romana eam successionem vel maxime periisse, etenim in Pontificum serie & actis intrusorum, simoniacorum & hæreticorum, immanium quoque schismatum, ubi tres subinde Pontifices, qui omnes sedem possederint, copiam exstare: quæ omnia successionem interrumpant. Qua in re quum habeamus reos confitentes, non esse multo probandi labore opus. Si vero successione canonica hic standum esset, majori jure Ecclesiam orientalem eam sibi vindicare posse, maxime vero Anglicanam, quæ cum personali, si qua detur, etiam doctrinalem possideat. De orientali brevissimus est Vir doctissimus, neque ipsi animus fuit, in historiam Patriarcharum ejus excurrendi. Anglicanam paulo curatius cum ab objectionibus Bossueti & Massueti defendit, quorum hic Episcoporum Anglorum ordinationes tantum valere perhibet, quantum valuerit ordinatio Matthæi Parkeri, in Archiepiscopalem Cantuariensem sedem intrusi, quippe a quo demum omnes sint derivandæ; at ludicram fuisse hujus ordinationem, ab ementito Episcopo Joanne Scory, quem & ipsum Zuingliani & Puritani ordinaverint, violatis omnibus Ecclesiæ canonibus, spretisque hactenus recepta materia & forma, factam: tum & controversias & motus eorum, qui Jacobitæ, sive *Non-Jurors* dicuntur, scriptaque mutua super eam rem recenset. Quæ deinceps Vir doctissimus de incertitudine successionis apud Romanenses, ex dogmate eorum, quo sacramentum cum intentione positive contraria collatum, nullum esse statuunt; ex difficultatibus item historicis, chronologicis, criticis, orinnda disputat; quæ de indole argumenti a successione petiti, quod conjecturale saltem est,

art. 7. p. 10.

art. 8. p. 18.

art. 9. p. 24, 25.

est, deque successione doctrinæ usque ad reformationem propagata, docet: quæ porro contra πρῶτα ψεύδη in hac causa monet, quasi successio sine ordinatione consistere, ac præter Episcopos alius quis ordinare non possit; quæque tandem de sacerdotio spirituali, atque electiva potius quam successiva Ministerii N. T. indole, aliisque rebus ad argumentum facientibus disserit, ea brevia sunt, neque nos morabuntur. In notis, quas Autor celeberrimus singulis articulis ex more suo adjecit, multa quoque occurrunt notatu digna, ex quibus speciminis loco sequentia communicamus. P. 11 & 12 loca Patrum excutiuntur, quæ pro successione allegari videantur posse, eaque aut doctrinalem successionem supponere, aut semper conjungere, ostenditur. De Grabio p. 5 refertur, eum, quum Erfordiæ bibliopolium ingrederetur, antequam consilium de mutanda religione, cujus rei causa illuc profectus erat, Romanensibus aperuisset, atque ibi Speneri librum, dubiis suis de successione Episcoporum, quæ Consistorio Sambiensi exhibuerat, oppositum introspiceret, re infecta Berolinum regressum esse, atque ex eo consilium ad Ecclesiam Anglicanam transeundi cepisse. Suspicionem illam, ac si Tillotsonius baptizatus nunquam fuerit, quam Trevoltienses ad A. 1717 art. 43 p. 586 jam observarunt, Noster confirmat, seque non tantum in libello quodam adespoto legisse, *sed & a* concionatore aulico Principis Georgii, Annæ Reginæ mariti, audivisse refert, patrem Tillotsonii fuisse Quakerum, & Tillotsonium XVIII annorum juvenem mediis in motibus Cromwellianis, ubi tanto cum rigore baptismus haud exactus fuerit, Londino Oxonium in collegium quoddam abiisse, inde Presbyterum & post Episcopum sine baptismo creatum fuisse. Quod Articuli Smalcaldici P. 3 n. 10 dicunt, Jura Pontificia affirmare, etiam ab Hæreticis ordinatos vere esse ordinatos; de iis hæreticis intelligendum esse monet, quibus successio hierarchica atque Canonica competit, non item de aliis. Ad quæstionem de Joanne Baptista respondet: se hic ad Pyrrhonismum historicum, & tritum illud, non liquet, delabi, quia æquale utrinque argumentorum pondus videatur. Ad calcem operis exhibetur fragmentum epistolæ alicujus ad Basnagium a Bernh. de Fontenelle scriptæ, in

art. 10. p. 26.

art. 11. p. 27.

p. 24.

p. 17.

p. 18.

qua

qua sub eleganti fictione liberrime mentem suam de successione personali & doctrinali exponit, quarum posteriorem reformatæ, priorem Romanæ Ecclesiæ non obscure attribuit. Et sane carcerem publicum eam ob rem, Bastillam vocant, subiit Fontenellius; ex quo post aliquot menses, non nisi luculenta prius revocatione facta, evasit.

EXAMEN THEOLOGICUM DOCTRINÆ Quenellianæ, quo æquitas & justitia Constitutionis dogmaticæ Unigenitus demonstratur &c. Autore P. MARIANO BROCKIE, Scoto-Benedictino.

Erffurti, impensis Jo. Mich. Funck, 1720, 8.
Pl. 20.

PAucitas eorum, qui pro defendenda Constitutione *Unigenitus* exacuerunt calamum, quum libellorum, qui in gratiam adversæ partis tum Amstelodami, tum Genevæ, tum Lipsiæ, ut in præfatione, nescimus quo jure, perhibetur, & Francofurti prodierint, vix numerus iniri possit, impulit hujus libri Autorem doctissimum, ex exemto Monasterio S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ, S. Theologiæ & Philosophiæ Doctorem, earundemque in Academia Erffurtensi Professorem, ut in animum induceret, ex principiis Theologicis istius Constitutionis æquitatem demonstrare, digestosque in certa capita Theologica errores Quenellianos refellere, quos ipse Quenellus, cum suis, quibusdam S. Scripturæ textibus & nonnullis SS. Patrum sententiis nequiter, ex mente nostri, depravatis obfirmare, contraque Ecclesiæ definitiones propagare & defendere conatus est. Præmittere autem visum est Nostro brevem historiæ cum omnis Jansenismi tum inprimis controversiæ Quenellianæ repetitionem, quam hic transscribere nihil attinet, quum non facile a quoquam eruditorum ignoretur. Ad calcem primi capitis adjectæ sunt literæ Pontificis, quibus ante biennium eos, qui Constitutioni suæ adversantur, a cœtu suo segregatos declarabat. Cap. II. id quod caput est causæ aggreditur Autor, atque summi Pontificis autori-

Cap. I.

Cap. II.

autoritatem in ſanciendis conſtitutionibus dogmaticis aſſerit, ita quidem, ut non cum heterodoxis, quos vocat, ſeparatarum communionum, ſed cum iis rem ſibi eſſe exiſtimet, qui Pontificii haberi volunt. Imprimis primatum Petri ex dictis ſexcenties excuſſis Matth. XVI, 18, 19, Joh. XXI, 17, urget, in quo ſi cum Proteſtantibus ipſi res eſſet, parum proficeret, bene tamen habet, quod adverſum Pontificios ſe ſcribere faſſus eſt Autor, h. e. eos, qui Primatum iſtum credunt. Jam vero Pontifices in locum Petri ſucceſſiſſe, inquit, adeoque & in ejus jura, regendæ ſcilicet Eccleſiæ & exercendæ in eam jurisdictionis poteſtatem; in qua re comprobanda eodem argumentorum pondere, quo paulo

p. 34. ante, decertat, fundamentum ſcilicet Eccleſiæ durare debere, quamdiu Eccleſia durat; quæ quum ſit perpetua, perpetuam quoque eſſe S. Petri, quæ ſit fundamentum illud, autoritatem, non quidem in Perſona Petri, ſed in ipſius Succeſſoribus, ſummis Pontificibus Romanis. Atque hoc ipſum exigere totius Eccleſiæ dignitatem, eam enim, niſi haberet caput viſibile, non poſſe eſſe corpus viſibile; neque pejoris conditionis Eccleſiam Chriſtianam eſſe, quam fuerit Synagoga Judaica, & quæ ſunt reliqua in eum ſenſum dicta. Exin jam concluditur, quum ſummus Pontifex ſit caput Eccleſiæ, Petrique ſucceſſor, poſſe eum controverſias in materia fidei, perinde ut in diſciplina *Eccleſiaſtica* & morum doctrina decidere, ea cum autoritate, ut omnes, qui rebelles & putida membra nolint haberi, ad obſe-

p. 37. quium obligentur. Imprimis autem Noſter hic provocat ad perpetuam praxin Eccleſiæ, quam prætendit, atque audet aſſerere, ſolos Pontifices Romanos autoritate ſua omnes ante concilium Nicænum controverſias decidiſſe, atque ad eos undiquaque fuiſſe, tanquam ad ſummum tribunal, provocatum. Refert, Origenem judicio S. Fabiani Papæ ſe ſubmiſiſſe, quum circa initium ſeculi tertii hæreſeos accuſaretur. Refert, Irenæum ad Victorem Epiſcopum Rom. ſcripſiſſe, de Aſiaticis Epiſcopis anathemate non percellendis, ob controverſiam de Paſchate, ne tot Eccleſias a communione ſuſpenderet, adeoque poteſtatem Epiſcopos illos excommunicandi in Epiſcopo Romano agnoviſſe, teſte Euſebio l. 5 H. E. c. 24. Reliqua facta aut dicta Patrum, concilio illo

illo recentiora non adjicimus. Viderint jam viri docti, an ex istis exemplis, quodque Pontifices Romani antiquissimos errores Cataphrygarum, Marcionistarum, Novationarum ac Sabellianorum damnaverint, evictum sit, ante Concilium Nicænum summum fuisse tribunal Ecclesiæ sedem Romanam; nos sane, ut hoc clero Gallicano persuaserit Noster, valde dubitamus. Cap. III jam ulterius adstruere conatur Autor doctissimus, Constitutiones Pontificias sine ulla restrictione simpliciter accipi debere, quod ex ipsius principiis de potestate & infallibilitate Pontificis facile deduci posse percipitur, modo principia illa firma sint. In partes tamen suas trahere magno conatu laborat Ecclesiam Gallicanam, allegato in rem suam Andrea Duvallio Doctore Sorbonico, aliisque scriptis Præsulum ejus gentis. Nec non aliorum, Lutheri quoque sub initium reformationis, & Jansenii verbis infallibilitatem illam, quam concepit sibi animo, suffulcit; quæ jam non moramur. Cap. IV & sequentibus justitiam Constitutionis penitius deducere vult, ac primum quidem amolitur ab ea studium partium & favorem Jesuiticum, quodque propositiones illæ non in sensu legitimo, sed alieno damnatæ sint. Ceterum sensum eorum locorum, quæ apud Augustinum aliosque Patres favere videantur Quenellio, hauriendum esse contendit ex declaratione Pontificia. Jam vero digerit secundum classes & locos communes Theologicos propositiones Quenellianas, ita ut Capite V illæ comprehendantur & examini subjiciantur, quæ agant de libero Arbitrio & voluntate humana, C. VI de gratia efficaci & sufficiente, C. VII de morte Christi pro omnibus hominibus, C. VIII de necessitate gratiæ ad bona opera facienda, C. IX de ejusdem necessitate ad cognoscendas veritates naturales, C. X de gratia Adami sive Proto-parentum, C. XI de gratia baptismali & illius effectibus, C. XII de amore Dei, C. XIII de Timore, C. XIV de afflictionibus innocentium & fidelium, C. XV de fide Christiana, C. XVI de Fœdere antiquo sive Ecclesia Judaica, C. XVII de novo Fœdere seu Ecclesia Christiana, C. XVIII de dispensatione legum, C. XIX de potestate excommunicandi, C. XX de absolutione ante satisfactionem, atque de conversione & remissione peccatorum, C. XXI de lectione S. Scripturæ. In quibus propositionibus examinandis

C. III.

p. 45.

C. IV.

p. 53, 54.

 dis

dis ita verſatur, ut doctrinam Eccleſiæ ſuæ de iſtis capitibus prius exponat, teſtimoniisque Scripturæ S. Patrum, Conciliorum & Pontificum confirmare nitatur, dein oppoſitam Quenelli ſententiam ex ſingulis propoſitionibus eruere, eandemque vel adſtructæ prius doctrinæ autoritate, vel deductis exin abſurdis & in praxi Chriſtianiſmi valde noxiis concluſionibus refutare conetur. Utrum mens Quenelli ubique fideliter expreſſa aut in diſputatione ſaltem curate ob oculos ſit habita, utrum & ratiocinia Noſtri & conſecutiones ex propoſitionibus Quenelli elicitæ ſatis cohæreant, & quæ reliqua in iſto ſcribendi genere obſervatu ſunt neceſſaria, neque inquirere hic noſtrum eſt, nec definire. Sufficit nobis, ut de methodo Autoris rectius conſtet, unicum diſputationis exemplum lectoribus noſtris exhibere, quod caput ultimum de lectione S. Scripturæ jam quidem ſuppeditet. Ibi quidem primo Noſter adſtruit, nullum eſſe cœtum Chriſtianorum, qui adeo Scripturam veneretur, adeo frequenter illam in cunctis ſuis officiis & liturgiis adhibeat, quam quidem id faciat Eccleſia Romana, quum quotidie Religioſi & Clerici Pſalmos in choro cantent, indies in ſacrificio Miſſæ Epiſtolæ Apoſtolorum, Prophetiæ, Hiſtoriæ & ſacra Evangelia, ex ſacris Bibliis deducantur, nihilque adeo præſcribat ea Eccleſia, niſi ſacro Codice in teſtimonium vocato. Dein rationes adducit, quas propter lectionem ſacri Codicis Laicis prohibuerit, quales ſunt, Scripturæ paſſim obſcuritas, ejusdemque fraudulentæ & hæreticæ verſiones, humani ingenii infirmitas & ad res novas pronus impetus, periculum adeo abuſus, hæreticorum, ad Scripturas provocantium, exemplis confirmatum, autoritas tandem Conciliorum Toloſani & Tridentini. Jam vero propoſitiones Quenelli damnatas 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, & paulo poſt 86 recenſet oſtenditque, Quenellum ibi lectionem S. Codicis omnibus, etiam ſexui ſequiori neceſſariam ſtatuere, unde conſuetudo Eccleſiæ Rom. hactenus expoſita ab ipſo rejici & damnari intelligatur. Reſpondet ergo Noſter, hominem hunc non tantum Eccleſiæ Catholicæ contradicere, ſed & inducere quicquam velle, quod innumeros abuſus crearet atque ſchiſmata & hæreſes continuo foveret: injurioſum quoque eſſe in poteſtatem Epiſcoporum, ut qui non gaudeant, ex ejus mente, jure libertatem fidelium

lium

lium in legenda Scriptura restringendi. Sed in eo convenire Quenello cum omnibus hæresibus, quæ, ut amplissimum decipiendi campum sibi aperirent, etiam fœminis lectionem Scripturæ indulserint, quæ ob sexus sui dotes ad alios seducendos factæ sint & fictæ, adeoque hæresibus fere omnibus, si non ortum, saltem magnam progressus partem dederint: quod sexus illius encomium dein ad Religiosas Portus Regii in Gallia applicat, quæ Jansenismi temporibus contra Constitutiones Pontificias insurrexerint. Illud autem primus in aurem dixit nobis Autor, consuetudinem illam non permittendi promiscuam Scripturarum in lingua vernacula lectionem, antiquissimam esse, atque cautiones illas, a Christi vicariis ad talem lectionem prohibendam usitatas, ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis esse coævas, ita, ut ipsi Apostoli talem prohibitionem admiserint, quam in rem allegat 2 Pet. III, 16. Reliqua, quæ monentur ad propositionem Quenellianam, qua diem Dominicum lectione imprimis Scripturarum celebrandum esse docet, hic non attingimus. Id vero adhuc male habet Nostrum, quod Prop. 86 improbetur etiam ea Rom. Ecclesiæ consuetudo, qua publicis officiis idiomate Latino fungitur, cum tamen, ut perhibet Noster, omnia concilia tam generalia quam provincialia hoc ipsum confirment & roborent; a tempore enim Christianismi nunquam auditum esse, quod Ecclesia permiserit, suam liturgiam in idiomate vulgari recitari; ubi rursus ad annales Ecclesiasticos provocat Autor. Et quam vellemus, probatum hoc ipsum dedisset distinctissime, neque enim id exinde probari posse, huc usque credidimus. Provocat etiam ad abusus ex illo usu vernaculæ in sacris metuendos, provocat ad Synodum Tridentinam. Quod autem Quenellus dixerat, esse istam consuetudinem praxi Apostolicæ & intentioni Dei contrariam, id quidem magno conatu damnat Noster, istis tamen argumentis Quenelli nihil quicquam reponens. Sed finem facimus, veniam precati lectores, si ista prolixitate molesti forte fuerimus: neque enim nobis præterea quicquam occurrere visum est, quod obvium ac tritum non sit, quodque notari hic mereatur. Id forte monere non erit abs re, male ab Autore Luthero nostræque Ecclesiæ tribui, ac si gratiam sufficientem, Christumque pro omnibus mortuum esse, negaremus; qua in re

p. 291. 85. 105.

utrum minus ingenuus, an vero doctrinæ nostræ male gnarus dicendus sit, non dijudicamus. Superiores autem, qui hunc libellum *haud inelegant i stylo* conscriptum in approbatione præfixa prædicant, viderint, qua ratione huic elogio concilient, quæ passim invito influxisse videntur Prisciano, e. g. p. 61 lin. 23 *exeratis* pro *exsertis*, p. 92 lin. 16 *evomat* pro *evomit*, p. 95 lin. 26 *ut* omnis culpa *redundat* in Deum, p. 113 lin. 20 ita *ut* nullus - - dubitare *poterit*, p. 273 lin. 5 *præstaverat* pro *præstiterat*, p. 274 lin. 9 *practicata*, & alia, undique frequentissima. Nos ista amanuensis incuriæ tantisper tribuemus.

Andreen Hojern Dännemarckische Geschichte.

i. e.

ANDREÆ HOIERI RES GESTÆ DANOrum, ab origine Regni usque ad finem Seculi XVII.

Erfordiæ, apud Petr. Christoph. Ehrts, 1719, 8. Alph. 1 pl. 17.

ERfordiæ hunc librum esse impressum, uti titulus præ se fert, serio negant urbis cives, & satis aliunde constat, in oris ad Albim inferiorem sitis eundem fuisse vulgatum. Autor opusculum illud in usum Generosæ juventutis fidei suæ concreditæ, ex Danorum domesticis & exteris Scriptoribus multo labore collegit, subnexis simul animadversionibus, citatis Autorum, & tabulis genealogicis, ne historiam patriam tradendo, suos in errores vel ex communi opinione vel ex favore partium profectos induceret. Verum quid Autor in iis præstiterit, ex sequentibus L. B. esto judicium. Nomen Danorum non a flumine *Dena*, sive Eydera, ut nobis dicitur, sed a Rege vetustissimo Dano derivandum. *Obotritarum* denominatio eadem esse creditur, ac si dicas *Abendreuter*, quod noctu prædas agere consuevissent. Episcopos Jutarum ab Ottone M. majoris securitatis gratia saltem fuisse confirmatos, Noster sibi persuadet. Dantiscum a Danis fuisse conditum, nomen urbis indicat, cum *Danorum Vicum* sonet, & majores plerumque *Danske* illud in diplomatibus dicere consueverint. Circa res Christophori II Huitfeldus Holsatorum

p. 1. / 16. / 22. / 34. / 55.

torum

torum scriptoribus meretur præferri; idem tamen causæ videtur dedisse, dum Gerhardum Holsatiæ Comitem a suis fuisse trucidatum negat. Num Waldemari III filius Christophorus, veneno, an phrenesi fuerit extinctus, inter Suecos & Danos nondum convenit. Cognomen *Greta Nigra* vulgo tribuunt Margaretæ tribus Septentrionis Regnis imperanti, licet adhuc sub judice lis sit, an non sub ista voce Margareta Erici IV mater intelligi debeat. Ericus Pomeranus capta Fimera, cum omnes enecari curasset, tribus saltem ex tanta clade reliquis, fortunam semper adversam est expertus, donec ob sævitiam suis exosus Regno pelleretur. Eundem vulgo autorem ferunt Chronici Regum Daniæ, quem tamen partum Monacho cuidam Cisterciensis familiæ adscribunt prudentiores. Editum illud a Lindenbrogio nævis plurimis refertum, quapropter serio vovemus, ut Arnæ Magnæi cura emendatum idem quamprimum prodeat. Holsatiæ investitura quondam Imperatoris nomine a Ducibus Lauenburgicis impositione crucis, & Sigismundi jussu a Præside Lubecensi solenni vexillorum exhibitione Comitibus renovabatur. Theodoricum Oldenburgi Comitem, quod plerique narrant, Legatis Danicis de naturali filiorum propensione sententiam libere dixisse, penitus refellit Autor. Regnum Norvagiæ nullo non tempore fuisse hæreditarium, autumat, Danorum quorundam testimonio nisus, licet hanc opinionem pacta Regia Friderici I subvertant, & Noster sibimet ipsi hinc inde sit contrarius. De Christiano II nefanda circumferuntur; Noster ipsum, cum plurima ad obtinendum Suprematum peragenda fuerint, non crudelem, sed innocuum potius Tyrannum nominat, inconstantiæ tamen vitium maxime in eo reprehendit. Hinc Christianus cum classe ad Norvagiæ littora appellens, re minus prospere gesta, detentus, & carceri ad finem usque vitæ mancipatus est, quod litteris clandestinis ad Imperatorem missis salvo conductu indignum se reddidisset. Ceterum an proceres Daniæ animum induxerint, Christiani II uxorem Christiano III desponsare, certo definire haud audet. Christianus ille III multis turbis sub initium Regiminis involutus, tandem prudentia singulari eluctabatur. Hafnia certe mœnibus bellum acriter propulsabat, inde Rex peregrinis navibus collectis simulacrum

p. 59. 68. 81. 85. & 89. 91. 94. 100. 101. 119. 205. 238. & 460. 178. 223.

præbuit classis suppetias obsessis laturæ, qua in speciem capti civitas deditionem haud distulit. Adolphus Holsatiæ Dux Dithmarsiam clanculum peragraverat, ut aditus omnes probe nosset, quo facto facile fuit Friderico II, Dithmarsos ad imperata facienda adigendi. Hunc inter atque Suecos bellum est enatum, quod naves Danorum maritimo more salutantes Suecicas tormentorum pilis eas improviso perforassent. Hinc Elswigii sententia de fatis Libri *Concordiæ* in Dania refellitur. Bellum cum Christina Sueciæ Regina inde prorupit, quod Sueci Danos pacis in Germania conciliatores esse nollent. Jussu Imperatoris atque Regis Danorum anno 1608 Jus Nobilium Slesvico-Holsatorum Duces sibi eligendi est abrogatum. Bruckmannus, Legatione Persica satis notus, a criminibus ipsi imputatis haud excusandus est, quod Acta in Archivo Gottorpiensi asservata testantur. Cum Friderico III de forma Regiminis Ordines duris conditionibus pacti sunt, quod nulli Antecessorum obtigerat. Funestum huic bellum a Suecis est indictum, in quo hostes exercitum supra mare glacie adstrictum in Sialandiam usque duxerunt, iter quasi monstrantibus Danis, ex Fionia quippe salutem fuga quærentibus. Verum non eundem armorum successum experti sunt Sueci in oppugnatione Hafniensi, civibus Academicis & urbanis egregia virtute vim hostilem reprimentibus; unde Hafnia postmodum liberata, Academicis jus gladios gestandi, & urbanis immunitas a tributis, si vectigalia & in res consumtibiles imposita excipias, dignitas hæreditaria Equestri proxima, augmentum finium urbanorum, Jus Stapulæ, atque alia fuere concessa. Dominium Maris Balthici sibi solis vindicare conantur Dani Suecique, vi cujus licentiam naves ædificandi & adornandi, ac majus vexillum marinum explicandi aliis denegant. Vismaria A. 1675 spe citius in potestatem Danorum pervenit, quod Comes Carlsonius Suecorum Præfectus, fragorem tormentorum haud ferens, in cella vinaria plerumque latitaret. Greiffenfeldium gratia Regis excussum fuisse tradunt, quod officia publica dignis & indignis vendidisset, & arcana Regis pretio accepto Gallis Suecisque prodidisset. Sed hæc sufficiant. Ceterum monendum, libellum hunc Danis adeo displicuisse, ut scriptis hanc in rem editis erroris illius demonstraverint, atque fama ferat

(Marginal page references: p. 262, 293, 361, 368, 408, 416, 447, 513, 537.)

ferat, brevi tempore Compendium historiæ Danicæ autoritate publica proditurum.

HISTORIÆ BIBLIOTHECÆ FABRICIANÆ, Autore JOANNE FABRICIO, Pars III.

Wolffenbutteli, apud Godofr. Freytagium, 1719, 4.
Alph. 3.

CUm de Parte I & II operis utilissimi dictum sit alibi, jam tertia quoque nobis memoranda est. Sistit initio Pars hæc Historicos, & in his primum *Goldasti* rerum Alemannicarum scriptores, e quibus disciplinæ sectatores mirificam percipere posse utilitatem censet S. R. *Jo. Fabricius*, & postquam singulos libros illic contentos exposuit more suo, moderate ac prudenter, vitas doctorum hominum, qui ad Goldastum vel respexerunt, vel in eo exornando versati sunt, subjungit. Sequuntur Henrici *Meibomii* rerum Germanicarum Tomi tres, & Scriptores rerum Brunsuicensium illustris *Leibnitii*, quorum contenta accurate recenset; tum vero præter alios multos, quorum catalogum hic texere nolumus, Jo. Augusti *Thuani* historiæ sui temporis, quibus diversas adjunxit notas Celeberr. Autor a pag. 47 usque ad 54. Hinc *Herodoti*, *Xenophontis*, *Dionysii* Halicarnassensis, *Diodori* Siculi, *Dyctis* Cretensis, & *Daretis* Phrygii, *Plutarchi*, *Pausaniæ*, opera *Jo. Xiphilini* excerptæ historiæ, ac *Dionis Cassii* Historiæ recensentur. Succedunt elogiorum eruditorum e lapidibus & numis, antiquitatum item Judaicarum & Christianarum, Historiæ literariæ, rerumque Philosophicarum scriptores, quibus postremo Grammatici & Lexicographi adjunguntur. Absolutis ita voluminibus, quæ in forma folii prostant, eodem ordine in hoc Tomo libros in quarta, quam vocant, forma excusos recenset omnes, ut nihil adeo nobis ex tanta supellectile præter minoris formæ libellos desiderari videatur. De instituto S. R. Autoris etsi jam alibi diximus, id saltem nunc denuo monemus, non modo Autorum sed & Editorum, ut Lud Kusteri, occasione Suidæ, & Commentatorum, quales e. g. occasione Petronii plurimi afferuntur, vitas, variasque editiones & censuras aut elogia eruditorum, imprimis vero erra-

ta

ta in libris passim observata, summo studio atque doctrina collecta hic exhiberi; ut pateat adeo, Autorem, quos possidet libros, ipsum legisse ac variis animadversionibus locupletasse. Ceterum ne nihil afferamus speciminis ex opere elegantissimo, nolumus ignorare Lectorem, Patavii Virum literatissimum (Jacobum Facciolatum, S. R. Autoris Amicum facile agnoscimus) in eo esse, ut Lexici Latini, a Fabro Cellarioque ac nuperrime Clar. Stubelio nostro compilati, errores quosdam modeste indicet. Richardum Simonem observat Noster falso Suniam & Freielam, quibus Hieronymus respondit, pro fœminis habuisse, viros quippe & quidem sacerdotes Bojoaricos. Dum miras Hieronymi Bignonii Concionatoris Veneti ad conciliandum auditorum assensum artes dilaudat, hæc subdit: *Hujusmodi libris ad concionandum, & quidem ad populariter res proponendas, ad exempla illustranda, debitoque modo animanda, ad comparationes apte adhibendas, atque ad movendos affectus & corda hominum expugnanda, commode ac feliciter uti possumus. Neque ægre ferant aliarum gentium concionatores, si Italos, cumque his etiam Gallos & Hispanos, hoc in genere Imperium obtinere & præcipuum quid habere dixerimus; nihil enim aliud dicimus, quàm quod veritas postulat, quodque oculis vidimus nostris, & auribus percepimus nostris, atque in nobis ipsis sæpenumero attoniti victique sensimus &c.* Octavium Ferrarium, ait, A. 1675 cum Neapoli reversus eum salutaret, fassum esse, se Fragmentum Petronii Traguriense (quod quidem & Wagenseilius & Valesius pro spurio habuerint, sed genuinum esse postea compertum sit, ita ut jam nullum amplius dubium supersit) pro spurio habere, & quod ejus barbara & horrida dictio cum elegante & tersa Petroniana plane non conveniat; neque se posse adduci ut credat, Phœdrum fuisse libertum Augusti, potuisse alterius esse Imperatoris, sed cujus, se ignorare. Audivisse etiam ex Scioppio, Danielem Eremitam adeo deperisse Petronium, ut diabolum interrogaret, an non plura ejus superessent scripta, malumque illum dæmonem negando respondisse. Quod reliquum est, publico nomine rogamus S. R. Autorem, ut quæ reliqua habet, quartam Bibliothecæ partem completura, propediem e doctissima penu promat.

p. 263. 401. 411. 462.

❀):(o):(❀

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Octobris, Anno MDCCXX.

M. FABII QVINCTILIANI DE INSTItutione Oratoria, Libri duodecim, cum Notis & Animadversionibus Virorum doctorum, summa cura recogniti & emendati per PETRUM BURMANNUM.

Lugduni Batavorum, apud Joannem de Vivie, 1720, 4.
Alph. 6 pl. 16.

M. FABII QVINCTILIANI, UT FERunt, Declamationes XIX majores & quæ ex CCC LXXXVIII supersunt CXLV minores, & CALPURNII FLACCI Declamationes, cum Notis doctorum Virorum, curante PETRO BURMANNO. Tom. I & II.

Lugduni Batavorum, apud Joannem de Vivie, 1720, 4.
Alph. 5 pl. 7.

NEque Petronio, nitidissima & locupletissima editione a Cl. Burmanno ante hos septem octove annos donato, neque Phædro aut Vellejo aliisve Scriptoribus, magna cura diligentiaque editis, invidebit jam felicitatem suam M. Fabius Quinctilianus, quando & ipse ea, summo studio recognitus emendatusque a Viro doctissimo, perfruitur. In fronte ostentat nomen illustrissimi Comitis Sunderlandiæ, Caroli, Baronis Spenceri de Wormleighton, præfectorum ærarii magnæ Britanniæ & sacri cubiculorum præpositorum Principis, cui librum veteris doctrinæ sapientiæque plenissimum jure quodam condiscipulatus sub celeberrimo Jo. Georg. Grævio magistro

gistro acti, Clarissimus Editor solenni dedicandi formula sacrum esse jussit. Dedicationem sequitur præfatio, quæ paucis de Quinctiliano & Institutionibus imprimis Oratoriis generatim, speciatim pluribus de labore in hac editione procuranda exantlato agit. Codicibus scriptis ab initio nullis, sed uno libro Cl. Almelovenii, qui quondam in Quinctiliano edendo desudavit, variis codicis antiqui lectionibus munito, instructus Vir doctissimus ad opus hoc accessit; sed post ex Academia Ultrajectina in Leidensem evocatus, repertos Leidæ in bibliotheca publica tres codices Vossianos, quanta licuit diligentia, contulit. Transmissis serius a celeberrimo Bernardo Montfalconio lectionibus Colbertini codicis a libro fere quarto cœpit uti: Bongarsiani lectiones, a doctissimo Georgio Altmanno ex Bibliotheca Bernensi suppeditatæ, sub calcem reperiuntur. Præterea quædam ex marginibus editionis Gryphianæ anni cIↄ Iↄ xxxvi, quæ inter Almelovenianos codices Bibliothecæ Ultrajectinæ numeratur, subsidio fuerunt, quæ omnia tamen ut sanandis tot corruptis Quinctiliani locis haud satis sint, ita optat Cl. Editor, ut viri docti codices passim adhuc latitantes excutiant, quo liber utilissimus nitori omni ex parte suo restituatur. Ejus generis est is, quem Domitius Calderinus Annot. div. Tom. I. Facis Criticæ p. 316 memorat, Gothanus, *Mediolanensis*, Vossianus, quatuor, ad quorum fidem Latinus Latinius Fabium emendare constituerat, Barthianus, aliique a Montfalconio supra laudato in Italia visi atque in Diario Italico percensiti. Ex his Gothanum nobis, id rogantibus, pro ea, quæ propria ei ac perpetua est, humanitate transmisit Vir Summe Reverendus, Ernestus Salomon Cyprianus, cui ut gratias propterea etiam publice agimus, ita paucis eum describere operæ pretium fore arbitramur. Nemo dubitaverit, admirabili eum studio, uti Summus Vir in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Gothanæ loquitur, confectum esse, qui sive splendorem literarum, quæ libros & capita inchoant, auro distinctarum variisque coloribus sæpe magna arte pictarum, sive ipsam scribendi rationem vetustiori seculo v. g. X & XI prorsus consentaneam consideraverit. Recentiorem eum tamen esse, perinde ac

ceteri,

ceteri, qui extant, fere omnes, utpote ex primo illo in sancti Galli cœnobio a Poggio reperto codice transcripti, tum membranæ recentes nimis, tum vero insignia Pii III Pontificis Romani, loquuntur, qui, Cardinalis adhuc, haud exiguis, ut videtur, sumtibus describi eum, descriptoque insignia sua præfigi jussit. Ceteroqui eum sæpe in alia omnia abire a ceteris codicibus collatis, sæpe & Vossiano secundo consentire deprehendimus. Ut rectius pateat, quid de eo sit habendum, Caput IV Lib. IX conferemus propediem, & si lectoribus studium probari nostrum intellexerimus, lectiones ejus observationibus nostris illustratas his ipsis Actis inserendas dabimus. Sed hactenus de Institutionibus oratoriis.

Iis subjunguntur declamationes, quibus non multum tribuit Clar. Burmannus, neque Quinctiliani eas, sed variorum Rhetorum & non unius ætatis esse cum viris doctis existimat. Nihilominus operam in iis recognoscendis suam desiderari haud passus, ut longiores imprimis declamationes emendatiores prodirent, quatuor codices Leidensis Bibliothecæ, excerpta codicis Joannis de Witt, Colbertinorum & S. Victoris codicum, ut & Gronoviani varias lectiones in subsidium vocavit, addiditque nunc primum excerpta Quinctiliani ex codice Vossianæ Bibliothecæ, ex quibus illis affundere plurimum lucis potuisset, si & temporis ei fuisset satis, neque Ovidii perpoliendi cura, animo ejus penitus defixa, ab labore eum hoc revocasset. Minores declamationes emendaturo nulli codices antiqui ad manum fuere. In universum autem præter scriptos codices & editos adhibuit præstantiores, e quibus præcipue laudat Gibsonianam Quinctiliani editionem, fassus, ab ea magnam laboris sui partem præceptam esse, se analecta & spicilegia tantum adjecisse. Satis jam multa de subsidiis ad textum potissimum spectantibus: de notis quoque, quibus libri moles cumprimis excrevit, brevibus est dicendum. Non uni illæ debentur autori, sed præstantissima & lectissima quæque ex libris omnibus editis, quos quidem nancisci licuit, complectuntur. Ex Raphaele Regio & Badio Ascensio decerpta sunt potissimum, in quibus antiquæ lectionis vestigia sese ostendunt. Pe-

tri Mosellani & Antonii Pini commentariis, quorum posterior tantum ad librum III pertinet, fusi nimis, in compendio velut exhibentur. Nec desunt præcipua ex Camerarii & Sichardi Scholiis; Turnebii notæ, quanquam eas viri tanti eruditione & fama indiguas censet Cl. Burmannus, ut & Philandri integræ comparent. Neque Parei observationes desiderantur, neque illustrationes, ut paucæ, ita præstantissimæ, Jo. Frid. Gronovii. His vero prout & Hackiana editio, quæ Leidæ prodiit, se quodammodo venditare jure potest, ita non pauca huic nova, quibus longe illam post se relinquit, accesserunt. Spectant huc Almeloveniana, quæ ab Henrico Sypensteinio, Doornensis in agro Trajectino ecclesiæ moderatore, accepta, quod suprema iis manus deerat, supervacuis omissis, contractis fusioribus, ita edidit nunc primus Cl. Burmannus, ut manes viri tanti editionem eorum dedignari nullo modo posse videantur. Huc pertinent observationes Gallæi, filii ejus, qui Sybillinorum carminum editione sibi famam peperit, Servati Gallæi, ex codice Almeloveniano descriptæ, & Petri Francii, quibus suas jam plurimas Clarissimus Vir admiscuit. In Declamationes notæ iis, quæ Institutiones oratorias illustrant, longe sunt pauciores. Ad majores, si quid Gryphæi, Colinæi, Vidovei & Pithœi editiones variarent, notatum est; ex Ascensio item excerpsit Editor, quæ discrepantes lectiones indicarent. Præterea Gronovianæ, jam editæ, & nondum publici juris factæ, magnoque nunc primum labore ex schedis inconditis erutæ, Joannis Schultingii notæ in utrasque Declamationes editionem hanc ornant. Minores vero & Calpurnianæ Pithœi etiam observationibus stipatæ exhibentur. Quæ omnia qui perpenderit secum diligentius, facile agnoscet, quantum Clarissimus Burmannus superiorum editorum, etiam Obrechti, viri ceteroqui summi & optime de Quinctiliano meriti, Carolique Rollini, qui optimo fortassis animo, sed, si rem recte æstimemus, præpostero consilio truncatum superioribus annis præstantissimum scriptorem emisit, laudes & præconia sit supergressus, nec vitio ei vertet, quod Dialogum de oratoribus prætermisit, quem minime a Quincti-

Quinctiliano profectum esse arbitratur, & non tantum editiones Taciti & nonnullæ Quinctiliani habent, sed & nuperrime Cl. Heumannus nova veste indutum in lucem produxit. Ceterum nec prætereundus tacite index editionum Quinctiliani de Institutione Oratoria & declamationum, quem præfationibus editorum & testimoniis de Quinctiliano subjecit Editor diligentissimus. Tot enim illæ, præsertim Institutionum, sunt, ut vel inde judicium de præstantia ejus libri, aurei profecto & nunquam satis commendandi, ferri possit. Superest, ut specimina quædam notarum Cl. Burmanni afferamus; sed cum satis multis jam de libro hoc actum videatur, & summa Viri eruditio nemini non persuadeat, lectissimas omnes & probatissimas esse, unam tantum alteramve producemus, in quibus nobis limatissimum ceteroqui judicium Cl. Editoris non penitus satisfecit. In Capite igitur X Lib. I ita præmissis aliis nonnullis Quinctilianus: *Verum quid ex ea* (sc. Musice) *proprie petat futurus orator, differamus. Numeros musice duplices habet, in vocibus & in corpore.* (Obiter hic notamus, hanc Aristoxeni, quem veteres in scientia Musices principem ponunt, quemque & Quinctilianus paulo post nominat, divisionem esse, qui, ut ex Censorino patet, Musicen esse contendit in voce & corporis motu.) *Utriusque enim rei aptus quidam motus desideratur. Vocis rationem Aristoxenus musicus dividit in ῥυθμὸν & μέλος ἔμμετρον, quorum alterum modulatione, alterum canore & sonis constat. Num igitur non hæc omnia oratori necessaria? Quorum unum ad gestum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis, qui sunt in agendo quoque plurimi, pertinet.* Hæc breviter dicta in sequentibus paulo pluribus verbis explicantur, quæ nemini obscura fore confidimus, quicunque diligentius paulo animum adverterit. *Numeros*, inquit Quinctilianus, *Musice duplices habet, in vocibus & in corpore.* Numeri hic generatim εὐρυθμίαν, decentem & aptum motum notant, quod manifeste docet ipse Quinctilianus, ubi numeros in corpore pluribus dilucidat. *Corporis quoque decens & aptus motus*, inquit, *qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius, nec aliunde peti potest, in quo pars actionis non minima consistit.* In

 genere

genere igitur, ex ſententia Quinctiliani, veteres Muſicos & præcipue Ariſtoxenum ſequentis, & vocis & corporis decens motus a ſtudioſo Muſices requiritur. Speciatim jam Quinctilianus vocis motum conſiderat, & præeunte rurſus Ariſtoxeno diſpertitur in ῥυθμὸν & μέλος ἔμμετρον. Huc pertinent verba: *Vocis rationem Ariſtoxenus muſicus dividit i. ῥ. e. μ. ε. quorum alterum modulatione, alterum canore ac ſonis conſtat.* Ῥυθμὸς quod modulationem reddit Fabius, reſpondet menſuræ vel tempori, μέλος ἔμμετρον ſonorum intervallis, ad quæ quidem duo tota Muſices ſcientia revocari commode poteſt. Sequitur jam, ut horum uſum atque applicationem in eloquentiæ ſtudio videamus. Num *igitur non hæc omnia oratori neceſſaria?* inquit optimus dicendi magiſter, *quorum unum ad geſtum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis, qui ſunt in agendo quoque plurimi, pertinet.* Unum docet ad geſtum pertinere, quo manifeſtum eſt reſpici ad partem alteram generalem muſices, quæ numeros in corpore habet, ut Quinctilianus loquitur, h. e. ad eam, quæ, quinam habitus corporis deceat canentem, monſtrat, quæque adeo haud dubie geſtui oratoris inſervit, apto itidem & convenienti corporis motu conſtanti. Alterum ad collocationem verborum pertinet ex mente Quinctiliani, atque id manifeſte eſt ῥυθμὸς ſpeciatim dictus, modulatio, h. e. temporum brevium longorumque mixtura, qualis & in collocatione verborum, quæ numerus dicitur oratorius, obſervatur. Tertium nempe μέλος ἔμμετρον, quod canore ac ſonis conſtare ait, ad flexus vocis refert Fabius, quos non ignarus, quam ingrata auribus accidat μονοτονία, in agendo quoque plurimos eſſe oſtendit. Atque iſta jam uberius exponit in ſequentibus, ita ut primo alterum ac tertium, deinde & primum plurimum ſubſidii afferre oratori demonſtret. Hoc pacto ſenſum Fabio ſuum planiſſime conſtare, arbitramur, neque adeo mirari ſatis poſſumus, qui impetrare a ſe potuerit Cl. Burmannus, ut audaciſſimæ Galæi conjecturæ ad hunc locum adſtipularetur non tantum, ſed & verba ipſa optimo ordine collocata transponenda crederet. Ita enim ille poſt aliorum nonnullorum annotationes, & va-

varias lectiones mirum in modum cumulatas: Gallæus volebat, *ῥυθμὸν & μέτρον & μέλος ἔμμετρον*, & illa QUORUM ALTERUM MODULATIONE &c. *additamentum credebat autoris menti repugnans. neque extra veri speciem. praeterea his Græcis vocibus subjungere mallem illa*, QUORUM UNUM AD GESTUM &c. PERTINET, & *hinc illa* NUM IGITUR NON HÆC OMNIA ORATORI NECESSARIA. NISI FORTE &c. *subjicere. Ita suus Fabio sensus constabit planissime.* Qua tandem veri specie receptam codicum præstantissimorum lectionem cum Gallæo expungit Vir doctissimus, cum neque verior suppetat, neque causa ulla sit eam in suspicionem vocandi, &, quod palmarium est, verba sequentia, *quorum alterum modulatione &c.* prorsus requirant eam & flagitent? At hæc ipsa invidioso additamenti nomine cum Gallæo proscribit Cl. Burmannus. Quid ita vero? Hæccine illa quam Vir eruditissimus ubique præ se fert, religio veteres libros tractandi, hæccine illa sollicitudo cavendi, ne quid præter codicum scriptorum fidem temere in illis mutetur. Nulla illa profecto est, si ejicienti hæc verba Gallæo sine ratione tam facile assentitur, neque ea re contentus, etiam verba transponit, &, quæ præcedunt, subjungit sequentibus, ne quod omnino tormentorum genus locus hic effugiat. Et Gallæum quidem verba, *quorum unum ad gestum, alterum* &c. in errorem induxerunt, qui cum cerneret, tria hic commemorari, oblitus generalis Musices divisionis, ad verba tantum, quibus prioris Musices partis duo capita commemorantur, respexit, ac non tantum ipsa mutavit, sed & sequentia, ne emendationi obstarent, e medio sustulit. Sed Gallæum errantem quo pacto sequi potuerit Clar. Burmannus, non satis intelligimus, imprimis, cum in præfatione moneat, sibi eum licentius grassari visum esse. In eodem capite locus est: *Quamvis autem satis jam ex ipsis, quibus sum modo usus exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi & quatenus Musice placeat, apertius tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in scenis effeminata & impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quod in nobis virilis roboris manebat, excidit: sed qua laudes fortium canebantur, quaque & ipsi fortes canebant, nec psalteria*

&

& ſpadicas, etiam virginibus probis recuſanda: ſed cognitionem rationis, quæ ad movendos leniendosque affectus plurimum valent. Hic locus, ſi diſtinctionum notæ paululum mutentur, ſi quis alius ſanus, ita a Raphaele Regio in poſtrema ſui parte pervertitur: *Ha. Pſalteria & Sambuca etiam virginibus probis recuſanda, quæ ſecundum cognitionem rationis ad movendos leniendosque affectus plurimum valet.* Qua quidem emendatione, vel deformatione potius loci integerrimi quid cogitari poteſt audacius? Philander vocem ſpadicas, qua inſtrumentum, quod pulſatur, notari Pollux obſervat, retinuit, ſed nihilominus *nec* in *nam* & *ſpadicas* in *ſpadices* mutat, & ὡς ἐν παρόδῳ legit (*Nam Pſalteria & ſpadices etiam virginibus probis recuſanda*). Cl. Burmannus huic emendationi nihil addit, unde erunt fortaſſe, qui hoc ipſo ſilentio adducti hunc locum minus recte ei intellectum fuiſſe ſuſpicabuntur. Nos ei dicam propterea nullam ſcribendam putamus, (quis enim tam lynceus, ut omnia perperam ab aliis dicta pervideat) contendimus tamen, locum eum & ſanum eſſe & facilem intellectu, ſi poſt vocem *canebant*, majorem aliquam diſtinctionis notam adſcribas, & ſequentia verba: *nec pſalteria & ſpadicas* referas ad præcedentia: *non hanc a me præcipi*, ac denique *profitendum puto*, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum eſſe cogites. Nempe non pſalteria & ſpadicas præcipit Quinctilianus, ſed cognitionem rationis, quæ ad movendos leniendosque affectus plurimum valet, uti ipſa oppoſitio, ſimilis illi, quæ in prioribus occurrit, lectionem receptam defendit ſatis ac tuetur. Accedat tertius ex eodem capite locus: *Chryſippus etiam nutricum, quæ adhibentur infantibus allectationi, ſuum quoddam carmen aſſignat.* Conjecerat hic Gebhardus, ablactationi legendum eſſe, quod in codice quodam *allactationi*, in altero *allectioni* inveniſſet. Subjicit Cl. Burmannus: *Si autoritas adeſſet, reciperem libenter illud ABLACTATIONI, modo ABLACTATIONE ſcriberetur, id eſt tempore ablactationis, quo maxime queruli ſunt infantes. Vel INFANTIUM ABLACTATIONI ſcribendum eſſet.* Cur vero libenter reciperet vocem Vir doctiſſimus, quæ vix recepta novis mutationibus occaſionem, primo ex dandi caſu caſum auferendi, deinde

inde & ex *infantibus infantium* refingendi. Quodsi insuper rem ipsam spectemus, satisne credibile est, Chrysippum in libro suo de liberorum educatione, qui haud dubie designatur, tantum ablactationi, vel ablactationis tempore nutricibus carmen assignasse, non in universum allectationi qua infantium animos nutrices delinebant. Nam certe non infantibus tantum recens lacte depulsis canunt nutrices, sed aliis, flentibus imprimis aut somno indigentibus. Retinenda igitur & hic vulgata lectio, sed paulo aliter interpungenda, ut sensus clarior reddatur. Nempe quod vocem *allectationi* sequitur comma, ei præmittendum est, atque ita nihil aliud velle Quinctilianum videbimus, quam Chrysippum nutricum, quas moris est infantibus adhibere, allectationi, ad irrequietas eorum mentes componendas adhiberi solitæ, peculiare carmen assignasse.

JOANNIS ERHARDI KAPPII OBSERVATIO in P. QUETIFII & P. ECHARDI Scriptores Ordinis Prædicatorum.

R. P. *Echardum* omnibus eruditis integrum de hoc opere judicium relinquere, eorumque emendationes maximopere exoptare, supra Mense Aprili p. 157 indicavi. Qua ergo libertate judicandi omnibus concessa si in præsenti utar, æqui bonique id consulturum Virum eruditissimum certus confido. Quum autem ita censeat p. 764 R. P. *Echardus*, in omnibus aliquid laudandum, aliquid etiam in omnibus reprehendendum, ego quoque quid in Scriptoribus his Dominicanis laudandum, quidve reprehendendum esse videatur, brevi hac observatione exponam. Laudo igitur denuo egregium & ab omnibus, quibus scientiarum incrementa curæ cordique sunt, probandum institutum horum S. Dominici alumnorum, quo historiam Dominicanorum literariam ab erroribus & fabulis, quibus conspurcata fuit, liberare, & quam emendatissimam atque accuratissimam exhibere aggressi sunt. Laudandus & omnino utriusque pertinax labor, quem in tot Bibliothecis perlustrandis, tot co-

codicibus & manu exaratis & typis impressis evolvendis, tot aliis libris, annalibus, historiis, catalogis perlegendis hujus operis gratia exantlarunt. Laudanda ipsorum in rebus dubiis diluendis, chronologia vitarum & scriptorum statuenda, codicibus MSS. & libris speciatim citandis, editionibus variis operumque translationibus recensendis, singularis ἀκρίβεια. Laudandum inprimis veritatis studium, quod in rejiciendis fabulis, quibus ipsos Dominicanos & extraneos Dominicanorum vitas contaminasse & dehonestasse R. P. *Echardus* in vita *Alberti M.* p. 162 conqueritur, adhibuisse quidem gloriantur, nec mihi tamen nec aliis ubique persuadebunt.

Sed ne alterius quoque moniti ab Echardo subministrati oblivisci videar, non possum non reprehendere istam Protestantibus, speciatim, Lutheranis insultandi libidinem, quam in hoc Tomo aliquoties prodiderunt Autores, quo tamen, Lutheri quippe reformationem nondum attingente, commodam ipsis occasionem calumniandi fere defuisse existimari posset, ut nondum adeo Dominicani immane, quo per ducentos annos in B. Lutherum flagrarunt, odium deposuerint. Nec minus reprehendendum est in hoc opere Germanos subinde pungendi studium, ut cum merito a *Nicolao Antonio* Bibliotheca Hisp. Vet. *Romæ 1696* edita T. II p. 48 *Danielem Keyserum*, Jurisconsultum Germanum, risui expositum esse p. 110 putant, quod in historia juris civilis, feudalis & canonici, Coburgi 1663 in 4 publicata, p. 27 sibi finxerit, *Raimundum de Pennaforti* eum esse Doctorem Parisiensem, qui e feretro caput extollens MLXXXI S. Brunonis confessioni ansam dedit, ut alia nunc taceamus. At quo jure Dominicani nostri hunc Germanum Jureconsultum, scriptorem historiæ juris ignobilem, in argumento ad Dominicanorum historiam spectante ridere potuerunt, eodem & Germani, Autorum Gallorum in rebus Germanicis erroribus animadversis, habebunt forte, quod rideant. Quis nonnisi in Geographia Germaniæ plane hospes urbem *Lauingam* ita describet: „ Urbs est „Thuringiæ clara Lauinga Latinis, Laugingen (vel Lauingen) in-„colis vernacule dicta, ad Danubii ripam sita, vix una leuca su-„pra Dilingam, Ulmam vero inter in occasum Vertamque sive

Do-

„Donavertam, media in ditione Ducis Neoburgensis? quæ quidem descriptio in vita Alberti M. Lauingæ videlicet nati p. 162 totidem verbis habetur. Quis e contraria parte *Erphordiam*, principem Thuringiæ urbem, in Saxonia quæret? quod a Nostris p. 368 factum est. Quis *Halam* ad Salam fluvium inter Torgam & Lipsiam sitam esse affirmabit? quod hic p. 384 in vita Henrici de Hallis affirmatur. Sed & alia occurrunt animadversione digna. Scripserat *Anonymus* in Centuria Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, præsertim Lipsiensi, Wittenbergensi, Francofordiana ad Oderam, Academiis floruerunt, a *Joach. Joan. Madero* Helmest. 1660 ed. n. XLIII: JOHANNES KUNE D. *Prædicatorum* ordinis Professus &c. Hic R. P. *Echardus* D. illud ultimam nominis autoris literam esse arbitratus, nobis *Joannem Kuned* cum in opere ipso p. 821, tum in indice alphabetico & cognominum exhibuit. Taceo alia leviora sphalmata & παροράματα, quæ in nominibus auctorum & urbium irrepserunt. E. g. p. 2. allegatur *Gerardus Vossius* de Histor. Lat. de quibus tamen Gerardum Joannis Vossium, non Gerardum, quo nomine duo alii Vossii, Præpositus nimirum Tungrensis, & unus ex filiis Gerardi Joannis insigniuntur, scripsisse inter omnes constat. P. 89 *Coccejus* Thesaur. Lib. III citatur, cujus tamen Autor non Coccejus Reformatus Theologus, sed *Jodocus Coccius* est e Societate Jesu. P. 110 *Keyseri* Historia Juris supra adducta *Colburgi* 1603 edita perhibetur, cum Coburgi scribendum esset. P. 290 Quodlibeta S. Thomæ typis quoque prodiisse dicuntur Noribergæ Andreæ *Frisnes*, 1474, at nomen typographi est *Frisner*, nec is solus Quodlibeta hæc impressit, uti ex titulo apparet, quem ex *Jo. de la Caille* Historia Typographiæ gallice edita p 28 huc transcribam: Tho. Aquin. QUODLIBITA per Andream FRISNER, de Wunsidel: & Joh. Senfenschmid, fol. Noriberg. 1474. P. 774 *Susatum* Westphaliæ oppidum vulgo *Sœz* vel *Zœt* appellari dicitur, quod potius *Sœst* vernacula nuncupamus. P. 783 in vita *Hermanni Corneri* verba nonnulla Meibomii affert *Echardus* ex vindiciis Billinganis (non Bisillingan. uti l. c.) & ea, quæ laudem Corneri minuere possent, (non dubito quin seducti sint Munsterus & Pantaleon

 ab

ab Hermanno Cornero) omittit, atque citatum a Meibomio Hieronymum *Henningesium*, celeberrimum Genealogiarum scriptorem, in *Kenningesium* transformat. P. 847 Nova Literaria Helvetica a Jo. Jacobo *Scheuchero* collecta adducuntur, quæ celeberrimo Scheuchzero debentur. Taceo plura ejusmodi sphalmata, quæ typorum forte dixeris; quanquam ea quæ adduxi, in erratis typorum huic Tomo subjunctis emendata neutiquam fuerint. Nec ego annotassem illa, nisi precibus Autorum, quibus emendationes errorum omnium totis præcordiis exoptarunt, ut ipsi aliorum sphalmata p. 248, 510, 546 atque alibi diligenter annotarunt, dandum aliquid fuisset. Id adhuc monendum, R. P. *Echardum* in ea quoque esse sententia p. 377, quasi *Jo. Ernestus Grabius* sub finem vitæ ad Ecclesiam Romanam transierit. Enimvero id a Celeb. D. *Pfaffio* in Præfat. Liturgiæ Grabii p. 500 satis superque fuit confutatum.

Sed nunc Supplementa quoque nonnulla ad primum hunc Bibliothecæ Dominicanæ Tomum communicabimus. De *Martino Drencigio*, qui plane omissus, audire juvabit *Georg. Fabricium* Annal. Misniæ L. II p. 66 ad annum 1463: „Pestis passim grassa„tur. - - Lipsiæ a mense Augusto usque ad Octobr. monachi Do„minicani in Paulino novem & viginti obeunt. Memorabile est, „quod inter eos accidit Martino Drencigio, qui diem horam„que obitus sui prævidit. Cui cum Præfectus cœnobii diceret: „Quid est, Martine, quo speras Deum habere te prospitium? „Ille ait; Non cognovi literaturam *a*) quia nimis indoctus sum: „sed aliis psallentibus solitus sum aliquam partem passionis & „mortis Christi meditari, & gratias illi pro munere & merito „redemtionis agere: cujus memorabor justitiæ solius. *b*) Mi„ratus pietatem hominis Archimandrita oratione confirmavit &

a) Verba sunt Ps. 72 [al. 71] v. 15 juxta vulgatam versionem.
b) Repetita & hæc sunt verba e dicti Psalmi v. 16 vid. B. Jac. Thomasii Præfationes Lipsiæ 1681 in 8 editas, p. 561 seq. ubi jure quodam hic Drencigius inter testes veritatis numeratur.

„& sperare jussit optime, quia recordaretur justitiæ Domini solius.„ Huic succedat *Henricus Sletstater*, Rudolphi Episcopi Wratislaviensis in negotio indulgentiarum contra Hussitas Subcommissarius, cujus Diploma MCCCCLXX die 15 Mens. Februarii subscriptum, ex MSto impressum, Actis & Documentis Reformationis a Magnifico *Læschero* nuper editis p. 364 insertum est. Hunc excipiant nonnulli eruditi Dominicani Lipsienses, a Monacho Pirnensi M. Joan. Lindnero in Onomastico MS. recensiti, cujus verba Germanica Cl. *Jo. Jacobus Vogelius* in vita *Joannis Tezelii* p. 44 exhibuit, Latine ita reddenda: „Monasterium Paulinum multos eruditos Doctores piosque vi„ros habuit, *Ludolphum* nimirum *Priorem*, *D. Joannem Cuno*„*nem* 1444, *L. Ulricum Schmidtium*, Reformatorem multo„rum monasteriorum, 1478, *D. Joh. Breslauerum*, 1475, *D. Ni*„*colaum Bayerum*, 1480, Provincialem Hamburgi, *D. Hiero*„*nymum Wonsidelensem*, (cognomine Friessnerum) 1497 mor„tuum, *D. Georgium de Frickenhausen*, cognomento *Orterum*, „*Bartholomæum de Constat*, Wallenfelserum (qui, ut laudatus „*Vogelius* l.c. observat, Conradi nomine insignitus 1461, albo A„cademiæ insertus 1463, Baccalaureus & 1466 Magister Lipsien„sis factus est) *Georgium Damis* (seu potius *Dottamium*). Ex his vitæ primi, ni fallor, secundi, quarti & septimi in Scriptoribus his Dominicanis inveniuntur, reliquorum autem nulla habetur mentio. Et tria quidem Epitaphia, unum *Friesneri*, alterum *Bayeri*, & tertium *Bartholomai De Stat* lapidibus sepulchralibus ædis ad D. Pauli inscripta, M. Salomo Stepnerus Inscriptionibus suis Lipsiensibus 1675 in 4 editis p. 82 inseruit. Cum vero inscriptiones has unicuique inspicere haud liceat, en ipsa verba, prout in lapidibus hodienum exstant: „Anno dni MCCCC „XCVII in die scti Galli obyt Rndꝫ pr fr Iheronimus de „Wunsidel Sacre Theologie professor. Altera *Beyeri* ita habet: „Anno dni 1505 die 26 mes. augusti obyt Rndus pr „fr Nicolaus beyer Sacre Theologie - - - - - - - - „- - - inquisitor. Quondam Provincialis Saxonie.„ Forsan voces in lapide vetustate exesæ ita restitui possunt: Professor & heretice pravitatis &c. Tertia *De Stat* sic legitur: „Anno

„no M CCCC LXXIX in die sċti Galli obyt Reuerēd⁹ pr̄ fr̄
„Bartholomeus de Stat Sacre Pagine professor. Honorifica quoque *Frisneri* & *Beyeri* fit mentio in Bulla illa membranacea Romæ M CCCC LXXXIV d. 10 mens. Octob. data & a decem Cardinalibus subscripta, quam Collegium Paulinum per primarios suos *Frisnerum* & *Beyerum* tunc impetrarat, ut fraternitas Rosarii B. Mariæ Virginis in hac urbe erecta confimaretur. Audi verba ipsius Bullæ, quæ in Paulina adhuc extat & a B. *L. Joachimo Fellero* Orationi de Bibliotheca hac 1676 habitæ subjuncta est: „Dilectorum nobis & in Christo venerabilium & „religiosorum virorum fratrum Nicolai Beyer Provincialis pro„vinciæ Saxoniæ, & Hieronymi Frisuer, Magistrorum in Theo„logia & dicti ordinis Professorum, super hoc humiliter suppli„cantium, petitionibus inclinati &c. Fortassis ea, quæ de *Nicolao Beyero* hic attuli, R. P. *Echardo* in Tom. II proderunt, cujus vita ad annum 1505 ipsi emortualem erit referenda. Sed & alia quædam in ipsis vitis Dominicanorum addenda esse arbitror. P. XXVI in indice Episcoporum adducitur: *Nicolaus Meysen Ep. Lubecensis datus per papam anno 1378. Sic Bucelinus. Hic videtur qui a nostris Millina agnominatus & quem referunt ad 1385.* De hoc lege utique laudatum *Fabricium* in Lib. II Annal. Misn. ad annum 1381. p. 54, cum quo confer *Zachariam* Schneiderum Chron. Lipsiensi p. 153. P. 109 omissæ sunt binæ editiones summulæ Raimundi, quarum unam cum casibus reservatis metro inclusis Coloniæ 1508 in gratiam sacerdotum prodiisse, alteram cura *Joh. Chappii* V. I. Professoris Parisiis 1516, cum suo commentario, sine casibus tamen reservatis, repetitam esse, Celeb. *Hardtius* in præf. Tomi II Autographorum Lutheri & Coætaneorum p. 28 affirmat. P. 111-113 in vita *Joannis a Wildeshusen* addi potest ejus Epitaphium, quod Argentorati in odeo Prædicatorum & apud *D. Jo. Schilterum* in notis ad *Jacobi de Königshoven Chronicon Alsaticum & Argentoratense* p 1120 exstat. P. 271-317 luculentissima *Thomæ de Aquino* vita habetur, in qua tamen nulla mentio libri, cujus titulus: „*Joannis Georgii Dorschei*, Argentoratensis, D. Thomas Aqui„nas, dictus Doctor Angelicus, exhibitus Confessor veritatis

Evan-

„Evangelicæ Augustana Confessione repetitæ, juxta seriem controversiarum Tomis IV. R. Bellarmini Cardinalis examinatus. Ff. 1656 in 4. Hunc a *Thoma Leonardo* Prof. Lovaniensi impugnatum defendit *Antonius Reiserus* in Vindiciis Evangelico-Thomisticis, Ulmæ 1669, 4. P. 370 vindicat R. P. *Echardus* Martinum Polonum a censura Bellarmini, qui Martinum ceu virum simplicem despicit, ut qui fabellas pro historiis obtrudat. Agnovit jam antea hujus censuræ iniquitatem *Wagenseilius* in Exerc. de Romanis Pontificibus Germanorum gente creatis. P. 480 inter dubios S. Dominici alumnos recenset Guilielmum Duranti, celeberrimum illum Speculi Juris & Rationalis divinorum officiorum scriptorem, ubi inter conditores vitæ Duranti omissus fuit *Fr. Dominicus Antonius Gandolfus*, qui in dissert. de ducentis celeberrimis Augustinianis Scriptoribus &c. p. 149 - 153 vitam hujus prolixe contexuit. P. 523 in vita *Henrici de Arimino* enumerantur codices MSS. tractatus ejus de quatuor virtutibus moralibus, sed ignoravit *Echardus*, hunc ipsum tractatum typis prodiisse hac epigraphe: „Incipit tractatus de IV Virtutibus „Cardinalibus editus & expositus ad cives Venetos per fratrem „HEINRICUM ARIMINENSEM. Finit ita: Tractatus „pulcherrimus de IV Virt. Card. per Fr. Heinr. Arimin. ad Ve„netos editus, totam fere Philosophiam moralem complectens, „una cum exemplis & historiis tam ex divinarum quam human. „scripturarum auctoribus sumtis, ad conficiendum ARENGAS „(ita medio ævo vocabant conciones vid. Du Fresne Gloss.) col„lationes & sermones. *Arte impressoria Argentine artificiose effigiatus*: fel. expl.„ Præfixa sunt operi duo folia membranacea scripta similibus characteribus, quibus opus impressum, in iis Thom. Dorniberch de Meminghen Sacr. Canonum & Art. Liber. Doctor scribit: „Completa est hæc tabula remissoria (quæ præ„missa) per me Th. D de anno 1472 ipsa die S. Martini Papæ.„ Testatur id *Jo. Ludolph. Bunemannus* in dissert. *de Bibliothecis Mindensibus Antiquis & Novis*, 1719 edita, litt. C. 2. P. 610 observandum est, de *Conrado de Halberstad* egisse quoque in *Triumviris Helmstadiensibus* summe venerabilem Abbatem *Jo. Andream Schmidium*, in quibus geminum tractatum

Conradi

Conradi in manuſcriptis poſſideri, a Viro celeberr. p. 38 aſſeveratur, quorum alter id in fronte gerit rubrum: *Conſolatorium mæſtorum compilatum a fratre* Conrado de Halberſtad, ordinis fratrum Dominicanorum; alter autem: de proſperitate malorum, quomodo proſperentur & innocentes premantur & affligantur. Brevi deinde analyſi argumentorum utriusque tractatus inſtituta, utrumque libellum de *Conradi* probitate, diligenti ſcriptorum tam profanorum quam ſacrorum lectione & circumſpecta contemplatione affatim teſtari, & typis non indignum eſſe judicatur. Animadvertit quoque ex poſteriori tractatu, *Conradum* hunc noſtrum hiſtoriam de Cherberti, poſt exaltationem papalem Sylveſtri II nomen adepti, fœdere cum diabolo inito, (de quo *Jacobum Uſſerium* in libro de Chriſtianarum Eccleſiarum ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram ætatem ſucceſſione & ſtatu Cap. III §. 15 ad 22 p. 84 ſeqq. erudite diſputaſſe ibidem docetur) intrepide enarrare, & quaſi nihil ſubſit falſi aperte pronunciare, adeo ut inique cum Proteſtantibus agant Pontificii, dum illos, quando hanc aliasque ſimiles hiſtorias de Pontificum quorundam facinoribus nefandis proferunt, majeſtatis Papalis, ſi Diis placet, reos poſtulant. Præter hæc adducta ſcripta doctum adhuc aliud manuſcriptum aſſervare Bibliothecam Guelpherbytanam, Summe venerabilis Abbas l. c. indicat, quod a *Conrado* hoc elucubratum, & cujus inſcriptio ita ſeſe habet: „*Reſponſorium curioſorum ſive tractatus* „*menſæ philoſophiæ.* De quo libro plura vide apud Schmidium l. c. P. 631 in recenſione editionum tractatus, qui ſub titulo: *Philobiblon* & ſub nomine *Richardi de Buri* Epiſcopi Dunelmenſis editus eſt, ſed *Roberto Holkot* debetur, (uti quoque ex *Lelandi Collectaneis de Rebus Britannicis* P. II Append. p. 299 in his Actis menſe Martio A. 1717 relatum fuit) omittuntur tres editiones, quarum una ex Bibliotheca *Goldaſti*, altera cum præfatione *Conringii* Philologicarum Epiſtolarum centuriæ ab ipſo editæ ſubjuncta, tertia primæ Collectionis *Maderiano-Schmidianæ* Acceſſioni de Bibliothecis præmiſſa p. 1-66. exhibetur. Ad vitam *Henrici de Hervordia* p. 665 ſq. obſervo, de hoc Cl. *Bunemannum* in diſſ. 1 *de doctis Weſtphalis* egiſſe, ibique *Tritbemii*, *Simleri*, *Voſſii* & *Lexici Univerſalis Hiſtorici* in

Hen-

Henrico de Hervordia Westphalo cum *Henr. de Erfordia* Thuringo permutato notasse. Idem in differt. supra citata de Bibliothecis Mindensibus, Cl. *Reimannum* in hujus vita etiam a via abductum demonstrat, & elogium, quo *Nicolaus Schaten* in *Annal. Paderb.* ad an. 1370 fol. 381 hunc Henricum extollit, memorat, ubi inter alia ceu sacerdos religione & doctrina inter suos ea tempestate celebris laudatur. *Conringium* hujus Henrici Chronicon in MSto possedisse, testis est ejus Epistola ad *Furstenbergium* p. 15; sed postea deperditum illud esse, Cl. *Joachimus Fridericus Fellerus* in Monumentis ineditis p. 40 animadvertit. P. 677-679 vita *Jo. Tauleri* ad annum 1379 extat, ad quam annotare licebit, eam ex Cl. *Georgii Frider. Heupelii* dissertatione, qua memoriam Joh. Tauleri instauratam Witteb. 1688 exhibuit, Anonymi historia Tauleri Germanice scripta & Luneburgi 1689 in 8 impressa, una cum figura aenea cenotaphium ejus Argentoratense repraesentante, *Gothofredi Arnoldi* Historica descriptione Theologiae Mysticae, Lipsiae 1702 edita, p. 299-305, *Joh. Gottfridi Olearii* Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum, Jenae 1711 cum praef. Celeb. *Buddei* publicata, p. 184, aliisque & augeri & emendari posse. Adjungo iis supra laudatum *D. Joannem Schilterum*, qui in doctissimis notis ad Königshovenii Chronicon Alsaticum & Argentoratense & quidem in append. p. 1119 Epitaphium & alia de Taulero adducit, e quibus patet, Taulerum non A. 1379, quod viri graves Argentinae 1714 degentes Nostro persuaserant, sed d. 16 Jun. 1361, ut recte Spondanus tradiderat, obiisse. P. 727 in vita *Jacobi Januensis* omissa est ipsius Legenda aurea, quae nunc prae se fert titulum: „Legenda aurea Jacobi Januensis ex „Ord. Praed. pulchre transcripta per Martin. Crants, Udalr. Ge-„ring & Mich. Friburger impressoriae Artis magistros, fol. Par. *Chevillerius* p. 69 eam in annum 1476 conjicit, licet annus non exprimatur. P. 750 *Hermanni de Lerbecke* Chronicon Comitum Schaumburgensium, a *Meibomio* editum, recensetur; sed praeter illud consignavit quoque *Chronicon Episcoporum Mindensium*, quod usque ad Ottonem Episcopum, qui obiit A. D. 1398, produxerat. Edidit illud *God. Guil. Leibnitius* ex MS.

T. II Script. Brunſuic. p. 157-211, cujus quoque introductio conferri meretur. Fuit & aliud MS. Lerbeccii in Bibliotheca Cathedrali Mindenſi adhuc A. cIↄ Iↄcxxxvi, ſed inter deperdita nuper relatum a Cl. *Bunemanno* in diſſertatione de Bibliothecis Mindenſibus ſupra citata his verbis: „Denique (15) *Hermannus Lerbeccius*, MSS. adſcriptum Catalogo ab eadem manu: *eſt rudi ſtilo incorrectus.* Dolendum hoc præſertim MS. „intercidiſſe. Licet enim ex antiquis privilegiis, quibus Lerbeccius ſe olim uſum teſtatur, & ipſis originalibus literis quam „plurimis haud pauca Lerbeccii loca corrupta reſtituere poſ„ſim, tamen hic liber MS. multum potuiſſet adjuvare, atque „ego eo minus hunc laborem ſubterfugerem, quod Herm. Lerbeccius frater ordinis Prædicatorum domus Mindenſis in mo„naſterio Dominicanorum olim vixit, quod nunc in Gymna„ſium & Rectoris ædes eſt mutatum. P. 783 in vita *Hermanni Corneri* latuit R. P. *Echardum*, *Leibnitium* Scriptor. Brunſuicenſ. T. II n. XLVI p. 743-751 *loca* in *Hermanni Corneri* Chronico inedito ex Helmoldo vel Arnoldo citata, quæ tamen apud eosdem, quales extant, vel plane non vel aliter leguntur, edidiſſe atque T. III n. V. p. 199-202 *Excerpta Chronici* ejusdem ab anno Domini 1371 ad A. D. 1435, ad urbem Luneburgicam pertinentia, cum continuatione ad A. D. 1466 dialecto *Saxonica* exhibuiſſe. In utraque introductione his excerptis præmiſſa varia annotavit *Leibnitius*, quæ ſi legiſſet *Echardus*, luculentiorem Corneri ejusque Chronici notitiam dediſſet. Exhibuit præterea ex dicti Corneri Chronico ea potiſſimum loca, quæ ex Chronographo quodam inedito *Eggardo* delibavit, & quæ in collectione Script. Brunſu. Leibnitiana non reperiuntur, Cl. *Joach. Frid. Fellerus*, cum notis, Monumentorum Ineditorum Trimeſtri III p. 141-178. Egit quoque de Hermanni noſtri Chronico, quod Lubecæ etiam adſervatur, hoc ipſo anno Cl. *Jo. Henr. von Seelen* Select. Literar. Specim. III, in quo varia ab aliis nondum obſervata occurrunt. P. 793 in recenſione ſcriptorum *Johannis Nyderi* video Cl. Autoribus non innotuiſſe, quod Cel. *Hardtius* ex Formicario Nyderi libros quinque, qui de viſionibus ac revelationibus agunt, Helmſtadii 1692 in 8 ediderit.

ediderit. In præfatione laudatus *Hardtius* Nyderum Suevum, Isna oriundum, summis laudibus extolit atque Dispositorium moriendi, quod inter tractatus Nyderi, qui prælum nondum subierunt, a scriptoribus Dominicanis refertur, in 4 impressum in Bibliotheca Serenissimi Principis RUDOLPHI AUGUSTI fuisse, animadvertit. Observo autem & ex hac Bibliotheca Dominicana, Nyderi libros tres de reformatione religiosorum seu status cœnobitici (cujus libri geminum exemplar MS. unum in Fol. scriptum A. 1473 & alterum in 4 in Bibliotheca Julia asservari *Hardtius* & in hac præf. & in præf. T. III Autographorum Lutheri & Coætaneorum docuerat) ab Hardtio inter MS numeratos, & in cit. præf. Autographorum summatim recensitos, jamdudum typis prodiisse, & Parisiis in 8, 1512 typis Joan. Petit, & Antwerp. 1611, 8 ex Offic. Plantiniana, cura *F. Joannis Nys*. P. 828 in vita *Jo. Cunonis* (quem Kuned appellari ab *Echardo* supra notavi) addi possunt varia ex Fabricii Annalibus Misn. Lib. II ad A. 1437 p. 61 & A. 1444 p. 63. Refert & hunc inter testes veritatis *Jacobus Thomasius* in Præfationibus p. 556 sq. ubi & p. 560 existimat, verisimile esse, inter causas, cur *Cuno* Basileensi Concilio non subscripserit, hanc etiam fuisse, ne videretur figmentum de miraculo Welsnacensi ab isto Concilio confirmatum approbare. P. 845 recte suspicantur Autores horum scriptorum, *Olearium* in *Abaco Patrologico* delusum esse, quum dixerit, exemplum Sermonum aureorum de Sanctis *F. Leonardi de Utino* in Bibliotheca Hlensi anno a 1446 impressum esse. Olearium enim annum, quo compilati sunt hi sermones, pro anno, quo e prælo prodierunt, accepisse, subscriptio, quæ in fine horum Sermonum deprehenditur, docet. Ipsemet hos Sermones nuper Halæ inspexi & in fine libri adjecta descripsi, quæ ita sese habent: „Expliciunt sermões aurei de sanctis per totũ annum quos „compilauit mgr leonardus de Utino sacre theologie doctor „ordinis fratrum predicator. Ad instanciam & complacenciam magnifice communitatis Utinensis, ac nobilium virorum „eiusdem. M CCCC· XLVI in vigilia btissimi p̃ris nostri Dominici ꝯfessoris. Ad laudeȝ & gl'aȝ dei omnipotentis & tocius curie triumphantis.„ Convenit hæc subscriptio exacte cum

illa, quam nuper in Annalibus Typographicis *Michael Maittaire* p. 25 exhibuit, nisi quod apud eum loco vocis *communitatis* vox *civitatis* l. c. legatur. Undè emendari poterunt, quæ Clar. *Lilienthalius* in *Selectis Hist. Liter.* observ. X, & Cl. *Bunemannus* in dissert. de Bibliothecis Mindens. de opere silo tradiderunt. P. 883 ad vitam *Georgii Orteri* a patria *Frickenhausensis* seu *de Frickenhausen* dicti, varia addi possent. Ex Fabricii Annalibus Misnensibus p. 78 constat, Johannem de Salhusia Episcopum Misnensem, Georgium Frichenhusium Dominicanum Lipsiensem contra bullam de esu butyri concionantem defendisse, & pro eo contra Canonicos Fribergios liberam tulisse sententiam." De qua controversia ut plenius constet R. P. *Echardo*, ea quæ ex *Andreæ Molleri* Chronico Fribergensi P. II p. 139 Illustris *Seckendorffius* in *Histor. Lutheranismi*, (quam ad alterum Bibliothecæ hujus Tomum conficiendum Cl. Autor cum fructu conferet) fol. 13 prolixe tradidit, evolvat. Quod ad ejusdem *Ge. de Frickenhausen* controversiam de immaculata conceptione Beatæ Mariæ Virginis attinet, referunt quidem illam Autores scriptorum horum Dominicanorum ex *Alva Sol. Verit. Radic.* sed præterquam quod Alva Frickenhusii adversarium *Sebastianum Titium Brant* fuisse, falso tradat, qui *Johannes Breitenbach* fuit, nec omnia hic scripta in hac controversia tunc publicata enarrantur. Ut ordine procedamus, prodiit primum: *Disputatio brevissima de immaculata conceptione virginis gloriose. In florentissimo studio Liptzensi. Die martis post festum sancte Lucie virginis in scolis Juristarum publice facta & pronunciata. Anno Dni &c. LXXXIX.* Johannem de Breitenbach hujus dissertationis auctorem fuisse, ex annotationibus MSS. quæ nonnullis exemplis in Paulina Lipsiensi exstantibus adjectæ sunt, patet, & ex *Anonymo*, quem *Maderus* edidit, confirmatur, qui Breitenbachium IV libros pro Divæ Virginis conceptione scripsisse perhibet. Huic disputationi opposita est a *Frickenhusio*: *Repetitio disputationis de immaculata conceptione virginis gloriose in florentissimo studio Lipzensi, die Martis post festum sancte Lucie virginis. In scolis Juristarum Anno Dni &c. LXXXIX facte cum responsionibus & replicis.*

In

In qua fundatis iuribus & theologicis rationibus euidentissime ostenditur, quid dicta disputatio veritatis in se contineat. Cum Bulla àplica. (Lipſ. 4 pl. in 4) Repetitionem hanc propugnator quidam immaculatæ conceptionis Mariæ hoc ſcripto confutare conatus eſt: *Clypeus contra iacula in ſacram ac immaculatam virginis marie conceptionem volitantia per modum trium ſermonum cum quadam queſtione theologica ac diſputatione iuridica in ſcholis iuriſtarum alme Univerſitatis Liptzenſis facta ſub anno dnice incarnationis M. CCCC LXXXIX.* (Lipſ. 8 pl. in 4) Verum & *Breitenbachius* ipſe cauſam ſuam defendit tractatu, cujus titulus: *In hijs cartis determinatio que de immuculata conceptione beate ac gloriose virginis Dei genitricis in ſcholis iuriſtarum huius florentiſſimi ſtudii Liptzenſis his diebus breuiſſime facta extitit corroboratur. Ac nonnulla dicta per quendam eiusdem determinationis emuluȝ tanquam friuola & temeraria ac iuri & veritati contraria ex indubitato vtriuſque iuris fundamento eliduntur & reprobantur.* (Lipſ. 3½ pl. in 4.) Hæc duo ſcripta *Frickenhauſius* impugnavit hoc opuſculo: *Repetitio fabuloſe narrationis que alias ab autore ſuo intitulatur Clippeus contra iacula ſacram ac immaculatam virginis Marie conceptioȝ violitancia per modum trium ſermonum cum quadam queſtione theologica ac diſputatione juridica in ſcholis juriſtarum alme uniuerſitutis liptzenn. facta. ſub anno dnice incarnationis MCCCCLXXXIX, comportata per fratrem Georgium de frickenhauſſen ordinis predicatorum ſacre theologie p'feſſorem. In qua repetitione euidentiſſime oſtenditur, quid prefatus clipeus ac dicte diſputationis inualida determinatio & ſophiſtica corroboratio in ſe contineant veritatis. In fine hæc habentur: Explicit Repetitio &c. Impreſſa Liptzk Anno LXXXX.* (7 plag. in 4) Oppoſuit huic Repetitioni *Breitenbachius*: *Triplicationem contra quandam cauilloſam ac inutilem ſcripturam dni Doc. Georgii de Frickenhauſſenn. In qua quod ſolutiones per eum date ad rationes pro ea pia & devota opinione ſancte ac immaculate conceptionis virginis gl'oſe ſupra adductas. ſint iniurioſe debiles & erronee ad oculum oſtenditur ac demonſtratur.* (Lipſ. 2 pl. in 4) Sed ne cauſa, quam ſuſceperant, cecidiſſe viderentur Dominicani, adornata

 fuit

fuit ab ipsis Responsio ad Triplicationem & *Appollogia* c) *adversus Invectivam & iniuriosam triplicationem &c.* Utraque inter MS. in Bibliotheca Paulina adservatur & illa quidem *Frickenhusio* a *Fellero* in Catalogo p. 211, hæc vero alii Dominicano in Relationibus innoxiis A. 1718 p. 382 adscribitur. His addo demum Epitaphium *Frickenhusii*, quod lapidi sepulchrali inscriptum ita sese habet: „*Anno dni. M. CCCC. XCVII. VII* „*January Obyt Rndus p'r Fr. Georgius de Frick'ehausen Sacre* „*Theologie professor.*„ P. 884 ad *Hieronymi Savanarolæ* vitam animadverti potest, celeberrimum Jenensium doctorem *Joh. Franc. Buddeum* de artibus tyrannicis *Hier. Savanarolæ*, disputat. Jenæ, 1690 habuisse, quæ *Parergis* ipsius *Historico-Theologicis* inserta est p. 277-320. Sed retractavit eandem singulari Exercitatione, quæ post dissertationem ibidem legitur. Atque hæc hactenus. Ceterum quam R. P. *Echardus* desideravit nonnullorum codicum MS. qui in Bibliotheca nostra Paulina, quam Dominicanorum olim fuisse plus vice simplici monet, extant, notitiam, eam celeberrimus Bibliothecæ hodie præfectus D. *Bernerus*, pro singulari literas promovendi, quo flagrat, studio, proxime suppeditabit.

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII, S. T. D. & in Acad. Tubing. Prof. P. Ord. Ecclesiæ Decani & Illustris Stipendii Theologici Superattendentis, Introductio in Historiam Theologiæ Literariam cum Appendicibus.

Tubingæ, sumtibus Joh. Georgii Cottæ, 1720, 8.
1 Alph. 17 plag.

CUm non ignoret Cel. Autor, quam bene consulant Reip. literariæ, qui disciplinarum historiam pertexere eaque ratione ad penitiorem rerum cognitionem via facili juventutem perducere annituntur, Introductionem hanc, in auditorum potissimum gratiam, luci publicæ exposuit. Primas heic rerum lineas se ducere, primas umbras, neque omnia, quæ di- ci

c) Sic in ipso MS. scribitur.

ci poterant, exhauſiſſe, ceteris privatæ explicationi & prolixiori deductioni aliquando edendæ reſervatis, ipſe publice profitetur, ſimulque monet, ſe omnes autores huc ſpectantes non allegaturum, neque tamen eos tantum, qui data opera rem quandam dederint, ſed eos præcipue, qui optime rem enarraverint, ſive id ſingulari quodam opere ſive alio quaſi loco, modo bene, fecerint, ut adeo veniam, quam ab eruditis expoſcit, facile ſit impetraturus, ſi non omnia accurata lance penſitata invenerint. Ita vero rem inſtituit, ut, præmiſſis de Hiſtoria literaria univerſali Prolegomenis, ad hiſtoriam ſingularum Theologiæ partium, Exegeticæ, Dogmaticæ, Theticæ videlicet & Moralis, Polemicæ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & tandem Theol. Paſtoralis, recenſendam progrediatur. In illis, quid hiſtoria literaria ſit, quid illa tradat, quæ ejus neceſſitas, quis uſus, quæ præſtantia, quis abuſus, quæ avia, qui fontes, quæ denique genuina ejus percipiendæ ratio ſit, explicat, ubi inter alia methodum ſtudii theologici, aliam inter Pontificios, quibus ultra libros juratos, methodum dictatoriam, receptas ſententias, & præceptorum effata ſapere non liceat, aliam inter Anglos, qui collegia & lectiones Academicas pæne ignorant, uſitatam recenſet, tandemque in illos e noſtratibus, qui in Academiis doctorum ſermonibus calamo excipiendis nimium inhiant, acerbiſſime invehitur. Ad rem jam ipſam accedens, Libro I de Theologia Exegetica, & primo quidem loco de libris V. & N. T. eorumque origine, integritate, fatis & canone agit, nuda autorum diverſæ fidei nomina agmine numeroſo ſiſtens, deinde de linguis Originalibus earumque grammaticis, onomaſticis & Lexicis, poſthæc de hermeneutica & critica ſacra, quorſum etiam refert controverſias de literarum Ebræarum & Samaritanarum antiquitate, punctorum item & Maſorae, cujus apud Cl. Autorem exigua eſt auctoritas, uti aliunde conſtat, de accentibus Ebræis & Græcis eorumque dignitate, nec non de muſica & poeſi veterum Ebræorum, in quibus argumentis fere omnibus utramque Autori noſtro faciunt paginam V. E. Lœſcherus in libro de Cauſis E. L. & Jo. A. Fabricius in Bibliographia antiquaria, quorum recenſiones ſcriptorum huc pertinentium Noſter quibus-

Prolegom.

p. 32.

p. 49. quibusdam nominibus auxit. * Idem agit in reliquis, ubi de antiquitatum sacrarum, historiæ, chronologiæ, & geographiæ sacræ scriptoribus differit. In historia theologiæ typicæ & 51. propheticæ enarranda otium Nostro fecit Andr. Christ. Zellerus, qui Philologos & Theologos ordine recenset, qui ingenium suum in hac excellentissima sacratiorum literarum parte investiganda exercuerunt, quibus aliquot Noster addit, simulque opportuno loco monet, hanc Theologiæ partem nondum satis esse ex-52. cultam, quin potius deesse adhuc nobis librum, quem Systema dicit, quo impleta & olim implenda ex genuina rerum in orbe & ecclesia gestarum dijudicatione rite distincta, & vaticinia V. & N. T. in harmoniam quandam fusa, & canones dati fuerint, quibus in vaticiniis explicandis uti queamus. Acturus post 53. hæc de codicibus MStis Scriptorum Sacr. & Veteris quidem Testamenti, citat Rich. Simonium, Jo. A. Bosium, Jacobum le Long aliosque paucos; Novi vero Testamenti codices manu exaratos enarrarunt idem le Long, Simonius, Jo. Millius, Kusterus, G. 56. van Mastricht. De Polyglottis egerunt Jo. H. Hottingerus, Guil. Ern. Tenzelius, Richard. Simonius & le Long. Versionum 58. historiam pertexuerunt Rich. Simonius, le Long, Usserius, Whartonus, Waltonus, ex nostris, Glassius, Waltherus, Calovius, Kortholtus, Pfeifferus, Bœrnerus; de Græca, *quam LXX viralem fabulose ajunt*, scripsere Usserius, If. Vossius, Schotanus, Hodius, van Dalen, Grabius, Fabricius; de Vulgata sive Latina, Cherubinus, Buccentopius, Amama, Calovius, Kortholtus, Leusdenius, Hodius; de Gallicis Arnaldus, Simonius, Indezius, Theologus Salmanticensis larvatus, i. e. Dionysius Nollinus, Cherubinus, le Long, Clericus; de Anglicanis, Matthias Polus; de aliis versionibus occidentalibus Simonius, le Long, Fabricius; de Germanicis idem Fabricius, Zeltnerus, & Magnus; de Versione Lutheri, Crellius, Franckius, 62. Grapius, Mayerus, Posseltius, & Krafftius. De Concordantiis 64. & Harmoniis pauca habet Cl. Autor, qui eo prolixior est in Commentatoribus Biblicis enumerandis, quorum nomina cumulate 74. profert, nec eorum obliviscitur, qui in quædam tantum vel dicta vel scripta etiam Biblica observationes suas ediderunt. Tandem

dem in epilogo lectionem biblicam commendat, eamque variam, grammaticam aliam, aliam criticam, rhetoricam aliam, aliam logicam & literalem, aliam dogmaticam, aliam polemicam, instituendam suadet. Postea igitur quam cum Cel. Autore campum, ut ipsius verbis uti liceat, Theologiæ Exegeticæ fugitivo admodum oculo pervolavimus, jam cum eodem in dogmaticum eumque & theoreticum & moralem pedem promovemus, ubi sub initium statim annotamus, Nostrum de Theologia nostra in Systematum formam coacta sequius sentire & approbare effatum Theologi cujusdam Genevensis: qui vellent, scribentis, Christum theologiam systematicam hominibus tradidisse, parum prudentes sunt æstimatores rerum. Ars vivendi familiaribus colloquiis, datisque, prout res ferunt, documentis longe felicius traditur, quam operoso illo definitionum & argutarum quæstionum artificio, quod systema nuncupatur. Ceterum Noster Patrum veteris ecclesiæ nullum fuisse ait, qui compendium quoddam fidei Christianæ aut systema nobis sistat, donec Seculo VII inter Græcos Joan. Damascenus in libris de orthodoxa fide Systema Theologiæ dare cœperit, quem Latini Sec. XII secuti sunt, P. Abælardus, P. Lombardus, & universus Scholasticorum chorus, quorum vestigia presso gradu legunt Romanenses, Canus, Canisius, Bellarminus, Becanus, Maldonatus, Burghaberus, Arsdekin, Laurentii, aliique; e nostris vero, Lutherus, Melanchthon, & sexcenti alii huc pertinent. Inter Reformatos methodus fœderalis Cocceo ejusque familiæ, ante hunc vero, Gellio Snecano, Casp. Oeviano, Matth. Martinio, usitata est, quorsum & e modernis imprimis Benjamin Hoadlyus, Episcopus Bangoriensis, referendus est. Pergit nunc Autor ad Catechismum, Librorumque symbolicorum diversarum religionum historiam recensenlam, tandemque hisce paucissima quædam de Theologia Morai subnectit, in epilogo effusus iterum in laudes libertatis theoogicæ, qua studium autoritatis & sectæ, quo nomine & Luheranos compellat, & affectuum, superbiamque & odium & scepticismum theologicum cum pædantismo omni & philauia proscribere jubentur Theologi. Appendicis denique lo-

p. 80. 83. 92. 98. 102. 99. 104. 104. 110. 113.

co literæ Sam. Pufendorffii & P. D. Huetii de Syſtematis theologici conſcribendi ratione adjiciuntur. p. 113.

Libro III, qui agit de Theologia Polemica, Cl. Pfaffius methodo ſua, i. e. breviſſima, & nudis fere ſcriptorum nominibus recenſitis, exponit hiſtoriam ſcriptorum veterum hæreſium oſumque, qui haſce refutarunt: (124. 129.) Atheorum, Scepticorum, Deiſtarum atque Indifferentiſtarum; eorum, qui Theologiam Anti-Judaicam, Anti-Gentilem, Anti-Muhammedanam, Anti-Græcam, (134. 135.) Anti-Pontificiam, Anti-Calvinianam, Anti-Arminianam, (136. 137.) Anti-Socinianam, nec non eam, quæ contra Anabaptiſtas, Mennonitas, Quackeros & Fanaticos tractari ſolet, (141.) conſcripſerunt, quibus in epilogo addit ſcriptores inteſtinarum litium noſtrarum, (153.) quorſum pertinent controverſiæ, Flaciana, Synergiſtica, Majoriſtica, Oſiandrina, Crypto-Calviniana, Ubiquietiſtica, Huberiana, Rathmanniana, aliæque plures, & tandem noſtra ætate infauſta illa pugna Pietiſtica.

156. Quo brevior autem in hiſce Theologiæ partibus enarrandis adhuc fuit Cl. Autor, eo prolixior nunc eſt & copioſior, dum L. IV Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores fuſius recenſet. Ubi ante omnia ſiſtuntur ſcriptores generales, (159. 160.) qui fontes hiſtoriæ hujus aperiant, deinde ſcriptores Hiſt. Eccleſ. univerſales, (171.) poſthæc illi, qui hiſtoriam eccleſiarum Patriarchalium, aliarumque particularium Eccleſiarum, (176.) ſive nationalium, ſive provincialium, ſive urbicarum, dedere; (186.) nunc fontes hiſtoriæ dogmatum; paulo poſt ſcriptores hiſtoriæ Conciliorum, Conventuum & Colloquiorum, ubi B. Thomæ Ittigii noſtratis ſchediaſma de ſcriptis ad notitiam Conciliorum & Canonum ſpectantibus integrum fere inſertum eſt, (219.) & editionis Conciliorum a Jo. Harduino S J. ante aliquot annos editæ fata ediſſeruntur, adjectis tum libello accuſatorio Du Pinii contra Harduinam Conciliorum collectionem confecto, tum actis curiæ ſupremæ Pariſienſis, quam Parliamentum dicunt, (229.) tum denique integro conſpectu ab ipſo Harduino Anno 1715 edito. (258-266.) Hinc diſſerit Cel. Autor de Codicibus Canonum, eaque heic fere repetit, quæ alio loco, in libro videlicet de Juris Eccleſiaſtici Originibus dixerat. (276.) Progreditur porro ad hiſtoriam hæreſium, controverſiarum, & ſchiſma-

mnum; ad scriptores de scriptoribus ecclesiasticis, ubi iterum instrumentum retractationis, quæ Du Pinio, Bibliothecæ scriptorum Ecclesiastic. autori, ab Archi-Episcopo Parisiensi fuit injuncta, interponitur; ad Symbolorum, Confessionum, liturgiarumque veterum historiam; ad scriptores, qui disciplinam, ritus, antiquitates, & hierarchiam ecclesiasticam exposuere; ad eruditos, qui acta martyrum & sanctorum collegere, qui historiam contexuere Reformationis, qui vitas vel Patrum, vel Theologorum recentiorum conscripserunt, vel Pontificum, Cardinalium, Canonicorum, & Monachorum fata recensuerunt, vel denique qui Lexica Ecclesiastica, & qui historiam sectarum Christianarum, earumque modernarum, confecerunt.

p. 270. 275-315. 324. 326. 344. 345. 346. 347.

Restat, ut exponamus, quid Liber V, qui de Theologia Pastorali, Jurisprudentia Ecclesiastica, de Theologia Casuali, Catechetica, homiletica mysticaque agit, lectoribus sistat delibandum. Paucissima autem sunt re vera, quæ de argumentis istis heic inveniuntur. In Jurisprudentia Ecclesiastica citantur Zegerus Bernhardus van Espen, Carpzovius, Zieglerus, alii; in Theologia Pastorali Spenerus, Ah. Fritschius, Quenstedtius, Guntherus, alii, inprimis vero B. Gottfr. Olearius, in Casuali Rechenbergius, Balduinus, Prucknerus, Dunte, Spenerus, Arnoldus, alii. Homileticam quod attinet, haud magni istam facit Noster, persuasus, formatis ad regularum quarundam normam sermonibus sacris non multum profici. Annotat idem, methodos homileticas differre ratione populorum, remque hisce verbis exponit. In Italis & Hispanis eloquentia mox affectatis acuminibus inflata atque in histrionicam degenerans gestibusque nimiis superbiens, mox acutæ dictionis gravitas & magnificentia & altitudo conspicitur. Gallorum homiletica fere est incomparabilis, sive dictionem phrasesque, sive naturalem proponendi rationem, sive præstantiam rerum, ingenium, quod ubique heic ebullit, elegantiamque & facilitatem sermonis spectes. Nihil fere heic, quod pædantismum oleat, omnia amœna, jucunda, elegantia sunt, animumque auditoris capiunt. Hæc Cl. Autor. Ex Anglis multos, plures ex nostratibus recenset, item Homiletas, tam theoreticos, quam practicos. In Theo-

360. 364. 366. 367.

logiæ Mysticæ scriptoribus enumerandis id unice egit, ut ad Arnoldum & Petrum Poiretum provocaverit. Prima appendicum, quæ huic Introductioni subnectuntur, sistit Specimen Selectæ Bibliothecæ Theologicæ, ubi librorum nomina nuda & sine ordine recensentur, altera sex Programmata Academica, & ultima denique catalogum scriptorum, quæ Pfaffius vel edidit vel edet, continet.

p. 381.

SCHEDIASMA IRENICUM, HOC EST, necessaria Ecclesiarum Protestantium in fide consensio, ex propriis principiis doctorum Lutheranorum eorumque rigidissimorum, unica demonstratione evicta.

Ratisponæ, 1720, 4.
Plag. 6.

AUtor hujus schediasmatis celeberrimus Chr. Matth. Pfaffius, Theologus Tubingensis, esse perhibetur. Ac cum quidem nonnihil de uniendis Protestantium Ecclesiis vernaculo sermone conscripsisse novimus, quod & viris nonnullis illustribus, qui comitiis Ratisponensibus intersunt, approbatum fuisse ferunt; & in Syllabo operum Autoris, libro modo recensito addito, vernaculum ejus generis scriptum memoratur. Jam vero hoc ipsum schediasma, ut titulus nos docet, ex mandato illustrissimorum virorum ab ipsomet Autore e vernaculo in latinum conversum fuit, idemque viris illis haud displicuisse p. 43 gratus testatur Autor. Ut adeo nihil fere dubitare nos sinat, nisi quod p. 10 B. Joh. Christoph. Pfaffius Soceri nomine appelletur, ipseque Christoph. Matthæus Pfaffius magnum Academiæ Tubingensis decus ac ornamentum ab Autore p. 41 allegetur. Quisquis tamen ille sit, quum aliquando de dissensu Ecclesiarum Protestantium fundamentali certus reddi vellet, in ipsa discussione rei se contrarium deprehendisse fatetur. Ac quidem, quod colloquia, totque ac tanta conamina frustra hactenus fuerint, inter alias hanc inprimis dicit causam esse, cum, quod plenaria consensio exacta fuerit, nulla habita ratione momenti

ti quæstionum, an fundamentum attingant, nec ne? tum, quod Viri docti articulos controversos vel conciliatum, vel adversarios convictum irent. Propiorem autem spem consensus fore, si, quod fieri hactenus sit cœptum, nexus articulorum controversorum cum fundamento fidei spectetur. Hinc natum est Autori nostro consilium scribendi; ostendere enim ipsi est animus, ex ipsis Lutheranorum, eorundemque γνησίως talium, ac minime suspectorum, principiis necessario consequi, esse inter Protestantes Ecclesias in fundamento consensum, pacemque adeo & unitatem inter ipsas debere coli. Quatuor igitur format axiomata: I Unioni & paci Ecclesiasticæ neque dissensum in non fundamentalibus, neque diversitatem cerimoniarum, sed solum dissensum in fundamento debere obesse. II Illud esse fundamentum fidei, ut homo credat: Deum ex mera gratia propter meritum Christi velle sui in individuo misereri, peccata sibi remittere, seque ad æternam salutem perducere. Ubi observatur, neque ordinem decretorum divinorum esse ad salutem cognitu simpliciter necessarium. III Esse consensum de eo, quod satis sit ad salutem, scire, unum esse Christum sospitatorem, consequentia vero unionis personalis, communionem naturarum & communicationem idiomatum ac apotelesmatum ad salutem cognitu necessaria haud esse. IV Ipsam doctrinam de Sacramentis ad fundamentum fidei non pertinere, adeoque errores in ea re capitales unionem rumpere aut impedire non debere. Atque ex istis propositionibus, quas sigillatim & secundum singulas sui partes Nic. Hunnii & Joh. Hulsemanni, tum & aliorum, Calovii, Quenstedti, Musæi, Danhaueri &c. verbis prolixe confirmat, demonstrationem demum unicam nectit doctissimus Autor, quæ id ipsum, quod supra indicavimus, evincat. Tangit vero & ea, quæ ab adversa parte objici possunt & solent. Ita primo loco excipitur: non posse tamen cum doctoribus pacem iniri, qui fundamentum indirecte evertant, negando articulos secundarios. Respondet hic Vir doctissimus, non debere unionem Ecclesiarum suspendi ab unitate scholarum, quæ nunquam forte & inter nos ex asse speranda sit. Dissensum ergo Theologorum, qui pauci sint, non debere præjudi-

judicio esse mille credentibus, ignaris illarum, quæ ad salutem necessariæ non sint, controversiarum. Injustissimum enim esse excommunicari animas innocentes, propter curiositatem Theologorum, mysteria longius quam par erat, pervestigantium. Quodsi autem quis regerat, apud plebem reformatam eandem excommunicationis causam præsumi debere: respondet Noster, pessime in re tanta præsumtioni nudæ insisti, imprimis ubi ea penes omnes vera & simplici fide in Christum præditos fundamento plane careat. Imo vero, quod ad ipsas lites & controversias inter nos & Reformatos attinet, esse eas hujusmodi, ut etiam negatio articulorum, qui in disputatione sunt, saluti exitialis haud sit, adeoque fundamentum non evertat. Plurimam enim partem abire in disputationes de vocibus, de cetero vero allegari posse ipsam experientiam, quæ unumquemque convincat, Jesum Christum Dei filium, sospitatorem nostrum apud Reformatos, negata licet communicatione idiomatum ea, quæ disceptatur vere, ardentissime coli, neque posse magnum indicem necti eorum, qui propter particularismi dogma in desperationem acti fuerint. Cujus rei ratio sit hæc, quod homines non per ratiocinationes subtiles illas ac speculativas, sed per insitam verbi virtutem divinam convertantur, quemadmodum & virtus sacramentorum non a nostris opinionibus, sed ab institutione Salvatoris sit derivanda. Certitudinem demum salutis nostræ inniti testimonio intrinseco Spiritus S. ad quod dogmata de gratia, sive universali sive particulari, nihil faciant, & sicut ex eo, quod gratia sit universalis, non statim sequatur, me esse electum, ita nec ex eo, quod particularis sit, sequi, me esse reprobum. Miserum autem esse, si quis unioni objiciat cavillationes & injurias, quibus doctrinam & Doctores nostræ Ecclesiæ oneraverint quondam Reformati; certe enim consequentiam non procedere. Ad hæc non esse illa judicia Ecclesiæ, sed privatorum, quæ cordatiores inter Reformatos aversentur ipsi. Concludit Autor doctissimus scriptum hoc adhortando Protestantes, ut primum in necessariis consensum esse declarent, atque controversias reliquas non in concionibus, sed in scholis, idque moderate, tractari præcipiant.

COM-

COMMENTATIO IN PROPHETIAM Ezechielis & Chasmal præsertim Ezechieliticum, Autore D. GODOFREDO LUDOVICI P.P. illustr. Casimiriani Coburg. Direct.

Lipsiæ, apud Heredes Lanckis. 1720, 8.
Plag. 12.

QVem divus noster Lutherus A. 1530 integrum, ex sententia Maxime Rev. Dn. Autoris, donavit vernacula, Ezechiel denuo, qua δυσνόητα, quibus abundat, hic pertentatur, nodisque hinc inde solutis, in *Chasmal* denique illud Cap. I, 4 ex instituto inquiritur. Integrum, quod dixi, Ezechielem vertisse Megalandrum Coburgi, secus, quam B. Mayero de Version. Luth. p. 14 visum, hoc statim ab initio, subjectis per tractatum universum, typis minoribus prolixis annotatis, asserit comprobatque Autor, Mayerum, quo dixi, loco emendans, modo recte sic conciliari possunt ex Epistolis Lutheri loca, a Mayero, Maximeque Reverendo Autore vel ipso allata. Die namque 29 Jun. A. 1530 Gabrieli Didymo *absolutum Ezechielem* nunciat; postea vero d. 25 Aug. tædio, corporisque morbo *posuisse sese Ezechielem*, Melanchthoni memorat. Funckius peculiari paragrapho capitis septimi *Historiæ Reformat.* p. 331 seqq. facta Lutheri & scripta Coburgensia promens, eum *in versione* Prophetarum *omnium* Coburgi laborasse, hosque *eo anno* vulgasse itidem, de Ezechiele ibidem absoluto nihil addens, tantum asseruit. Operæ itaque omnino pretium existimarunt antiqui juxta & recentiores Interpretes, Ezechielem diligenter perquisivisse, Prophetam scilicet, secundo in quibusdam Ebræorum MStis loco inter majores repositum, atque hic tum universe, tum observatis temporis illius rationibus, descriptum, immo Grotio vel cum ipso Gentilium Homero, ob εὐνοίας & Architecturæ peritiam, comparatum. Quo magis acceptum fore Lectori, credidit Autor, si potiorum totius Prophetiæ Ezechielis, *Scripturæ oceanis & mysteriorum DEI labyrinthi*, ex Hieronymi descriptione, cujus initium legere & finem non facile concedebunt Ebræi prisci, si potiorum, in-

p. 3. 4. ibid. seqq. 9. 7. 15. 16. 26 seqq.

inquam, hujus difficultatum simul meminisset. Sic de curru
p. 23 seqq. Ezechielitico, allatis prolixe eruditorum commendationibus, ne
Cabbalisticis quidem omissis inventis, porro itidem de animalibus statim ab initio memoratis, de gratiosa DEI cohabitatione,
52 seqq. שכינה Ebræis dicta, de more Prophetarum, quo velut in dra-
66. mate diversas sustinent Personas, de arca fœderis Thammuz,
70. 74. 76. signo in frontibus, prunis contra urbem jactis, (ubi aliorum,
80 seqq. potissimum vero Hulsii, expendenda sistitur opinio) supplica-
91. 97. tionibus Noæ, Danielis & Jobi, radice Judæorum de terra Canaan, stupore dentium e gustu omphacis, affluentia Palestinæ
104. in lacte & melle, aliisque ita disquiritur passim, ut fontes simul
106. plus sitientibus aperiantur. *Chasmal* postea Propheticum scrutinio diligentiori subjicitur, quo vocis originem & significationem, ita ut, consultis passim Judæis pariter Christianis-
110. que Doctoribus, propriam subjiciat sententiam, qua putat Amplissimus Autor, esse Chasmal (quicquid alii de metallo χαλκοχρύσῳ, ære, aurum pretio & colore referente, quod Diodoro χαλκὸς χρυσοειδὴς appellitetur, retulerint) ratione significatus nihil aliud, quam, quod Matthæo quoque Hillero
128 seqq. in Onomastico sacro visum, fulguris vocabulum (חש & חמל *festina, parce*, Deus!) ardentis impetum fulminis deprecans. Cum singulare quibusdam videri queat, *Speciem τῶ Chasmal*
133. tribui in textu, sensumque adeo paullo impeditiorem fore: sicut speciem dicterii, tempore cœli fulgurantis, DEUS *festi-*
125 seqq. *na & parce*, apparuisse: rationes hujus interpretationis aliquot subjiciuntur, immo arcana quoque, interior & recondita τῶ Chasmal significatio, qua unionem personalem in Christo, sparsosque in exinanitione radios notare possit, vo-
159 seqq. catis in partes Dannhauero & Carpzovio, subjicitur.

EXERCITATIONUM SUBSECIVARUM Francofurtensium Tomus III Sectio I.

Francofurti ad Viadr. impensis Joh. Godofr. Conradi, 1720, 8. Plag. 13.

In

IN *Exercit. 1* de gustu rerum moralium & practicarum disseritur. Occasionem præbuit Observatio Hallensis IX Tom. V de criterio veritatis in rebus moralibus, cujus sententiam ex parte probat Autor, ex parte corrigit ac uberius illustrat. Agit nunc potissimum de gustus moralis indole ac natura. Quoniam tamen ipsemet ingenue fatetur, eum non tam verbis exponi, quam experiendo addisci; plura de ipso verba fieri supervacaneum videtur. Miscet Autor theologica philosophicis: unde & in *Exercit. 2* progreditur ad gustum rerum spiritualium & divinarum contra Atheos & Scepticos hujus seculi stabiliendum. *Exercitatio tertia* Juridica est, adeoque a *Reinboldo* profecta. Agitur in ea de secutæ malæ fidei adversus Publicianam exceptione, & contenditur ea exceptione hunc, qui Publicianam movet, non repelli. Probatur inter alia quod *Ulpianus* diserte tradidit, ut Publiciana competat, sufficere ut & bona fide actor emerit & ei res emta eo nomine sit tradita. *Exercit. 4* trigam quæstionum discutit *Gœlickius*, scilicet 1) de esu fabarum a *Pythagora* & sibi & discipulis interdicto, 2) de balneis arenosis tum veterum, tum recentiorum, 3) de more nivem bibendi jam Salomonis tempore solenni. Sumit, *Pythagoram* suum de abstinentia ab esu fabarum dogma a Sacerdotibus Ægyptiorum accepisse, atque adeo hujus interdicti duas habuisse rationes infert, scilicet ne discipuli in studio sapientiæ sublimioris turbarentur, nec turpi venere corpora commacularent, cum rationes istiusmodi sacerdotibus Ægyptiorum fuisse fide veterum monumentorum constet. Disquisitioni alteri de balneis arenosis occasionem dedit locus apud *Suetonium*, ubi *Augustus* hoc remedio usus dicitur. Monet, *Avicennam* balnea arenosa laudare in doloribus articulorum; *Celsum* eadem commendare *hydropicis*; *Dioscoridem* ipsa deprædicare in abigendis tumoribus hydropicis; *Cœlium Aurelianum* in cachexia; *Joannem Causse*, verbi Ministrum apud Francofurtenses, professum esse, quod ipsemet non semel experimentum ceperit, quoties humorum vitiosorum copia se gravatum sensit. De argumento tertio publico sistit epistolam, quam laudatus Theologus ad ipsum perscripsit: ubi simul de quæstionibus duabus

 prio-

prioribus suam sententiam exponit Vir Reverendus. *Exercit.* 5 Celeberrimus Geometra, *Hermannus*, meditationes analyticas de motu continuat, quibus egregium ipsius opus phoronomicum haud parum illustratur. Tractat autem hac vice de motu gravium in medio resistenti secundum rationem duplicatam celeritatum mobilis, & curvam etiam exhibet, quam corpora oblique projecta in hac resistentiæ hypothesi describere debent. Habemus ergo analysin problematis, quod ab Anglo quodam propositum solvit Cel. *Bernoullius*, ante etiam jam solverat ipse *Hermannus* in Phoronomia. Subjungit per modum appendicis nonnulla de motu chordarum tensarum. Scilicet in Actis A. 1716 p. 370 itemque in Exercit. 4 Sect. 2 Tom. I Exercitat. subsecivarum adversus solutionem *Taylorianam* duo objecerat, 1) quod chordæ vibranti figuram curvæ elasticæ citra probationem tribuat, 2) quod in æquatione sua $dz = (B-a)dy : \sqrt{(eaB-BB)}$ quantitatem B perperam evanescere statuat præ quantitate a. Sed veritatis amore hic profitetur, objectionem suam alteram inde fluxisse, quod crediderit, æquationem $dz = yydy : \sqrt{(c^4-y^4)}$ solam ad elasticam pertinere; seque argumentum hoc denuo examinantem comperisse, æquationem elasticam *Taylorianam* hac in re præ altera adhibendam esse in suppositione, quod chordæ vibranti figura curvæ elasticæ conveniat. Monet etiam, hanc rationibus probandam suscepisse *Taylorum* in Methodo incrementorum Prop. 22, atque æquationem *Taylorianam* problematis aliter, quam ab ipso factum, elicit, simul demonstrans, in ea B respectu a evanescere debere, quod facit *Taylorus*. In suam solutionem, quam locis citatis dedit, per inadvertentiam irrepsisse agnoscit hypothesin, quod excessus tensionis, qua chorda extensa est, ad hanc extensionem eandem rationem habeat, quam vis tendens chordam habet ad longitudinem ejus: quam merito dubiam censeri posse largitur. Subnectit solutionem aliam ad *Taylorianam* propius accedentem, in hypothesi, quæ chordæ figuram circularem tribuit. *Exercitat.* 6 historiam ordinis equestris *S. Huberti* consignavit *Dithmarus*, ubi notatis fabulis, quæ de *S. Huberto* circumferuntur, occasionem ordinis in ejus honorem olim instituti comme-

memorat ac inprimis renovationem ejusdem novasque leges fuse describit, equitum catalogo subnexo. Prima institutio dubia: sed eam renovavit A. 1708 *Johannes Wilhelmus*, Elector Palatinus. Idem *Exercit.* 7 in ortum *Petronellæ Florentii II* Comitis Hollandiæ Conjugis penitius inquirit atque hanc tandem Genealogiam exsculpit.

BRUNO
Ux.
IDA

- Bruno Episcop. occisus
  - Burchardus
    - Gevehardus
      - Conradus Archiep. Magdeb.
- Gevehardus Comes Querfurtens.
  - IDA
    - Gevehardus Comes Supplenb. & Querf.
      - Gertrudis alias Petronella
      - Lotharius II Imperator.
        - Gertrudis Ux. Henrici Duc. Bavariæ.
        - Hedwigis Ux. Ludovici I. Landgravii Thuringiæ.

In ultima demum *Exercitatione*, quæ *octava* est, *Reinbolus* de Autore Publicionæ in rem actionis & de hujus necessitate differit.

J. B. BULFFINGERI COMMENTATIO in Theoremata quædam Bernoulliana, exhibita in Actis A. 1719 Mens. Jun. p. 269.

QUæ VIR vere Maximus & promovendæ Geometriæ sublimiori natus, Jo. Bernoulli, Theoremata Analytica in

 his

his Actis Menſ. Jun. ſuperioris Anni cum orbe litterato communicavit, illa, dubium non eſt, quin vehementer placeant intelligentibus. Venit itaque in mentem experiri, quid in iisdem demonſtrandis mihi liceat proficere, atque iſtas meditationes breviter hic exponere.

DEFINITIO. Per q & l intelliguntur Numeri qualescunque, integri, fracti, affirmativi, negativi, rationales. Per k, n & p integri affirmativi, ita tamen ut p & n poſſint eſſe $= 0$. Per δ integer affirmativus vel negativus. Per λ dignitas binomii quæque. Per e & f quantitates conſtantes.

THEOREMA I. $\int dx : (e+fx^q)^{k+1:q}$ eſt abſolute ſeu Algebraice quadrabilis.

DEMONSTRATIO. Aſſumatur $x = \left(\frac{y-f}{e}\right)^{-1:q}$ erit

$$\int dx : (e+fx^q)^{k+1:q} = \int -\frac{1}{eq}\left(\frac{y-f}{e}\right)^{k-1} y^{-k-1:q}\, dy.$$

Jam ſi q eſt affirmativus quicunque, vel integer negativus unitate major, ſinguli termini hujus formulæ evoluti erunt ſimpliciter ſummabiles: ſin q ſit fractio negativa, vel unitas negativa, ita ut $1:q$ at integer affirmativus (adeoque neceſſario minor quam k) formula hæc evoluta continebit Logarithmum; quem ſi devitare liceret, quadratura Hyperbolæ abſoluta foret in poteſtate.

THEOR. II. GENERALIUS: $\int x^{pq} dx : (e+fx^q)^{k+p+1:q}$ eſt algebraice quadrabilis.

DEMONSTR. Si feceris $x = \left(\frac{y-f}{e}\right)^{-1:q}$ habebis $\int -\frac{1}{eq}\left(\frac{y-f}{e}\right)^{k-1} y^{-k-p-1:q}\, dy$. De qua formula evoluta eadem valent, quæ de prima diximus, ſi hic $k+p+\frac{1}{q}$ fuerit integer affirmativus $=$ vel $< k$.

THEOR. III. $\int x^{kq-1} dx : (e+fx^q)^{k-1:q}$ eſt abſolute quadrabilis.

DEMONSTR. Fiat $x^q = \frac{v-e}{f}$, & habebitur nova formula priori æquipollens, & $= \int \frac{1}{qf}\left(\frac{v-e}{f}\right)^{k-1} v^{-k+1:q} dv$, quæ evoluta

La

Logarithmum includet, quando q eſt fractio affirmativa, vel unitas poſitiva, & $k-\frac{1}{q}$ integer affirmativus: ſine Logarithmo autem integrabitur, ſi q fuerit negativus quicunque, vel integer affirmativus unitate major.

THEOR. IV. GENERALIUS: $\int x^{kq-1}dx:(e+fx^q)^{k+p-1:q}$ eſt algebraice quadrabilis.

DEMONSTR. Sit denuo $\frac{v-e}{f}=x^q$, erit hæc formula $=\int\frac{1}{qf}\left(\frac{v-e}{f}\right)^{k-1}v^{-k-p+1:q}\,dv$, ſimilis priori, &, ſi hic $k+p-\frac{1}{q}$ fuerit affirmativus integer = vel $<k$, Logarithmum complexa.

THEOR. V. $\int x^{pq}dx:(e+fx^q)^n$ dependet a Quadratura hujus $\int dx:(e+fx^q)$.

DEMONSTR. Equidem hujus Theorematis demonſtrationem quæſivi aliquando ex formula $\int\frac{rdx}{q}$, poſitis r & q rationalibus, ex conſtantibus atque x utcunque compoſitis: quam ſummare docuit idem, qui cetera pæne omnia, Jo. Bernoullius in Actis A. 1703 Menſ. Januar. Communicatis autem poſtea hiſce meditationibus cum Viro maximo, ille qua eſt humanitate prorſus ſingulari, & defectum illius applicationis aperuit, & ſui ex fratre Nepotis, Nicol. (ſit etiam hic pro encomio nomen) Bernoullii methodum, ſequenti ſchediaſmate expoſitam, atque in primis theorematis meæ ſimillimam, tranſmiſit. Cujus deinde in hoc noſtro theoremate imitatio ſequentem, tanquam filiam matri conſimilem excluſit. Eſt vero $\int x^{pq}dx:(e+fx^q)^n=$ $\frac{pq-q+1}{(n-1)fq}\int x^{pq-q}dx:(e+fx^q)^{n-1}-\frac{1}{(n-1)fq}x^{pq-q+1}:(e+fx^q)^{n-1}$ & $\int x^{pq-q}dx:(e+fx^q)^{n-1}=\frac{pq-2q+1}{(n-2)fq}\int x^{pq-2q}dx:(e+fx^q)^{n-2}-$ $\frac{1}{(n-2)fq}x^{pq-2q+1}:(e+fx^q)^{n-2}$, & ſic porro, donec habeatur $\int x^{pq-(n-1)q}dx:e+fx^q)$. Quod ſi forte $p=n-1$, perfecta erit operatio. Sin $p+r=n-1$, habebimus adhuc $\int x^{-rq}dx:(e+fx^q)=$

$e(1-rq)$

$\frac{1}{e(1-rq)}x^{-rq+1} - \frac{f}{e}\int x^{-rq+q}dx:(e+fx^q)$ & $\int x^{-rq+q}dx:(e+fx^q) =$

$\frac{1}{e(1+q-rq)}x^{-rq+q+1} - \frac{f}{e}\int x^{-rq+2q}dx:(e+fx^q)$ & sic porro, do-

nec fiat $\int x^{-rq+(r-1)q}dx:(e+fx^q) = \int x^{-q}dx:(e+fx^q) = \frac{1}{e}x-$

$\frac{f}{e}\int dx:(e+fx^q)$. Eadem ratione, si $p-r=n-1$, erit $\int x^{rq}dx:$

$(e+fx^q) = \frac{1}{f(rq-q+1)}x^{rq-q+1} - \frac{e}{f}\int x^{rq-q}dx:(e+fx^q)$ & sic

deinceps.

SCHOLIUM. Si $p+\frac{1}{q}=1$. & $n=2$ erit $\int x^{pq}dx:(e+fx^q)^n$ $=\int x^{q-1}dx:(e^2+2ef+f^2x^{2q}) = -1:qf(e+fx^q)$. Eademque ra-tione si $p+\frac{1}{q}=1$, & $n=3$, erit $\int x^{pq}dx:(e+fx^q)^n = \int x^{q-1}dx:$ $(e+fx^q)^3 = -1:qf(e+fx^q)^2$ Ex quo intelligitur, formulam Taylorianam $\int z^{(\delta:\lambda)q-1}dz:(e+fz^q+gz^{2q})$ fore absolute quadrabilem, si $\delta=\lambda$, & divisor quadratum, vel quadrati multiplum. Itemque $\int z^{(\delta:\lambda)q-1}dz:(e+fz^q+gz^{2q}+hz^{3q})$ si $\delta=$ vel 2λ, & divisor Cubus, vel cubi multiplum. vid. Acta 17[..] p. 268.

THEOR. VI. $\int x^{-pq}dx:(e+fx^q)^n$ pendet ab eadem $\int$[..] $(e+fx^q)$.

DEMONSTR. Dividatur fractionis Numerator & Denominator per x^{qn}, ut fiat $x^{-pq}dx:(e+fx^q)^n = x^{-pq-qn}dx:(f+ex^{-q})^n$ $=$ (positis $p+n=r$ & $-q=t$) $x^{rt}dx:(f+ex^t)^n$ quod pertinet ad Theor. V.

THEOR. VII Generalius: $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^n$ dependet [..] Quadratura hujus $\int x dx:(e+fx^q)$.

DEMONSTR. Coincidit cum demonstr. theor. quinti, m[..] do unciis & exponentibus Numeratorum inseras $+l$.

THEOR. VIII $\int z^{(\delta:\lambda)q-1}dz:(e+fz^q)^n$ quadrabilis per Circulum vel Hyperbolam.

DEMONSTR. Fiat $z^q=y^\lambda$, & erit $\int\frac{\lambda}{q}y^{\delta-1}dy:(e+f[..]$

Factis vero $\delta-1=l$, & $p=0$, per Theor. VII reducitur ad $\int$[..]

$ly : (e+fy^{\lambda})$. Hanc autem formulam dari posse per Quadratu-
am Circuli vel Hyperbolæ docuit idem ipse Bernoullius in Actis
Aens. Jun. Anni super. p. 264. Ibi enim in $\int x^r dx : (e + fx^p +$
$x^{2p})$ est $r = \delta - 1$. & $p = \lambda$, $g = 0$, ut fiat $\int x^{\delta - 1} dx : (e + fx^{\lambda})$ for-
iula nostræ æquipollens. Itaque $\int z^{(\delta:\lambda) q - 1} dz : (e + fz^q)^n$ redu-
itur ad Quadr. Circuli vel Hyperbolæ.

ICOLAI BERNOULLI DEMONSTRA-tiones Theorematum Patrui sui, in Actis 1719 p. 269 editorum.

N 4 prioribus Theorematis non solum q & l, sed etiam p po-
test significare numerum quemcunque, etiam negativum,
actum, irrationalem; & quia scribendo $-q$ pro q, atque e & f
vicem permutando theorema secundum mutatur in quartum
viciſſim, hinc omnia 4 theoremata, sub uno generaliori com-
ehenduntur, quod *ita pronunciari potest*: $\int x^{kq-1} dx : (e + fx^q)^l$
Algebraice quadrabilis.

DEMONSTRATIO. Ponatur $e + fx^q = y$, & erit $\int x^{kq-1} dx :$
$\overline{e + fx^q})^l = \int \frac{1}{q} (y-e)^{k-1} f^{-k} y^{-l} dy = \int \frac{1}{q} (y^{k-l-1} - \overline{k-1}.\, ey^{k-l-2} +$
$\frac{-1.\, k-2}{1.2} eey^{k-l-3} -$ &c.$) f^{-k} dy = (\frac{y^{k-l}}{k-l} - \frac{k-1}{k-l-1} ey^{k-l-1} +$
$\frac{-1.\, k-2}{.k-l-2} eey^{k-l-2} - \frac{k-1.\, k-2.\, k-3}{1.2.3.\, k-l-3} e^3 y^{k-l-3} +$ &c.$) : qf^k$, quæ
ies ob numerum k integrum & affirmativum finita est, & post
stitutum valorem ipsius $y = fx^q + e$, secundum dimensiones
ius x ordinata, evadit $= (\frac{x^{kq-q}}{qf.\, k-l} - \frac{k-1.\, ex^{kq-2q}}{qff.\, k-l.\, k-l-1} +$
$\frac{-1.\, k-2.\, eex^{kq-3q}}{.\, k-l.\, k-l-1.\, k-l-2} -$ &c$) : (e + fx^q)^{l-1}$. Si q mutatur in
, e in f, & f in e, erit eadem series $= \int x^{lq-kq-1} dx : (e + fx^q)^l$.
e Neut. de Quadr. Curv. Prop. 5.

SCHOLIUM. Si l sit $=$ numero integro affirmativo non
jori quam k, $\int x^{kq-1} dx : (e+fx^q)^l$ pendet a quadratura Hy-
bolæ, & terminus aliquis seriei $\frac{y^{k-l}}{k-l} - \frac{k-1}{k-l-1} ey^{k-l-1} +$ &c.
nfinitus. THE-

THEOR. 5 & 7 $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^n$ dependet a Quadratura hujus $\int x^l dx: e+fx^q)$. Hic p & n ſignificant numerum integrum affirmativum.

DEMONSTRATIO. Ponatur $A=\frac{1}{\overline{n-1}.ge}$, & erit $\int x^{pq+l} dx:(e+fx^q)^n = Ax^{pq+l+1}:(e+fx^q)^{n-1}+(\frac{1}{e}-A.\overline{pq+l+1})\int x^{pq+l} dx:(e+fx^q)^{n-1}$. Dependet igitur $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^n$ a $\int x^{pq+l} dx:(e+fx^q)^{n-1}$: & ſimili modo $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^{n-1}$ a $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^{n-2}$, & ita porro uſque ad $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)$. Fiat $B=\frac{1}{pq-q+l+1}$, & erit $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)=\frac{B}{f}x^{pq-q+l+1} - \frac{e}{f}\int x^{pq-q+l}dx:(e+fx^q)$; Dependet igitur $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)$ a $\int x^{pq-q+l}dx:(e+fx^q)$ & ſimili modo $\int x^{pq-q+l}dx:(e+fx^q)$ a $\int x^{pq-2q+l}dx:(efx^q)$, & ita porro uſque ad $\int x^{pq-pq+l}dx:(e+fx^q) = \int x^l dx:(e+fx^q)$ a qua per conſequens dependet $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^n$. vid. Neut. de Quadr. Curv. Pr. 7.

SCHOLIUM 1 Si $\frac{1}{e}=A.\overline{pq+l+1}=\frac{pq+l+1}{\overline{n-1}.ge}$, hoc eſt, ſi $\frac{pq+l+1}{q}=n-1$, $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^n$ eſt Algebraice quadrabilis: ſimiliter ſi $\frac{pq+l+1}{q}=n-2$, $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^{n-1}$ eſt algebraice quadrabilis, & ſi $\frac{pq+l+1}{q}=n-3$, $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^{n-2}$ eſt algebraice quadrabilis, & ita porro; Hinc ſi $\frac{pq-l+1}{q}=$ numero cuicunque integro affirmativo minori quam n, $\int x^{pq+l}dx:(e+fx^q)^n$ eſt algebraice quadrabilis.

SCHOL. 2. Si $p-q+l+1=0$, hoc eſt, ſi $\frac{-l-1}{q}=p-1$, $\int x^{pq+l} dx:(e+fx^q)$ includit quadraturam Hyperbolæ; ſimiliter, ſi $\frac{-l-1}{q}=p-2$, $\int x^{p-q+l}dx:(e+fx^q)$ includit quadraturam Hyper-

perbolæ; & si $\frac{-l-1}{q} = p-3$, $\int x^{pq-2q+l} dx : (e+fx^q)$ involvit Quadraturam Hyperbolæ; & ita porro. Hinc si $\frac{-l-1}{q}$ = numero integro affirmativo minori quam p, vel $= 0$, $\int x^{pq+l} dx : (e+fx^q)$ & per consequens etiam $\int x^{pq+l} dx : (e+fx^q)^n$ involvit quadraturam Hyperbolæ, ultra quadraturam hujus $\int x^l dx : (e+fx^q)$ exceptis casibus scholii præcedentis.

THEOREMA VI GENERALIUS. $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)^n$ dependet a Quadratura hujus $\int x^l dx : (e+fx^q)$.

DEMONSTR. Ponatur $A = \frac{1}{n-1.ge}$, & erit, $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)^n = Ax^{-pq+l+1} : (e+fx^q)^{n-1} + (\frac{1}{e} - A. -pq+l+1) \int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)^{n-1}$; & ita deinceps usque ad $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)$. Fiat $B = \frac{1}{-pq+l+1}$, & erit $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q) = \frac{B}{e} x^{-pq+l+1} - \frac{f}{e} \int x^{-pq+q+l} dx : (e+fx^q)$; Dependet igitur $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)$ a $\int x^{-pq+q+l} dx : (e+fx^q)$ & simili modo $\int x^{-pq+q+l} dx : (e+fx^q)$ a $\int x^{-pq+2q+l} dx : (e+fx^q)$; & ita porro usque ad $\int x^l dx : (e+fx^q)$, a cujus proin quadratura dependet etiam $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)^n$.

SCHOL. 1. Si $\frac{-pq+l+1}{q}$ = numero integro affirmativo minori quam n, $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)^n$ est algebraice quadrabilis.

SCHOL. 2. Si $\frac{l+1}{q}$ = numero integro affirmativo non majori quam p, $\int x^{-pq+l} dx : (e+fx^q)^n$ involvit quadraturam Hyperbolæ

THEOREMA 8. Sumtis δ & λ in sensu Taylori erit $\int z^{\delta : \lambda) q-1} dz : (e+fz^q)^n$ quadrabilis per Circulum vel Hyperbolam. Sequitur ex collatione Theor 7 cum Probl. Taylori.

COROL. Si fiat α $\beta :: -1. \frac{-f}{e} 2p+1 \times \frac{pq+q-1.\, pq+2q-1}{-pq-1.\, -pq+q-1.\, -pq} \frac{\ldots pq+nq-q-1}{-2q-1 \ldots -pq+nq-2q-1}$, erit $\int (\alpha x^{-pq} + \beta x^{pq+q}) dx : (e+fx^q)^n$ algebraice quadrabilis.

CORNELII VAN BYNCKERSHOEK J. C. & Senatoris Opusculum quartum de cultu religionis peregrinæ apud Veteres Romanos.

DUabus Dissertationibus absolvitur hoc thema, non passim obvium. Prima ostendit, cultum religionis semper pertinuisse ad curam Legum, & JCtorum Romanorum. Sic Servium Sulpitium JCtum de sacris detestandis scripsisse, ejusque librum secundum commemorari Gellio *Lib. VI, 12.* Tum vero pro avita Romanorum religione novis sectis fortiter se opposuisse JCtos, allato testimonio Polybii *Lib. VI Hist. cap. 54*: μεγίστην δέ μοι δοκεῖ διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς τὸ βέλτιον, ἐν τῇ περὶ θεῶν διαλήψει. Ipsos etiam veteres Christianos inter adversarios suos, expertos fuisse vindices istos veterum sacrorum, JCtos, eorumque disputationes allegari Lactantio, *Lib. V div. instit. c. 11.* Fœcundam autem illam JCtorum messem, quæ Alexandri Severi ævo celebrabatur, mox sub Constantino M. & deinceps, tantum non exaruisse ideo, quod perpetim starent JCti pro antiquis gentilium aris & focis, & hinc nomen eorum occiderit. Ipsas etiam Leges Romanorum cavisse, ne quid novæ vel peregrinæ religionis admitteretur, quod Rempublicam turbaret. Cujus rei duplex argumentum insigne exhibet Vir illustris in famoso SCto Marciano sive Postumiano contra Bacchanalia, (cujus mentio fit in Actis 1693 p. 138 & 1699 p. 345) & in Edicto Diocletiani atque Maximiani contra Manichæos. In utroque campum ingressus est amplissimum exerendi copias ditissimi ingenii ad eruendos sensus pridem sepultos in scriptura perantiqua. Præmittit autem Dissertatione II, quid senserint Romani de peregrinis religionibus, & an earum causa coire licuerit? Odium religionis non peræque olim omnes gentes dicit infecisse, ut nunc infecerit. Ex Ægypto fuisse originem mali, eamque facete depictam Juvenali. Hoc odium inde deportasse Judæos in Syriam: illis enim *adversus omnes alios hostile odium*, apud Tacitum. Christianos partim a Judæis ortos, etiam hic sibi nimium indulsisse contra dissentientes. Persas olim, Græcos, Romanos, hujus mali fere immunes fuisse. Ferre

enim

enim potuisse, si suos quisque populus coleret Deos, & sacra, quamvis a suis diversa, suo more perageret. Romulum forte prima illa & rigidissima ætate peregrinos Deos repulisse: postea postulasse rationem Reipublicæ, ut civitate donarentur. Nec tamen eandem semper Romanis fuisse mentem. Mœcenatem enim suadere Augusto apud Dionem, arcenda esse peregrina sacra, cum quibus etiam peregrinæ leges adsciscantur; unde coitiones nascantur & tumultus. Vicissim didicisse Romanos, proscribi etiam homines, si extera sacra proscriberentur, quorum zelo illi ducuntur. Regulam extare Marciani JC. in *L. I §. 1 D. de colleg. & corpor. Religionis causa coire* (collegia & corpora) *non prohibentur*. Exceptionem addi, *dum tamen per hoc non fiat contra SCtum, quo illicita collegia arceantur.* Interpretatur hæc Vir illustris de religione peregrina, publice quidem non recepta, nec tamen inter Romanos adhuc vetita. Aliena autem ab hoc textu putat, quæ notavit Cujacius *Lib. VII Obs. 30* ex *L. 20 C. Theod. de pagan. sacrif. & templ.* de Fredianis dendrophoris, aliis. Hos enim constituisse collegia eorundem Gentilium, neque adeo pertinuisse ad causam religionis peregrinæ, vel ad textum Marciani. Postumium, apud Livium *Lib. 39, 16*, de peregrinis sacris arcendis plus dixisse: minus autem sensisse, neque potuisse iterata illa totiens Decreta Romanorum recitare. Marcianum JC. per SC. quo illicita collegia prohiberentur, intelligere ipsum illud famosum nostrum SCtum, Sp. Postumio Albino, & Q. Martio Philippo Coss. propositum. Nec tamen approbat censuram Petri Pithœi, apud Scholiasten Juvenalis *Satyr. II v. 3* pro, *ex iis*, legentis, *ex SCto*. Et, nunc demum aggreditur monumentum, de quo sermo est, hactenus a nemine explicatum neque restitutum, tametsi a variis, Jac. Gronovio, Raph. Fabretto, Jo. Clerico, editum. Sic parte illius prima & secunda illustrat beneficio collationis veterem dictionem, *consuluerunt, SC. ARF. esent*, & scriptionem, *ubi eorum utr. a.* &, *adese pr. r. a.* Adhiberi hic prætextum religionis, etiam impie; qui non fuerit alius quam conscientiæ læsæ majestas. Placuisse enim huic succurrere adito Prætore, & interveniente toties Senatus cognitione: qua amputaretur occasio delinquendi, & turbandi

bandi Remp. non autem, ut omnis religio peregrina aboleretur. Tertiam partem noviter exponit Noster: eum virum, qui inter bacchantes sit, excludendum a Senatu tunc, quum deliberaretur, an quibusdam permittenda essent Bacchanalia, nec ne. Ea enim ratione constare, cur de viro, non de fœmina hic sermo sit; quum fœminis alias æque ut viris interdicta hæc fuerint. Atque hanc lectionem ut tueatur, *vir bacchas* est ipsi, qui inter bacchantes. In quarta parte minus occurrebat dubii. Parte quinta prohibentur omnes conjurationes bacchanales, quæ fieri dicuntur etiam convovendo, conspondendo, compromittendo, & fidem inter se dando. Additur, prohiberi hæc tam in publico, quam privato, & extra Urbem, nisi fiant cognita causa. Pro *in devoto*, maluit Noster, *inde voto*. Fabretti scripturam nemini intelligi. Extra urbem etiam vetari; quia jam pridem tota Italia personabant Bacchanalia. Liv. *L.39, 15.* Parte sexta: *Censuere omnes*, (pro homines,) *pridie Id. Quintil.* deinde, *interibi viri plus duobus, mulieres plus tribus*. Pars septima iterum nihil habet eximii. In parte autem ultima occurrit locus valde obscurus: *in diebus X faciatis, uti dimota sint bacchanalia in agro Turano* Fabrettus, & ex eo Clericus ediderant, *ut. ei dis. mota*. Sed ager ille *Teuranus* vel *Turanus* ecquis fuerit, *nondum*, inquit Noster, *potui scire, eumque juxta Romam, quin vel in tota Italia frustra quæsivi.* In illo autem agro, quisquis demum fuerit, potissimum videri convenisse bacchantes. Amovenda autem, & diruenda fuisse tam bacchanalia, i. e. coitiones bacchantium, quam omnia instrumenta, quæ ipsis inservirent.

Diocletianum & Maximianum, Impp. Gentiles, similiter cavisse contra Manichæos, ne quid novæ religionis turbaret Rempublicam. Manichæorum enim secta cum in Africa primum cœperit in Africa etiam oppositum illi esse hoc edictum, & ad proconsulem Africæ datum. De appellatione istorum ait se quædam jam annotasse *Lib. 1 c. 12 Observationum Juris Romani* ad *L. 4 pr. C. de haret.* non quod Arcadius & Honorius imitentur adoratores sectæ istius voce *Manichaeorum*, sed quod indicent, duplici nomine eos passim vocari. Utrosque autem meritissima severitate dicunt se persequi, quomodocunque se appellent.

Ori-

Originem hæreſeos arceſſi in textu Edicti ab otio. Ipſum enim conditorem, qui Manes vulgo audit, cum opibus per hereditatem affluerct, otio ſe & ſocordiæ dediſſe, & cum non haberet aliud quod ageret, condendæ novæ ſectæ autorem fuiſſe. Otium ergo hoc hortabatur eum, modum excedere *in communionem conditionis naturæ hominum.* Ubi non videbatur Noſtro *communio & turpitudo* dici eodem ſenſu. Per doctrinam ſuperſtitionis intelligi ipſum Manichæiſmum, non Chriſtianiſmum; ceu putaverit Marqu. Freherus. Religionem Gentilem recte defendi hic ab Impp. procul omni ratione, ſola autoritate cum ſua, tum majorum, (quamvis veterem Romanam Theologiam præ aliis Gentibus laudet etiam Euſebius, *præparat. Evang. L. 2 c. 10.*) Religionem enim Gentilium non potuiſſe rationibus perſuaderi. Quin ipſos veteres Chriſtianos non tam diſputationibus, quam ſuaſionibus putaſſe congrediendum cum adverſariis a religione diſſidentibus, & ſæpe plus profeciſſe piam ſimplicitatem, quam rationum acutam ſublimitatem. Veriſimile eſſe, Orthodoxos, quales ſibi eſſe videbantur, plurima Manichæis affinxiſſe; quæ, ſi verum quis amet, non uſquequaque fuerint vera, vel alia tamen mente prolata. Pro, *deterroribus religionibus*, retinet Noſter *veterioribus*, forte ex conjectura Cujacii. In iis quæ ſequuntur: *Hi enim, qui - opponunt, quæ divinitus conceſſa*, ſupplendum cenſet, *vetandi vel probibendi ſunt.* Reſpici autem ad illam doctrinam Manichæorum, qua abſtinerent a matrimoniis divinitus conceſſis, & uſu variorum eſculentorum, potulentorum. Statim: *quoniam nobis, de quibus Solertia tua Serenitati noſtræ retulit, Manichæos eos nuperrime* &c. Refert hic Noſter *nobis* ad antecedentia, *quæ divinitus conceſſa ſunt nobis.* Deinde tranſponit *eos: quoniam eos, de quibus.* Satis autem mirari nequit, Suidam in Νέρβας, Manichæorum dogma temporibus Nervæ tribuiſſe; nam ipſe Manes extinctus Noſtro eſt circa annum demum CCLXXX. Et nihil adhuc ſuccurrere, quo Suidæ autoritati poſſit conſuli. Quid ſit in textu Edicti, *iſtebas Leges Perſarum*, deſperatum fere videri. Reliqua ita collocat: *ne forte conentur per execrandas conſuetudines & iſtebas Leges Perſarum, innocentioris naturæ homines, Romanam Gentem modeſtam atque tranquillam,*

Epigrammatum libellum,) Gryphiswaldiæ, Lipsiæ, Marpurgi, & alibi. A. 1518 factus est Rector Scholæ Vesaliensis. Verum hinc abiit Marpurgum, ubi A. 1527 uxorem duxit. Sed ex hac quoque urbe Dulmonem tandem se contulit, Monasteriensis terræ oppidulum, ibique A. 1534 rebus humanis vale dixit. Unum hic omissum a Cl. Burckhardo deprehendimus, nempe originem cognominis, quod Buschius adsumsit, dum se appellavit *Herm. Buschium Pasiphilum*. Si conjectura id licet assequi, putaverim, Buschium id nominis retulisse ex Italia. Scilicet Itali non ferentes asperiora Germanorum nomina, emollire ea non dubitabant; id quod vel Reuchlini exemplum docet, quem ab Hermolao Barbaro nominatum esse *Capnionem*, pervulgata fama est. Pari itaque modo *Buschius Westphalus* transmutatus fuisse videtur in *Buschium Pasiphilum*. Sed hancce conjecturam ipsi damnabimus primi, quamprimum certiora fuerimus edocti ab alio.

Vitam hanc *Buschii* sequitur unus e præcipuis ejus libris, *Vallum humanitatis* inscriptus, quo artium humanitatis, scholasticis illius ævi maxime invisarum, strenuum suscepit patrocinium, earumque causam satis diserte egit satisque pro illa ætate erudite.

Quod attinet ad Cl. Editoris Dissertationem de doctis Germaniæ Equitibus, in ea, postquam præfatus est, nobilitatem magis a literarum studiis pendere, quam a natalibus, viroque sapienti ac literis exculto nobilius esse nihil, exhibet nobiles viros seculo XVI eruditionis laude conspicuos, *Joannem Camerarium Dalburgium*, magnum ævi sui Mœcenatem, factum tandem Episcopum Wormatiensem; *Theodericum de Pleningen; Bernardum Adelmannum; Joannem ex Lupis de Hermansgrun; Eitelwolfum de Lapide*, cujus Vitam & Melch. Adamus exhibet inter Vitas JCtorum; *Rodolphum Langium; Ulricum Huttenum; Conradum Mutianum Rufum; Bilibaldum Pirckheimerum; Hermannum Nuenarium Comitem;* & denique *Hermannum Buschium*. Ceterum semel iterumque in hoc volumine pollicitus est Clar. Burckhardus, se proxime etiam *Hermanni, Comitis Nuenarii*, Vitam descripturum esse: nec dubitamus, non minori eam applausu, quam Vitas Hutteni atque Buschii, exceptum iri.

Erratum: *Mense superiori p. 386 lin. 14 lege* JOANNES NICOLAUS.

Prostat cum hoc Mense Supplem. Tomi VII Sectio IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Novembris, Anno MDCCXX.

HISTOIRE DES PROVINCES UNIES des Paisbas.

i. e.

HISTORIA FOEDERATARUM BELGII Provinciarum, a tempore Pacis Westphalicæ, Autore Domino de WICQUEFORT.

Tom. I.

Hagæ Comitum, apud Thomam Johnson, 1719, fol. Alph. 12 pl. 15.

RES Fœderati Belgii ab origine ejusdem dudum consignaverant Scriptores celeberrimi, desiderabantur autem, qui gesta a tempore Pacis Monasteriensis accuratius posteris traderent. Provinciam hanc Status Hollandiæ demandabant Wicquefortio, civi suo, ob peritiam linguarum exoticarum, maxime vero negotiorum publicorum, ut & politum scribendi genus, huic rei expediundæ aptissimo. Vir iste in Gallorum, Anglorumque Regnis ærumnas varias perpessus, redux in patriam anno 1659, a Pensionario Wittio benignissime est exceptus, cujus & commendationi debuit, ut historiam patriæ conscribere juberetur, assignato ipsi salario haud illiberali. Nec nostri solertiam destituit ipse Wittius, documentis quippe huc facientibus ex Archivo publico prompte exhibitis. Verum Wittiis cruenta cæde sublatis, in Wicquefortium quoque tempestas illa detonuit, A. 1675 in custodiam raptum ac publica sententia perpetuo carceri, bonis etiam fisco addictis, damnatum, e quo demum A. 1679 solerti filiæ cura evasit.

Etenim Noster jam A. 1669 Steuckeris, Bibliopolis Hagensibus, locaverat hosce Commentarios prælo juris publici faciendos, quod quo minus tum fieret, infelicia Autoris fata obstitere. Et quamvis haud ita multo post Bibliopolis, reddito exemplo Wicquefortii manu exarato, licentiam concessissent Princeps Auriacus, & Hollandiæ Ordines, opus ipsum absolvendi, documentis quoque hanc in rem ex scriniis publicis denuo liberaliter communicatis, attamen, dum is qui ex Steuckeris superstes erat, detrimenta ex interrupto opere enata compensari vellet ab Ordinibus, impressio operis in diem dilata fuit, donec Steuckerus, neglecta penitus rei familiaris cura, omnibus fere ad rem agendam destitutus, A. 1717 vivere desiit. Hæc sane fuit ratio, quare opus desideratissimum omnium voto tardius lucem publicam aspexit, ut erroris adeo coargui possint, qui decreto propterea promulgato interdictam ejus publicationem existimaverant. Sub exordium operis paucis describitur origo & regimen Fœderati Belgii; hinc accurata instituitur consideratio, quis fuerit status Europæ tempore pacis Westphalicæ. Ex his iisque quæ postea evenerunt, nonnulla vel obiter delibasse, suffecerit. Cum Legatus Gallorum Destradius a Regina Anglorum Caroli I conjuge minus reverenter fuisset habitus, verbis quoque injuriosis in Richelium *ab illa prolatis*, postmodum vindictæ semper intentus, ignominiam turbas in Anglia excitatas callide fovendo satis ulciscebatur. Societas Indica Occidentalis apud Belgas tota Brasilia levi negotio fuit ejecta, quod, induciis licet cum Lusitanis pactis, eos quovis modo lacesseret, remque interim militarem penitus negligeret; licet ab omni perfidiæ nota nec Lusitani plane sint absolvendi. Rumorem tunc temporis sparserant Galli, Regis Hispaniarum filiam Regi suo nupturam, eique Belgium Hispanicum dotis nomine concedendum, in cujus vicem Hispani Catalauniam cum Comitatu Ruscinonis essent recepturi. Verum dum Galli alios fallere nituntur, ipsimet spe sua ceciderunt, Belgis quippe his rumoribus adeo perculsis, ut, Auriaca maxime maritum incitante, pacem cum Hispanis huc usque dilatam maturarent. Haud parum illud promovit negotium, quod

(Margin notes: L. I. p. 2. — 26. — 27-44. — 30. — 36. 115. 233. — 50. — 55. — L. II. p. 64.)

quod Hispani honores eosdem Belgicis Legatis exhibuissent, quibus affici solent Veneti. Ulturi facinus, uti jactabant, Galli, legem instaurabant, quondam ab Henrico III latam, scilicet navem amicam, in qua ulla res hostium deprehenderetur, diripere licere, quo obtentu plurimas Belgarum onerarias in potestatem suam redegerunt. Notari deinde meretur, Hollandiam præ reliquis Fœderatis gaudere jure denominandi Virum in Galliam ablegandum; nec injucunda, quæ de Commendis Ordinis Teutonici & Johannitici in Belgio multis commemorantur, quas maximam partem in usum politicum conversas frustra restitui postularunt Equites. Legatorum Ablegatorumque nomina ad distinguendos primi vel secundi ordinis Legatos medio Seculo XVII primum adhiberi cœpta. Excellentiæ vero titulus Seculo XV ferme finito Legatis demum est tributus. Infausto quodam siderum influxu Nostro videtur contigisse, quod spiritus rebelles uno eodemque anno 1648 Moscuæ, Londini, Lutetiæ, Messanæ, Neapoli, Constantinopoli, civium ingenia occupaverint. Motus civiles inter Arausionensem Wilhelmum II & Amstelodamenses solertissime recensentur. Cum Condæus Egvillonium possessione Portus Gratiæ dejiceret, & Richelium a connubio neptis Mazarinianæ dehortaretur, maximum sibi odium concitavit. Hispani & Fœderati Belgæ invicem se neutrarum fore partium anno 1650 promiserant, in cujus pacti legibus animadvertendum, merces neutri parte addictorum in navibus hostilibus repertas pœnæ commissi subjiciendas; res hostium vero in illorum navibus inventas liberas fuisse dimittendas. Wilhelmus II Arausionensis exitiosum sibi morbum contraxerat immodico venationis usu, autumni imprimis tempore sanitati maxime adverso. Princeps fuit, ex Wicquefortii sententia, præclaris animi dotibus excellens, quibus tamen sic usus est, ut timoris sibi plurimum, amoris parum in libera Republica conciliaret. Atque hic finitur historia Wicquefortiana. Sequuntur Documenta illustria, ad quæ antea passim in margine Commentariorum provocaverat Autor, eaque plusquam dimidiam operis partem efficiunt. Collegerat equidem & antehac Aitze-

p. 81, 232. — 82. — 408, 110. — 119. — 129. — L. III. p. 136. — 187. — 167. — 174. — L. 4. p. 201. — 253.

ma instrumenta ejusdem generis avthentica in Historia sua Belgica, at ea Wicquefortii solertia semisse ferme superavit. Inprimis eo Aitzemiana parum accepta fuerunt, quod non nisi Belgicæ linguæ gnaris inservirent, cum Wicquefortius & Belgica, & Anglica, Lusitanica, Hispanica omnia, ex altera statim pagellæ parte idiomate Gallico donata, exhibeat.

THE HISTORY OF ENGLAND FROM THE first Entrance of Julius Cæsar and the Romans &c.

h. e.

HISTORIA ANGLIÆ AB ADVENTU Julii Cæsaris & Romanorum usque ad Regnum Jacobi II, & inaugurationem Wilhelmi III & Mariæ; Autore LAURENTIO ECHARD, A. M. Archidiacono Stowensi.

Tomus I, II & III.

Londini, apud Jac. Tonson, T. I 1707, T. II & III 1718, fol. Alph. 32½.

Optime de civibus suis meritus est Cl. *Echardus*, qui, cum plerosque universalis Angliæ Historiæ scriptores vel steriles nimis, vel partium studio deditos, vel morosos & ob ordinem, quem servarunt minus decentem, parum lectu jucundos esse intellexisset, novum opus condere atque coævos pariter & recentiores scriptores tum editos tum in scriniis latentes consulere, historiarumque studiosos tot scripta volutandi labore levare constituit. In eo ita versatus est, ut neutri parti favere videretur, nec quicquam extollens nimium, nec vituperans, præterea vero id operam dedit maxime, ut rerum gestarum periodos rite distingueret, nec quadrata rotundis misceret, tum ut frequentes depingeret & Regum & Primatum characteres, (in quibus tamen exprimendis non usquequaque felicem fuisse Angli censent,) & argute dicta subinde interfereret, consiliaque prudentum studiose rimaretur. Et jam spem de

de se conceptam satis impleverat, edito duodecim abhinc annis Tomo I, quem a Julii Cæsaris potissimum ætate ad mortem usque Jacobi I deduxit, præmissa etiam Introductione, quam vocat, in qua de veteri Britannia ejusque incolis disseruit. Successere huic demum nuper Tomi duo, alter ad restaurationem Caroli II, & tertius ad inaugurationem Wilhelmi III & Mariæ productus, quos quartus deinceps, Wilhelmi hujus auspicatum regimen comprehensurus, excipiet. Etsi vero eandem fere ubique rationem servaverit, id tamen animadvertimus, Cl. Autorem in posterioribus Tomis sub finem cujusque anni eruditorum aliorumque virorum celebriorum in Anglia demortuorum mentionem fecisse, quod id, ni fallimur, optarent, qui in primo Tomo eam plane prætermissam dolebant. Ut igitur aliquid hinc speciminis loco in gratiam Historiæ literariæ cupidorum depromamus, eos ex eruditorum ordine hoc loco producemus, qui apud Ant. Wood & in Lexicis eruditorum hactenus excusis haud memorantur.

A. 1625 decessit *Johannes Fletcher*, Episcopi Londinensis filius, annos natus quadraginta novem, qui Dramatica excelluit, & Beaumontio, quem socium in hac arte habuit, decem, Shakespeario vero novem annis superstes fuit. A. 1627 *Johannes Hayward*, Legum Doctor, sed rerum Theologicarum peritior, qui Jacobi I Historiographus, in Collegio Chelseensi degens, scripsit historiam Henrici VIII & Eduardi VI, stylo quidem satyrico magis & dramatico, quam historico. A. 1633 *Henricus Ferrars*, Varvicensis, Heraldicæ, Genealogicæ & antiquitatum Anglicarum ingens lumen. A. 1634 *Georgius Chapman*, Poeta Dramaticus, versione etiam Homeri & Poetarum minorum inclytus. A. 1636 *Thomas Goad*, Theol. D. & Rector Hadlejensis, in Theologia, humanioribus, critica, historia, poesi excellens, qui a Jacobo I ad Synodum Dordracenam missus. A. 1641 *Richardus Montague*, Episcopus Norvicensis, Arminianis favens, sed Puritanis admodum infensus, ob varia scripta, inprimis quæ Seldeni Historiæ Decimarum omnium plausu opposuit, celebratus. A. 1642 *Johannes Suckling*, Regio ærario præfectus, ob summam ingenii vim, tum & poeseos & amœ-

T.II. p. 31.

55.

111.

113.

222.

277.

372.

amœniorum literarum cognitionem, *Delitiæ aulæ* & *Suavium* (Darling) *Musarum* dictus. Anno 1644 *Richardus Bakerus*, Londini in carcere anno ætatis 76 post varias ærumnas mortuus, qui ut in Theologia potissimum excelluit, ita magis innotuit edito Chronico Angliæ, quod tamen Noster methodicam potius locorum communium collectionem, quam justam historiam dicendum censet. Eodem anno *Thomas Johnson*, ex Apothecario Medicus excellens, & Botanicus sui temporis præstantissimus, dum Locumtenentis inde officio strenue fungeretur, globo trajectus occubuit. Anno 1645 duo Theologi decessere, *Daniel Fleatly*, & *Walterus Balconqual*, Scotus, quorum ille ob erudita scripta contra Pontificios edita, *decus religionis evangelicæ & nationis Anglicæ* vulgo dictus, hic vero nomine nationis Scoticæ ad Synodum Dordracenam missus est. A. 1649 *Eduardus Symmonds*, causæ Regiæ defensor acerrimus, qui non Vindicias modo Caroli I scripsit, sed & *ipsius* Regis *Iconem Regiam* primus vulgavit, quem librum, frustra obnitente Miltono aliisque, quinquagesies intra anni spatium impressum fuisse, Autor testatur. A. 1650 *Simon D'ewes*, ob studium antiquitatis Seldeno magni æstimatus, qui Historiam omnium Parliamentorum sub Elisabetha, & Bibliothecam MSptorum selectissimam reliquit. A. 1651 *Petrus Turnerus*, Medicus, Mathematicus, Criticus, Politicus, in Patribus præterea & conciliis egregie versatus, qui simul Professor Medicinæ in Collegio Greshamensi Londini & Geometriæ Oxonii fuit, pro Regis causa multa perpessus. A. 1652 *Eleonora Davies*, Johannis vidua, & filia Comitis de Castelhaven, supra sexum erudita, modesti sed excelsi animi fœmina, quæ multa effectu comprobata, dubium num spiritu enthusiastico, prædixit. A. 1654 *Rogerius Dodsworth*, cujus curæ maximam partem debentur vetusta monumenta a Dugdalio in Monastico Anglicano edita; & *Henricus Isaacson*, civis Londinensis, qui studiis Academicis haud imbutus, ad summum Chronologiæ, cujus ingens specimen edidit, fastigium pervenit.

p. 513. 545. 678. 700. 733. 741. 770.

T. III. p. 95. A. 1662 *Laurentius Rooke* decessit, Professor Astronomiæ & Geometriæ in Collegio Greshamensi, in primis Societatis

Regiæ

Regiæ Sociis ob variam eruditionem, modeſtiam & probitatem celebratiſſimus. A. 1665 *Wilh. Spurſtow*, aulæ Catharinæ Cantabrigiæ Præſes, Presbyterianis devotus, qui librum notiſſimum *Smectymnus*, quo Eccleſiæ Anglicanæ fundamenta ſubvertenda erant, cum *S*tephano *M*arshall, *E*dmundo *C*alamy, *T*homa *Y*oung & *M*atth. *N*ewcomen, quorum initialibus literis ipſe libri titulus conflatus eſt, compoſuit. A. 1673 *Thomas Browne*, Canonicus Vindeſorienſis, ſed ſub Cromvello pulſus, Capellanus inde Principis fœminæ Arauſionenſis in Belgio, Theologis Belgicis perfamiliaris, Carolo II reſtituto, reſtitutus & ipſe, Criticus, Orator, Caſuiſta & Theologus doctiſſimus. A. 1674 *Eduardus* Comes *Clarendonii*, Hiſtoria rebellionis Anglicæ, ante paucos annos edita, inclytus, Rothomagi anno ætatis 67 poſt ſeptennale exilium obiit, quo tempore Hiſtoriam modo memoratam ſcripſit, cujus tamen potior pars a reſtauratione Caroli II ad improſpera Clarendonii fata non ſine Anglorum dolore adhuc deſideratur. Ceterum eum ex Eduardi Walkeri, A. 1676 defuncti, ſchedis in Hiſtoria illa imprimis adjutum fuiſſe, alibi Autor teſtatur. Tacemus *Jo. Miltonum*, eodem cum Clarendonio ætatis & æræ Chriſtianæ anno mortuum, cujus libri aliqui publico decreto, poſt reſtitutum Carolum II, igne cremati ſunt. Ubi de *Whitelokio*, ſcriptore Comment. Hiſtoriæ Anglicanæ, A. 1675 mortuo, loquitur Autor, obſervat, eum exemplo libri ſui ad A. 1659 calamo adſcripſiſſe: *Uxor mea varias ſchedas ad publica negotia ſpectantes igne abſumpſit, unde hæ relationes minus perfectæ.* A. 1676 e vivis exceſſit *Johannes Ogilby*, Scotus, artis ſaltatoriæ primum magiſter, qui Poetarum inde verſionibus & multis editis voluminibus Regis & aulæ favorem meruit, ut mirum ſit, eum ſine ulla inſtitutione tot operibus parem fuiſſe. A. 1677 *Gilbertus Sheldon*, Archi-Epiſc. Cantuarienſis, cujus munificentiæ celebratiſſimum Theatrum Oxonienſe debetur; & *Iſaacus Barrow*, Londinenſis, Græcæ linguæ & Matheſeos in Academia Cantabrigienſi Profeſſor, ut & Geometriæ in Collegio Gresham. Lector & poſtea Collegii Trinitatis Cantabrigiæ Præſes, Vir in Theologia & varia eruditione verſatiſſi-

p. 144. 340. 369. 408. 401. 409. 436. 437.

tissimus, cujus singulæ conciones materiam, quam tractant, ita exhauriunt, ut tractatuum loco esse possint. A. 1678 *Franc. Potterus*, Rector ecclesiæ Kiningtonensis, & Socius Regiæ Societ. non minus scriptis de revelationibus & in Apocalypsin, quam novis inventis mechanicis, aquaticis imprimis, tum & Medicis, & methodo transfundendi sanguinem, nomen adeptus. A. 1679 *Rogerius Boyle*, Roberti frater, Hibernus, aulicus, miles, Poeta excellens, cujus imprimis tragœdiæ celebrantur. A. 1680 *Samuel Butler*, Worcestriensis, arte pictoria, Musica & Poetica, imprimis festivissimo poemate *Hudibras* dicto, celebratus. A. 1681 *Thomas Herbertus*, e Comitum Pembrociæ familia, qui post varia in Europa, Asia & Africa itinera, quorum descriptiones edidit, a Parliamento destinatus, ut Carolo I Regi captivo comes pariter & custos esset, cum ingenium ejus hac occasione optime explorasset, Commentarios eorum, quæ binis ante cædem Regis annis gesta sunt, animo ab omni partium studio alieno conscriptos, reliquit; & *Wilhelmus Lilly*, Medicus, qui nulla quidem Academica institutione usus, varias prædictiones Physicas & Astrologicas edidit, ut & historica scripta, in quibus Vitam Jacobi I & Caroli I memoravimus in his Actis Suppl. T. VI Sect. XI p. 513. A. 1682 *Philippus Warwick*, Caroli I Regis malorum socius, & Commentariorum ejus scriptor probus, divitiarum omnium & fortunarum contemtor strenuus. A. 1685 *Thomas Marshall*, Decanus Glocestriensis, & Criticus doctus, Gothicæ imprimis & Anglo-Saxonicæ linguæ probe gnarus. Denique A. 1688 Poetarum tersissimorum par decessit, *Edmundus Waller*, & *Thomas Flatman*, quorum illi debetur Anglici sermonis puritas ac suavitas, observaturque, ejus juvenilia his quæ septuaginta post annis elaboravit, minime cedere: hic vero subinde visus est paulo nimis in carmine lascivire.

p. 500. 568. 609. 668. 667. 789. 942.

ERNESTI SAL. CYPRIANI DISSERTATIO *de Propagatione Hæresium per Cantilenas. Accedit* CUNR. THEODORICI *Oratio de mixta Hæreticorum prudentia.*

Lo-

Londini, apud F. Fayram, 1720, 8, plag. 8.

NObiliſſimum par hoc opuſculorum, in Germania noſtra natorum, quæ Angli, ſuum & externis pretium ſtatuere gnari, ediderunt, non ſine ratione, ſed optimo potius conſilio coiiſſe nobis ſocietatem videtur. Alterum enim peculiare exemplum mixtæ hæreticorum prudentiæ ſuppeditat, alterum generatim eam contemplatur indolemque & varias ejus partes breviter exponit. Hoc viro jam diu inter cœlites agenti, ſed ſcriptis, quibus cœtum divinioris puræque doctrinæ tenacem ſibi obſtrinxit, etiamnum in terris viventi, perpetuoque victuro, Cunrado Theodorico, ſive ut frequentius eum appellari audias, Dieterico, Philoſopho ac Theologo Gieſſenſi, debemus. Illud parente ſe non inferiore commendat, Viro Celeberrimo, Erneſto Salomone Cypriano, Conſiliario Conſiſtoriali & Eccleſiaſtico in Aula Gothana, qui ut meritis atque eruditione æternum famæ decus ſibi dudum comparavit, ita vivus adhuc Eccleſiam ornat, atque ut ſperamus, bonique omnes vehementer optant, diu ornabit. Et capitibus quidem tractationem ille ſuam abſolvit quinque. Primo oſtendit, mutatis cantibus mores mutari, idque Platonis imprimis autoritate confirmat, qui ſi nonnullis ad modos potiſſimum muſicos, non cantica ipſa reſpexiſſe videatur, tamen haud potuit novam canendi rationem improbare, ut non eadem opera cantica nova, quæ multo etiam majoris momenti ſunt, quam modi, damnarit. Altero capite cauſam indagat, cur mutatio ea cantuum tantum ad mutandos mores poſſit, eamque a natura cantus & animorum, quem ille efficit, motu flexuque arceſſit. Gnarus ejus rei Lutherus noſter, cum repurganda eſſet Chriſtiana doctrina, cantica inprimis in ſubſidium vocavit, quorum vim atque utilitatem ipſorum adverſariorum, Conzenii & ante eum Eccii querelæ ſatis teſtatam reddunt. Tertium caput ad antiquitates Eccleſiaſticas, quarum notitiam Viro Celeberrimo ſibi noſtra ætate nemo comparavit uberiorem, lectores deducit, atque ex Plinio, Tertulliano & Juſtino Martyre morem canendi Chriſtianis proprium perpetuumque fuiſſe probat, dubitationesque tollit Quackerorum, cantica ex cultu divino pro-

 ſcri-

ſcribentium, & uſum eorum invictis rationibus demonſtrat. Quarto jam capite ad arcem cauſæ ſuæ pergit Vir Summe Reverendus, & quam facile hæreſes tum propter vim verborum & concentus, tum ob gratiam novitatis per cantilenas propagentur, docet, exemplis eam in rem uſus Valentini, Bardeſanis, Arii & Pauli Samoſateni. Quintum caput paræneticum eſt, quo oſtenditur, non facile novis cantionibus aditum ad Eccleſiam patefaciendum, ſed veteres potius retinendas, atque, ut merentur, magni faciendas eſſe. Novas cantiunculas obtrudentibus & Lutheri exemplo audaciam ſuam excuſantibus reſpondet, Lutheri cantilenas ab Eccleſia receptas & antiquiſſimas eſſe, verſiones quippe plerumque Pſalmorum, neque Luthero ſtatim quoscunque ejus æmulos perverſos componi poſſe, & præterea in cantibus novis nihil, cur veteribus præferendi ſint, reperiri. Subjectus eſt catalogus cantionum vernacula lingua decantari, Luthero ſuperſtite, ſolitarum, excerptus e bibliothecæ Gothanæ libro muſico, cui titulus eſt: *Hic cantionum Eccleſiaſticus liber ab Illuſtrisſimo Principe Saxonum, Sacrique Romani Imperii Electore Dn. Joanne Friderico, in hujus arcis novæ ſacellum comparatus eſt, ab Johanne Gewalthero, earundem eccleſiaſticarum cantionum moderatore, conſcriptus Anno ab orbe redemto milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, menſe Julio.*

Alterum jam opuſculorum horum eſt oratio panegyrica Gieſſæ A. MDCIIX habita, agitque, ſi præſtantiſſimum Theologum, rem paulo pluribus explicantem, ipſum audiamus: *de mixta hæreticorum, qua in pernicioſiſſimis dogmatibus ſuis perſuadendis ac ritibus novis introducendis, diſſeminandis & propagandis uti conſuevere, prudentia.* Præmiſſis paucis de ejus cum prudentia vera & Theologiæ veritate pugna, partes ejus ſeorſim explicantur, ita, ut quid hæreticis ſolenne ſit, primo indicetur in genere, deinde & exemplis ex hiſtoria Eccleſiaſtica antiquiori depromtis illuſtretur. Nempe illi pro vafritie ſua ante omnia doctrinas ſuas occultant, Samoſatenum, Petrum Anachoretam, Manetem, Arium, Leontium, Eunomium, Pelagium Pelagianosque imitati, cauſasque ejus occultationis varias, quas

metus

metus hominum, novis nondum adſuetorum, temporis occaſiones & calamitates, principesque ac magnates ſuppeditant, ſecuti. Neque autem perpetuo placita ſua, ſed ad tempus tantum occultant, atque interim majores expectant opportunitates, quas nacti amicos principum, poſt ipſos principes, eorumque ope alios, inferioris ſortis homines, ad partes pertrahunt ſuas, verioris doctrinæ aſſeclas convitiis proſcindunt eosque ſedibus ſuis expellunt, peſſimo cuique, modo eum ſibi addictum norint, deſtinatis. Hæc omnia, exemplis in luce clariſſima poſita, ſub finem orationis ad præſentia tempora paucis applicat orator, & cohortatione pia de cavendis hæreticorum artibus claudit.

DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM de religionis Chriſtianæ præſtantia ac divinitate Decas, cum oratione de crucis trophæis ac Chriſti triumphis & populorum ad Chriſtianiſmum converſione, Autore BENEDICTO PICTETO, Paſt. Eccl. Genev. & SS. Theol. Prof.

Genevæ, typis Fabri & Barrillot, 1719, 8.
Alph. 1 plag. 12.

NOn novum in his Actis nomen eſt *Benedicti Picteti*, Genevenſis Theologi celeberrimi, cujus Theologiam Chriſtianam gallice editam in Actis A. M DCC II p. 72 commendavimus. Jam producimus ejus Decadem diſſertationum de religionis chriſtianæ præſtantia & divinitate, de qua quædam commentari, & cum ſtudioſis rerum divinarum diſputando excutere, in animum induxit Vir. Clar. etſi non ignoraret, multos viros eruditos in ea pertractanda jam deſudaſſe, ut in *præfatione* docet. Viam autem ad ejus expoſitionem ſibi parat *diſſertatione præliminari*, in qua de examine religionum agit. Conqueritur c. I, quod homines id ut plurimum negligant, qui tamen c. II habeant animum, vi judicandi præditum, contemtoque hoc examine inſtar brutorum animantium ſe gerant, in graviſſimos errores incidant, & ſibi permultum damni af-

ferant. Quare contendit c. III, unumquemque oportere de veritate religionis suæ certum esse, quoniam in omnibus salutem consequi velle, vana sit persuasio, & ideo, c. IV, etiam a singulis requiri, ut ejusmodi examen religionis suæ instituant, suosque doctores fallere posse credant, nec illud, c. V, quod tantum verum a falso discernat & a doctorum examine, quod publicum & discussionis audiat, maximopere sit distinctum, inter ἀδύνατα referant, etsi in eo, c. VI, multum studii curæque ponendum sit, quia tantum characteres veræ religionis, quos cum, c. VII, recta ratio dictitet, tum Scriptura Sacra, c. VIII, suppeditet, attendendi sint. Dum ad rem ipsam accedit differt. *prima* ostendit, christianam religionem non tantum omne id veri bonique, quod in naturali, ethnica, Judaica & Muhammedana tradatur, continere & approbare, sed etiam falsa & turpia, quæ illa rata habent, rejicere & damnare. Ut vero palam fiat, prædictos veræ religionis characteres religioni veteris & novi Testamenti (Judaicam enim antiquam cum Christiana Clar. Autor jam conjungit) convenire, in differt. *secunda* ideam, quam utraque de Deo habet, producit, qua nec dignior, nec melior, nec sublimior, nec augustior excogitari, nec magnificentius quid dici possit; cui subjicit differt. *tertia* historias, rerumque in Vet. & N. Test. commemoratarum cum singularitatem & momentum, tum veritatem ostendit & de iis ita differit, ut & Mosen & Apostolos a fraude doloque malo alienos fuisse demonstret. Pari modo se gerit in differt. *quarta*, in qua de prophetiis tractat, & primum iis, quæ de Hierechuntis instauratore, de Cyro, de Hierosolymarum & Tyri excidio & de Imperatorum in Persica Græcaque monarchia successione in libris V. T. & imprimis in Danielis vaticinio leguntur, hinc & eas, quæ Messiam spectant & in libris N. T. habentur, exhibet, postea autem ea, quæ ad earum dignitatem valoremque imminuendum vel a veteribus vel a recentioribus excogitata sunt, summo studio infirmat & diluit. In differt. *quinta* descendit ad utriusque religionis V. & N. T. dogmata, quorum quædam ratio omnes homines doceat, quædam illa excogitare nequeat, quædam eidem adversentur & veritatis principiis a natura

tura mentibus impressis repugnent, saltem ab ea comprehendi nequeant, quædam porro sint, quæ circa nostram salutem versentur & quæ maximopere scire flagremus, nec vero aliunde innotescant, quædam gloriam Dei mirifice illustrent, quædam a rebus mundanis ad cœlestes nos evehant, quædam affectus nostros doment, & quædam denique animi tranquillitatem afferant; quæ omnia ita comparata sint, ut nec sanctiora nec sublimiora uspiam inveniantur. Quibus in dissertat. *sexta* succedunt leges, quas suis imponit christiana religio, quæ virtutem præcipiunt, vitia vetant, & ut quis erga Deum, erga alios, & erga se ipsum recte se gerat, jubent, quæ omnia ita declarat, ut doceat, iis nihil obesse, quod & gentiles ea, quæ honesta sint, mandaverint, leges Judaicæ ceremoniales sint abrogatæ, & Christus etiam leges tulerit, quæ vero neutiquam sint novæ sed veteres Mosaicas tantum illustreat. In dissertat. *septima* argumentum pro præstantia religionis christianæ Cl. Autori præbet regimen Ecclesiæ, quod vel internum, seu imperium in corda, vel externum, cum summum, quod penes Christum, tum ministeriale, quod penes Ecclesiæ ministros. In dissert. *octava* sacramenta, baptismus & sacra cœna, quibus testimonia suæ bonitatis sapientiæque extare & hominum imbecillitati Deus succurrere voluit; & in dissert. *nona* cum pœnæ, quas Deus improbis constituit, tum præmia declarantur, quæ credentibus pollicetur, quoniam Deus semper & justus & sanctus & verax permaneat. Extremo in eadem dissertatione primum miracula, tum populorum conversiones, tandemque martyria profert, quibus quicquid de veritate religionis christianæ dicere in animo habuit, obsignat. Appendicis loco conspicitur *oratio*, quam Cl. Autor A. 1712, cum magistratum academicum adiret, habuit, in qua rationem modumque, quo homines ad veram salutaremque religionem post adventum Salvatoris perducti sint, progressusque, quos illa in terrarum orbe per sedecim secula fecerit, dilucide exponit. Ceterum non omnibus satisfecisse videbitur Clar. Autor, dum objectioni Atheorum, homines coram Deo esse quasi merum nihil, nec Deum eorum cultum curare, non nisi his occurrit, *non esse probabile*, Deum sa-

pientiſſimum, ſanctiſſimum & optimum, qui homines creare voluit, & qui conſervat, non curare, ſive ab iis colatur, ſive ab iis ludibrio habeatur.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK, JC. & Senatoris, Opuſculum quintum, de Captatoriis inſtitutionibus & ſextum de Legatis pœnæ nomine.

PRiſca Gens interpretum, ait Vir illuſtris in præfatione opuſculi V, partem ſcivit, partem ignoravit, quid rei eſſet *captatoria inſtitutio.* Sed ipſa Gloſſa omnibus palmam præripuit. Nemo tamen integre omnia, quæ huc ſpectant, explicavit & emendavit. Præmittamus autem hanc veluti regulam: nullas & inutiles eſſe inſtitutiones Captatorias; quia eſt contra bonos mores, ex calliditate & fallacia, & per machinationes doli, atque improbam ſimulationem benevolentiæ, inſtituere aliquem captioſe, i. e. ſub conditione reciprocæ inſtitutionis, adeoque ſub ſpe aucupii, & lucri ex aliena hereditate per hamum eliciendi.

c. 1. Ortum prohibitio illarum habet ex SCto quodam, *L. 70. L. 71. de hered. inſtit.* Conſules ignorantur. Seneca *Lib. 6 de Benef. c. 38*

2. notat Arruntium & Aterium, artem profeſſos captandorum teſtamentorum. Senecæ tamen Suilius, Senator & Advocatus, idem objecit. Tac. *Ann. L. 23, 42.* In Baſilicis *Lib. 35 T. 9 c. 70* captatoriæ inſtitutiones dicuntur ἐνςάσεις, αἱ χάριν ἀμειβόμεναι. Et apud Harmenopulum *Lib. 5 Tit. 8.* Quum autem verbum ἀμείβειν ſit ambiguæ ſignificationis, non debuiſſe verti, *gratiam rependentes;* rependere enim gratiam licere, & eum viciſſim ſcribere heredem, qui me primum vero amore & ſincera voluntate ac bona fide ſcripſit: ſed *gratiam mutuantes, gratiam mutuam petentes, de futuro.* Ita de gratia futura intellexiſſe Cujacium: & allegare in hanc rem locum e Sophoclis Electra. Sed id duriuſculum eſſe. Gaji textum in *L. 64 de Legat. 1* paulo melius exprimere Baſilicos *Lib. XLIV Tit. 16. 20,* αἱ χάριν ἀνταμείψεως γραφαὶ, *ſcripturæ hoſtimenti ſive remunerationis gratia: fere enim futurum reſpicere.*

3. Textum Papiniani in *L. 70 de hered.*

hered. instit. ita interpungit Vir illustris, *institutiones, quæ Captatoriæ sunt, Senatus improbavit, non eas*, quæ mutuis affectionibus provocantur. Mentem JCti ita exponit, *quarum conditio confertur ad alterius* (qui captatur) *testamentum*, i. e. secretum voluntatis suæ. Alibi, *secreta judiciorum*, & *judicia secreta*. Quæ vero sit conditio, qua ita aucupamur, visum est Nostro inveniri in *L. 1 de his, quæ pro non script. hab.* ubi mentio L. Corneliæ. Quærit idem, an sit captatoria institutio: scripsi aliquem heredem, hoc animo & hac spe, ut vicissim ab eo scribar heres, *nulla tamen addita conditione*. Negat Noster, & adstipulatur Donello. Deinde ex apparatu vastæ eruditionis illustrat hæc duplici Dialogo Luciani mortuorum, Cnemonis & Damnippi, Cretetis & Diogenis. Quærit porro, an in textu Pauli *L. 1 pr. de hered. instit.* recte legatur *Mevius*, an *meus?* Et an apud Græcos interpretes, atque Harmenopulum recte adjiciatur *Paulus?* Antonium Augustinum putasse, vocem Παῦλος in Harmenopulo male fuisse additam. Remansisse autem, infert Noster, in Basilicis; perinde ut *Mevius* in *L. 71 pr. h.* Debuisse igitur Augustinum simul emendare utrobique. Exponit jam Vir illustris mentem Pauli in *L. 81 §. 1 de hered. instit.* quæ videbatur obstare Paulo in *L. 71 §. 1 d. t.* Ait enim, non esse captatorium, si testator dicat: *quanta ex parte me a Titio heredem institutum recitassem, ex ea parte Sempronius mihi heres esto.* Allatis variorum opinionibus respondet: conjungendam esse institutionem cum recitatione testamenti, ut una efficiatur sententia, nec sit diversitas inter duos actus. Utrumque referendum ad præteritum, scilicet plusquamperfectum subjunctivi, *recitassem.* Et hoc innuere verba Pauli ultima, *si nullum testamentum sit recitatum, deficere conditionem*, & remotam esse omnem etiam suspicionem captationis. Si scripsisset testator, *recitavero*, quod futuri temporis est, hoc esse captatorium. Pergit Vir illustris ad Pomponii textum in *L. 29 de hered. instit. Titius & Sejus &c.* Videbatur esse institutio mere captiosa: qua ex parte me heredem *scribent aut scripturi sunt*, ex ea heredes etiam mei postmodum sunto; in vim escæ & aucupii. Respondet Noster, *scriptum habuerit* esse ab *habuerim* in præterito, non ab *habuero* in futuro. Si a futuro, esset captatoria.

c. 4.

5.

6 & 7.

8.

9.

toria. Cumque hoc ipsum sit ambiguum, tabulas testamenti inter se esse comparandas, & tempora illarum intuenda. Si Cajum scripserant heredem Titius vel Sejus prius, quam is cogitare posset de remuneratoria, remota est suspicio captionis. Sequitur textus Labeonis *in L. 20 §. ult. de cond. instit.* ubi iterum monet Vir illustris, *τὸ instituisses* & *legasses* insinuare præteritum, & omnino non futurum. Ultimo capite comparat idem sententias Interpretum antiquiorum, Pauli de Castro & Jasonis. *Si Mevium heredem scribam, si & ipse me postea scripserit, ego, quamvis revocaverim testamentum (ut possum) Mevii tamen heres ero; sed ille non mihi:* Addit Noster, *optime, si ad revocationem captatoris referatur.*

C. II.

Lætissimo animo properamus ad opusculum ultimum de LEGATIS POENÆ NOMINE. Nulla fere Juris Romani particula Virum illustrem jam a puero habuit magis sollicitum, quam hæc ipsa. Cur enim vetus Jurisprudentia damnarit ista Legata, dum omnibus conditionibus, quæ a mera voluntate pendent, ab herede parendum sit, an & cur item in *pœnæ* speciem incidant conditiones quædam, apposita mulcta, Mevio cessura, quibus tamen itidem utamur sine fraude, vix quicquam reperiri, quo dignitas veterum JCtorum defendi, & cum reliqua Jurisprudentia componi possit. Alia ergo putat fuisse Legata *pœnæ* nomine apud veteres Autores, & *exempla*, quæ occurrunt, meliori ratione interpretatur, nec inter veterem & novam Jurisprudentiam hac parte quicquam censet interesse. Julium Capitolinum originem prohibitionis ab Antonino Pio arcessere. Sabinum tamen diu ante illum hoc saxum volvisse. *§. ult. I. de Legat.* Alios autem interpretes in ipsis Pandectis adhuc deprehendere, approbari quasdam adjectiones pœnæ ibi tum in hereditatibus tum in Legatis, ex vetere etiam Jurisprudentia, donec sequeretur Justiniani Lex *unica C. de his quæ pœn. nom. relinqu.* Prolixius non tractari argumentum hoc, quam in eodem illo *§. ult.* Interjecta ergo unica digressione, ad *L. 1 & L. 2 de his quæ pœn. caus. relinqu.* Justiniani doctrinam exhauriendam sibi sumpsit Vir nostra laude excellentior. Pœnæ causa in genere legari, quod coercendi

I.

cendi tantum heredis causa relinquitur, ait Ulpianus *Tit. 24, 17 L. 1 de penu legat.* Nam & usuræ nomen pœnæ accipiunt. *L. 40 de reb. cred. L. 90 de V. O.* locutione populari: *Inutiliter antea*, inquit Imperator *d. §. ult.* jure scilicet Pandectarum. Intelligunt autem hoc antiquiores interpretes de jure ante Pandectas, & Franciscus Balduinus conjicit, significari priorem quandam vetustioris Juris observationem, quo ejusmodi legata damnarentur; aliter enim sententiam Imperatoris vix posse defendi. Porro Imp. *pœnæ autem nomine legari videtur.* Non ait ore rotundo, *legatur.* Veteres ipsos JCtos locutos hic ore incerto & dubitabundo fere, observat Vir illustris. Theophilus, λεγατεύεσθαι δοκεῖ. Non ergo omnia exempla, quæ adducuntur toto *§. ult.* simpliciter & indistincte pertinent ad legata pœnæ nomine, etiam ex mente Imperatoris. Multum interesse inter conditionem & pœnam. Nec pœnale ideo est legatum, quando addidit testator, *pœnæ causa.* Neque enim veterem Jurisprudentiam ex sola formula æstimandam & conceptione verborum. Et facile alias abstinerent testatores a verbis pœnalibus, si legatum ideo esset statim pœnale & inutile. Si intersit vel testatoris vel legatarii vel alterius cujusquam, quod jussit vetuitve testator, apposita mulcta iterum non facit legatum pœnale, vel pœnæ, & tamen, quia utile est, committitur pœna. Si non intersit, ne tunc quidem ideo dicendum est legatum pœnæ; etsi Theophilus putet, τιμωρίας χάριν adjectum esse, quicquid coercet heredem, ut faciat eo magis vel non faciat. Nam & hoc genus legati valet, *si Capitolium ascenderit* vel non ascenderit heres, Sempronio Centum dato: vel *si Capuam ierit*, vel *si Mevius factus fuerit Consul.* Adjiciuntur hæ conditiones in modum pœnæ, nec tamen faciunt legatum pœnæ. Totum hoc facit *voluntas* defuncti. *L. 35 §. 3 de hered. instit.* Ideoque quid senserit, spectandum est. Ita jus esto, uti rei suæ quisque legasset. Hæc omnia autem ex mente JCtorum veterum in Pandectis. Ulpiani textus obscurior est Tit. XXIV, 17, *non ut legatum pertineat.* Mallet Vir illustris, *non ad legatum pertinens*, vel, *ut legatum non retineat.* Diversa est conditio, *si Mevius voluerit. L. 68 de hered. instit.* Nunc demum diserte pronunciat Vir illustris

c. 2.

3.

4.

sententiam suam, *legatum pœnæ esse*, quod in patris v. g. dominive pœnam illicite vel probrose datum, adeoque inutile est & nullum, ceu moribus impossibile, perinde ut illa quæ natura. Æque nullum esse, quod eo modo in heredis ipsius pœnam datum est. Hic autem exerit se & concurrit *pœna*, accurate dicta: puta, *nisi heres patriam prodiderit*, *nisi alimenta negaverit parentibus*, *nisi filium occiderit*, & quæ sunt similia, decem dato millia Titio. Maxime enim hic subest ac concurrit metus pœnæ publicæ ac vindictæ, si delinquat contra edicta Imperatorum aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent. Sed & si conditiones contra bonos mores tantum insertæ sint, vel derisoriæ, aut hujusmodi, quas prætores improbaverunt, utique improbæ sunt, & in pœnam, ideoque nullius momenti. *L. 9 L. 14 L. 15 de condit. instit.* Ratio prohibitionis altera allata a Theophilo, sola & vera est Nostro, quod ejusmodi legata proficiscantur non ex ἐυνόιᾳ καὶ φιλίᾳ τῇ περὶ τὸν λεγατάριον, ἀλλὰ μίσει τȣ̃ κληρονόμȣ, *benevolentia & vera amicitia erga legatarium, sed odio heredis*. Ex odio autem fit pœna hic, usu artis technico. Ita perit ἔμβλημα. Tribonianum voluisse non semel videri Juris novi autorem, ad commendationem Principis sui, etiam quum non fuerit, & constet, id ipsum veteres jam olim tradidisse, si non omnes, certe plurimos. Illustrantur hæc per *§. 23 I. de Legat.* collatum cum *L. 19 de opt. vel elect. leg. L. 75 §. pen. de Legat. 1, L. 76 pr. de V. O. L. 3 qui & a quib. manumiss. L. ult. C. comm. de Legat. & fideicommiss.* Sua sponte nunc pandit se connexio exemplorum, cum his, quæ præmisit Vir illustris, quæque in *§. ult. I. de Legat.* recensentur. Quod enim primo loco affertur, *veluti si quis scripserit: heres meus, si filiam suam Titio in matrimonio collocaverit, vel non, Sejo decem aurea dato*, si simpliciter & in tanta latitudine loquimur, nunquam fuit legatum pœnæ jure Pandectarum, neque adeo inutile. Utraque enim conditio potest esse & honesta & improba; quod ex personarum & circumstantiarum qualitate, an honeste possit filia Titio nubere, an Titius indignus nuptiis illius sit, facile judicandum. De his circumstantiis interpretamur Marcianum in *L. 2 de his quæ pœn. caus. Beneficio Legis* posse eam

c. 5.

tunc

tunc cuilibet nubere, dixit Gajus *L. 63 §. 1 de condit. & demonstr.* Sed fieri vicissim potest, ut non liceat semper cuilibet nubere. Quæritur enim in *L. 64 §. 1 d. t. an valeat conditio, si Aricia non nupserit.* Aricia, oppidum propinquum Romæ sed obscurum & modicum, Horatio *Lib. 1 Satyr. 5*, Valerio Maximo *L. 8 c. 2 in fine.* Forte, inquit Noster, non poterat facile alibi invenire maritum, quod ibi habitaret, ex quo erat gravi utero. Similiter, si testator scripserit, *heres meus si servum Stichum alienaverit, vel non, Titio X aureos dato*, non est legatum pœnæ, in ista latitudine. Illicita autem fit conditio, si heres jubeatur Stichum alienare, *ut cum bestiis depugnet*, ad *scholam bestiarum*, diceret Tertullianus, *Apolog. c. 35, L. 42 de contrah. empt.* Iterum enim proficisceretur hoc ab odio scribentis. Si putes, Tribonianum jactasse *quamplurimas Principum constitutiones*, & mox eas damnasse, ut Principem suum plus quam alios sapere intelligamus, *utere*, inquit Noster, *ingenio tuo.* Majoris autem longe infamiæ & turpitudinis censeri fuisse legata illa pœnæ nomine, quibus etiam Imperatores abstinuerint. Si enim nulla possit ratio fingi, cur privatus abstineret a legato pœnæ quod vulgo perhibetur c. 3, nedum allegari poterit aliqua, cur Princeps abstineat.

c. 6.

7.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, occasione opusculi V & VI Illustris Domini van BYNKERSHOECK.

c. 1.

ORiginem SCto de CAPTATORIIS INSTITUTIONIBUS videtur dedisse Lex Cornelia de falsis. Cujus occasione quatuor SCta diversorum COSS. occurrunt *Tit. 87 Collation. LL. Mos. & Rom.* Senatus enim cum pœnas Legis Corn. constitueret adversus eum, qui sibi hereditatem vel legatum adscripsisset, etiam has institutiones improbavit. *L. 1 de his, quæ pro non script. hab.* Videbatur autem captator similiter sibi aliquid contra bonam fidem, per improbam simulationem, & velut escam, velle adscribere in meo testamento, si me ad id potuisset dolo suo pellicere. Sub Nerone adeo Seneca scripsit contra hoc genus hominum, *de Benef. VI, 38, IV, 20*

& Epist. 95. Hadriano tribuitur laus prima ab Ulpiano *in L. ipr. si quis aliqu. testar. prohib.* ubi captari dicitur etiam legitima hereditas. Diocletianus & Maximianus anteriorem prohibitionem præsupponunt in *L. 25 C. de transact.* Domitianus etiam, cujus ætate scripsit Quintilianus, *declam. 325.* Criminatio Suilii parum nocuit Senecæ; damnabatur enim adempta bonorum parte & in insulas Baleares pellebatur, utpote pridem venalis & ferox animi, etiam extrema senecta. Eidem Suilii prævaricatio & perfidia plane venalis notatur *Ann. XI, 5.* Dio Cassius contra nihil tale de Seneca *f. 752.* Xiphilinus autem, cum nihil omitteret, hoc tamen de testamentis captandis non objecit. Et cum ad alia respondisset Seneca *de Vita beata*, hanc calumniam ne tetigit. Mea sententia ἀμείβειν apud JCtos in hac doctrina non est ambiguæ significationis, neque accipitur de gratia futura compensanda. Apud Sophoclem Electra *v. 33.34.* chorum fœminarum, ipsi optime cupientium & consolantium eam, alloquitur, ὦ παντοίας φιλότητας ἀμειβόμεναι χάριν, *O, quam multifariam amicitiam mihi rependitis, ac velut pretium permutatis.* Scholiastes, φίλη γὰρ καὶ αὕτη ἦν τούτων, *nam & ipsa fuerat amica earum antea; amicorum enim communio & permutatio est inter se.* De compensatione autem præteriti eadem Electra *v. 574,* ὡς πατὴρ ἀντίσταθμον τοῦ θηρὸς, ἐκθύσειε τὴν αὐτοῦ κόρην, *donec pater pro compensatione mactatæ feræ, suam mactaret filiam.* Par est ratio in textu Gaji. ἀντάμειψις enim est permutatio duarum rerum præsentium. Fabrotus ipse vertit, *scripturæ, remunerationis aut compensationis gratia facta.* Quæ stare non possunt cum captatoriis de futuro, neque cum versione Cujacii, *repensatio beneficii ante beneficium.* Græci interpretes poterant appellare ἔνστασιν ἀγκιστρεύουσαν, δελεάζουσαν, θηρατικὴν vel θηρευτικὴν, ἐξευτικὴν, *institutionem venatoriam*, quæ fit τῆς θήρας χάριν, aucupii gratia & per escam. Martialis 6, 63 *munera magna—sed misit in hamo.* Lapsi autem sunt Græci etiam alibi, & titulum 54 Libr. 60 inscribunt περὶ παραγγελιῶν, ubi tamen agitur de *interdictis aqua & igne*, non *de interdictis prætoris*, Lib. 58 Tit. 14. Melius iidem Lib. XI T. 2 c. 42: οὐ διὰ τοῦτο, ὅτι τοῦτο τὸ σύμφωνον θηρατείας

c. 2.

τῆς

τῆς ἐσομένης κληρονομίας ἕνεκεν, *captandæ hereditatis futuræ causa. L. 25 C. de transact.* Captationis verbum in *L. 70 de hered. instit.* generalius est; etiam de captione licita usurpatum Ulpiano *L. 1 pr. si quis aliqu. testar. prob.* de eo scil. qui satagit, ne sibi ex faucibus eripiatur hereditas legitima. *Secretum voluntatis* nostræ opponitur hic testamentis mutuis, quæ de præsenti fiunt simul. Institutiones enim captatoriæ pendent adhuc a conditione voluntatis nostræ, an captatorem velimus similiter instituere, nec ne. Et quia voluntas illa nostra adhuc incognita est captanti, conditio institutionis suæ dicitur conferri hactenus in secretum nostræ, ceu alienæ, voluntatis. Ratio Donelli non movet. Si enim constare potest, testatorem captantem simulato officio & non bona fide provocare voluntatem meam ad mutuam illius institutionem, conditio hæc hamata non est amplius tacita. Nec movet, animum illius non obstrinxisse me ad illam: nam ne tunc quidem obstringit ac cogit me, si hamo adhuc apertius fuisset usus. In priori Dialogo Luciani Cnemo omni studio ac consulto proferebat testamentum suum non bona fide conditum ἐς τὸ φανερὸν, ut Hermolaus invitaretur ad similem ardorem ac zelum captationis. Scripserat etiam Hermolaus testamentum reciproce, sed cum illud non publicaret, putabat Cnemon, jam captum eum esse: post obitum autem Cnemonis instar lupi cujusdam hamum ipsum cum esca, i. e. omnia bona ad se rapiebat Hermolaus; plane contra intentionem legis. Ex captando fiebat captator & ex decipiendo deceptor: nulla ergo erat & inutilis scriptura Cnemonis: utrobique enim suberat amor non verus nec sincera voluntas, sed mera simulatio & improba captio, quæ pulchre exequitur Noster *c. X p. 341.* De altero Dialogo idem dicendum. Hic enim aperte captabat uterque alterum mala fide; nec allegari poterat secretum alienæ voluntatis, quum utriusque testamentum, turpi conditione nixum, publice prostaret, atque miris consiliis fraudandi, quæ pessimas conditiones mentis involvunt ac produnt, atque omnem benevolentiam genuinam ejusque remunerationem excludunt, inter se certarent, ὑπερβαλλόμενοι τῇ κολακείᾳ. Credo, nil peccasse Ant. Augustinum.

c. 3.

4.

5.

c. 6 & 7. *Mendosus*, inquit, *est liber Harmenopuli in verbo* Παῦλος, *& in verbo* ἐῤῥώσθαι. *Alterum enim*, (Παῦλος) *deest, alterum additum est*. Utique ergo voluit, Παῦλος addi n. 5. Additumque est in Editione Dionys. Gothofredi 1587, qua utor: & ibidem omittitur ἐῤῥώσθαι, intellectum sub δὲ, pro ἀλλά. Neque mendose apud Paulum scriptum est *Mevius*. Non poterat enim in hoc principio aliquid præmittere de captione in alterius personam directa, quia nulla hic est captio. Papinianus dixerat *L. 70* de captatoriis. Commode Paulus *L. 71 pr. illæ autem tales non sunt, ubi institutio non est collata in secretum, mea voluntatis*, quid de futuro velim vel non velim. In exemplo poterat dicere, ex ea parte *meus* heres esto, quod fecere Basilici in L. 10 ἔςω μὲ κληρονόμος. Fabrotus omisit *meus*. Poterat etiam simpliciter, *heres esto*, sicut §. *1*, potuit tamen & personam mutare, quod fecere Basilici iterum. Mevius enim nominatur contemplatione Titii, ejus forte filius vel nepos. Porro sicut institutio, quæ non in testatoris, sed aliam personam confertur, non ideo fit captatoria, *pr. h.* ita institutio, quæ in aliam personam dirigitur, potest utique fieri captiosa. Utrobique enim persona ista est conjuncta & cara.

8. *§ 1 h. Recitassem*, & *Recitavero* indicat sane præteritum cum aliquo tractu; sed habet simul significationem futuro coalitam, etiam apud Grammaticos, & vocatur a Varrone *futurum exactum*. Plura Vossius *de Analog. L. 3 c. 13, 15*. Apud Gellium *L. 17 c. 7*. Scævola dicebat, hoc verbo, *quod subreptum erit*, non minus præteritum tempus ostendi quam futurum in Lege veteri Atinia. Sic & Paulus ad conditionem futuram respicere potuit, quasi dictum esset: *inanis esto Sempronii institutio, si non ipse ego* (*L. 38 §. 7 de pœnis*) *recitavi testamentum Titii cum illius institutione*, a qua conditione pendebat mea tota institutio. Eludere enim Titium non poterat aptius, quam invento hoc schemate. Dispar est sensus *L. 1 de his, quæ pro non script. hab.* Oblata enim hæc institutio, sed & rejecta fuit statim a Titio, ceu captiosa, atque indigna, cujus mentio fieret in ipsius testamento.

9. Mens Pomponii hic & ubique suprema lex esto: ad eam enim perpetim respiciendum potius, quam ad apices Grammaticorum. Mens illius inda-

indagatur ex cohærentia testamentorum. Idem ait Marcianus *L. 2 de his quæ pœn. causa relinqu. Ex voluntate defuncti apparere, an pœna sit, an conditio.* Non morabimur igitur, utrum ab *habuero*, an *habuerim*. Nam & tempora in *rim, ris, rit*, perinde ut in *ro*, nunc designant simpliciter rem præteritam, nunc habent significationem futuri exacti. Exempla iterum apud Voss. *Lib. 3 c. 15.* Tum vero certum est, eo tempore, quo scribebat testator verba hujus testamenti, in *L. 81 §. 1 & L. 29 d. t.* eum nondum recitasse testamentum Titii, (alias non sequeretur statim, *nullam secutam recitationem*;) neque accurate cognitum habuisse, quanta ex parte Titius & Sejus instituissent ipsum; alias eam partem non suspendisset usque ad publicationem testamentorum. Analysis igitur institutionis fit demum post mortem, & eo usque est in pendenti. Labeo præsupponit in *L. 20. §. ult. de condit. institut.* Cajum institutum a Titio fuisse bona fide, sed gradu forte secundo vel tertio, aut ei legasse pro viribus patrimonii tenuissimi centum, Titium vero a Cajo deinde ex generoso affectu institutum primo gradu & ex asse, aut ei legasse mille; Respondit: sufficere, dummodo aliquo gradu id factum comprobetur tabulis Titii, & vel tantillum Cajo legatum esset. Mens enim Caji non fuit alia. Caput 10 habet quædam miscellanea. Ultimo capite recensentur sententiæ aliorum Interpretum, antiquiorum & recentiorum. Paulum de Castro laudat Noster, & respondet ad dubitationem ejusdem. *Aliud est, si in futurum collata sit conditio*, & quæ sequuntur. Ea quomodo succincte cohæreant cum iis, quæ traduntur *c. X p. 341, nullam esse utriusque scripturam, captantis & captati*, simul & pari passu, eruditi lectoris relinquamus indagini.

c. 11.

In argumento de LEGATIS POENÆ NOMINE destituimur præter textum Sabini & rescriptum Antonini Pii, etiam rescripto D. Severi & Antonini, cujus fit mentio in *L. 2 de his quæ pœn. caus. rel.* Si ex usu artis loquimur, fatendum, legata *pœnæ nomine* non definiri accurate & integre, ne quidem hic a Justiniano, collatis veterum fragmentis. Non enim omnis conditio coercens heredem, facit legatum pœnæ nomine, nec inu-

c. 1.

inutile. Bene sentiunt, qui de jure etiam ante Pandectas loquuntur; sed inexplicabile illud nullibi evolvunt. Adacti autem sunt ad istam rationem dicendi; quia videbant, non aliter conciliari posse textus Pandectarum, per varia *ἐμβλήματα*, non *ἐμβλέμματα*, accommodatos ad Jus recentius. Noster contra felicissimo ingenio eluctatus, omnia illa, quæ hic occurrere videbantur dubia, secure præternavigavit. Vocabulum *τιμωρίας*, Theophilo usurpatum, rem quodammodo intricavit: neque enim pertinet hic ad usum artis, sed ad locutiones populares & criminales. Hinc *τιμωρία κεφαλική*, & *κεφαλικῶς τιμωρεῖσθαι*, Harmenopulo 1, 4, 28 & 3, 5, 95. Rectius Theophilus ipse vocat *χρηματικὴν ποινήν*, quæ cogit heredem aliquid facere, *καὶ παρὰ σκοπόν*, Jacobus Curtius, *vel contra animum suum*. Potius ad mentem testatoris referas; heres cogitur facere, etsi ad scopum intentionemque testatoris non collineet, vel penetret, sed inde aberret. *Ποινὴν* habent etiam veteres glossæ Juris. Atque iterum Theophilus, *τὸ πένοι νόμινε ληγάτι*. Sic enim plane distinguitur vocabulum artis ab usu vulgi. Harmenopulus etiam *πρόστιμον τὸ ἀπὸ τῆς τῶν συναλλαττέντων συμφωνίας καὶ αἱρεσκείας* de V.S. 42. Populariter porro loquitur Ulpianus Tit. XXIV, 17: *Pœnæ causa legatur hoc modo, si filiam tuam in matrimonio Titio collocaveris, X millia Sejo dato*. Neque enim hoc est legatum pœnæ, nec inutile. Quidni testator, filiæ heredis consultum volens, invitet eo modo heredem ad nuptias cum alio, quam Titio? Libertatem ergo adhuc habet heres, collocandi Titio vel non, *non ut legatum pertineat*. Nam non aufertur ei, metu pœnæ, libertas eligendi matrimonii, sed ad testamentum certa lege tantum invitatur. Papinianus *L. 71 §. 1 de condit. & demonstr.* Ita *m* pro *n* monstrat mentem Ulpiani. Conditio hæc coercens non facit legatum inutile: neque adeo fit legatum pœnæ. Contra non valet institutio, si *Mevius voluerit*, Sempronius heres esto. *L. 68 de hered. instit.* Nam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma esse oportere, ait Gajus *L. 32 pr. d. t.* non ex alieno arbitrio pendere. Voluntas defuncti regit conditiones, non voluntas aliena. *L. 19 pr. de condit. & demonstr.*

Per-

Perſpicue idem dixit Marcianus, *ex voluntate defuncti apparet*, an pœna, an conditio ſit, an translatio. Quia voluntas teſtatoris hæc inter ſe ſeparat. *L. 2 de his quæ pœnæ cauſa relinqu.* Dubium non eſt, Theophilum integrum habuiſſe Africani librum illum quæſtionum, e quo ſumpta eſt *L. 1* noſtra : certe integrum Africani locum illum, unde fragmentum noſtrum decerptum. Si vidit Theophilus igitur ibi τὸ *illicite vel probroſe*, qui potuit omittere promptum illum & nobiſcum natum λογισμὸν, & ſubſtituere aliam, tanto anteceſſore & in jure veterum verſatiſſimo indignam ratiunculam? *Lex improbat*, μισεῖ, *odit legatum, quod in arbitrio heredis poſitum eſt*. Atqui omnes illæ conditiones, de quibus actum c. 3, erant in arbitrio, & parendum iis tamen eſt. Legiſſem, inſerta negativa, τὸ ἐν τῇ γνώμῃ οὐκ ἀποκείμενον, quod *non* eſt in arbitrio viri boni poſitum. Sed vel ſic corrigenda eſſent etiam reliqua, quæ ſequuntur. Altera ratio Theophili utique ſtringit cauſam. Sumpta eſt ex Gloſſis verborum Juris, λεγάτον ἐστὶ δωρεὰ — εἰς δήλωσιν ἀγάπης, ἵνα ὁ λαβὼν αὐτὸ, ἀνάμνησιν ἔχῃ τοῦ τελευτήσαντος. Omitterem οὐ κληρονομίας, ſed ſupple ex Harmenopulo οὐ κατὰ λόγον κληρονομίας. Firmat nunc λογισμὸν Theophili Pomponius in *L. 54 pr. de Legat. 1: quæ legata denotandi magis legatarii gratia ſcribuntur, & odio ſcribentis, pro non ſcriptis habentur.* Quæ verba ſi in mente habuiſſet Africanus, tuto omitti poſſet τὸ *illicite vel probroſe*, & *talem*. Ac tota hæc lis eſſet compoſita, ſalva in reliquis Juſtiniani conſtitutione. *L. un. C. eod.* Nihil enim ibi de odio vel teſtatoris vel heredis erga legatarium. Ad c. 5 addo, conditionem poſſe etiam eſſe plane indifferentem, & tamen ei parendum, per ea, quæ dicta ſunt c. 3. Nam & hic licet teſtanti, pro implenda ſua voluntate, præcipere pecunias Titio dari, ſi minus diſpoſitionibus ſuis pareretur. Exemplum legati de ſervo longe pejus priori videbatur Noſtro, ac plane novum, & ex penu Triboniani profectum. Ulpianum *Tit. 24, 17* illud non habere, parum efficit : unico enim contentus erat. An nec quiſquam veterum id habeat alius, grandius poſtulatum. Si jubeat teſtator alienare Stichum ſibi ſuſpectum, utique de eo hic noluit cogitari a nobis Triboniа-

c. 4.

5.

6.

bonianus. Si jubeat non alienare servum *studendi causa* alio translatum, (de quo Paulus *Lib. 3 Tit. 6 §. 52*) decem aureorum legatum, Titio dandum, jure Pandectarum certe nunquam fuit in dubio, secundum ea, quæ supra vidimus. Justinianus autem cum nosset, ambiguum saltem tunc fuisse vocabulum *pœnæ* & nunc populariter, nunc technice usurpatum, de iis etiam legatis egit hic, quæ etsi non sint vere, videntur tamen esse pœnæ causa facta; quia pœnam adjectam habeant. Nullam manumissionem servi in testamento neque juberi recte posse neque prohiberi, itidem non putem dixisse Tribonianum. Id enim pugnaret cum Gajo *Lib. 1 Tit. 1 & 2* & Paulo 4, 14 multis modis, *add. Collat. LL. Mos. & Rom. 3, 3.* Alibi etiam vestigia occurrunt, Triboniano placuisse, ut Principem suum plusquam alios sapere intelligeremus. Nam & D. Augustum superare eum contendebat. *§. ult. I. de fideicommiss.* Quumque legata quædam pœnæ nomine ne Principes quidem agnoscere vellent, cum possent, cogitandum est, an impune tunc licuerit testatoribus scribere, *heres meus X millia dato Principi*, nisi patriam prodiderit, nisi filium Principis vel Augustam occiderit, nisi crimen læsæ Majestatis commiserit hoc vel illud. Quod ceu durum nemini in mentem venerit. Ex plurimis igitur Principalibus illis Constitutionibus fragmenta saltem quædam adhuc superesse optaremus. Ac tutius est, abstinentiam illam Principum intelligi de casibus capite 3 commemoratis, quibus adhuc poterant legata agnosci. Contra Principem autem utique ne cogitandum quidem. Si agnosci posset ab ipso legatum infame, res ipsa heredi injuncta etiam non esset amplius illicita, nec probrosa, nec legibus interdicta, sed plane possibilis: quod iterum repugnat.

c. 7.

ONUPHRII BONFIGLI DISSERTATIONES de Plica Polonica, de Peste ac ejus Contagio, & de abusu in Cura Febrium putridarum ac malignarum.

Cracoviæ, typis Francisci Cezary, 1720, 8.
Plag. 8.

Diver-

Diverso tempore Dissertationes hæ a clarissimo Bonfigli, Medico per totam Poloniam famigeratissimo, natione Italo, conscriptæ, nunc vero conjunctim luci publicæ expositæ sunt. Quod primam dissertationem de Plica Polonica attinet, cum inter veteres Medicos præter Herculem Saxonia, Thomam Minadoum, Rodericum a Fonseca, & Danielem Sennertum, eam nullus explicuerit, de ejus vanitate Davissonus contenderit, ac inter recentiores Christianus de Helwich in Historia morborum Vratislavensium veritatem vindicaverit, operæ pretium se facturum judicavit Noster, quid in Polonia, ubi maxime endemius existit Plica morbus, proprio sensu & praxi de ea sibi comparaverit, exponere. Plica scilicet ex Autoris mente, quanquam in Lithuania, Russia rubra, & Tartaria minore, ubi non solum ad humanum genus, sed etiam ad sues, canes, equos & alia bruta diffunditur, in Hungaria, aliisque terrarum locis observetur, Polonica tamen dicitur, quia nullibi tam fœcunde propagatur, nec indolis tam malignæ tyrannidem exercet suam, quam in Polonia: ubi quousque intacta religiose servatur, ac vegeta, corpus incolume a symptomatibus præservat; sin vero aut pectendo irritetur, aut tondeatur, subjectæ partes, in quas causa morbifica deponitur, periclitantur. Distinguenda autem est sincera Plica ab imaginaria; plebs enim rusticorum impura caput plectere nescia, cum in gramine sæpe degat, inter asperas herbas intricat capillos, quorum retortæ extremitates naturaliter intersecari variosque nodos formare debent; hinc ubi illius implicationis principia observant, germen veræ plicæ ad salutem pullulasse putantes, diligenter colunt, ut in fœdum & Medusæ simile ornamentum excrescat. Alii, dum difficili quadam vel longa infirmitudine vexantur, ipsam a Plica foveri suspicantur, & quia tunc caput pectere cessant, & lotionibus ex decocto brancæ ursinæ cum lupulo & musco terrestri utuntur, aut vino oleoque inungunt, quousque emplastrati crines consulto conglutinentur, arte tricas efficiunt, ut satisfaciant opinioni, morbum ad extra alliciendi, qui secum omnem causam e corpore asportet. Hoc tamen veram inter & imaginariam Plicam discriminis intercedit, quod legitima semper viscido quodam humore madida

 fit,

fit, præcipue in ſtipite; & ubi immediate implantatur, turgidiuſculos foveat capillos, ac ſtatim e cute proſiliens mirabiles interſectiones inchoet, gravemque ſpiret odorem; cum viciſſim in ſpuria, ab impuritate procedente, paleæ, vel ſimilia aliena ſimul cum crinibus intricata utplurimum abſcondantur, ſicque non in caudice, ſed potius in medio & circa extremitatem complicatio ſubſiſtat, atque capilli naturalem temperiem proportionemque non amiſerint. Legitima igitur Plica erit pilorum, utplurimum capitis, irregularis complicatio, vel tricis funiculorum ad inſtar productis, vel ad galeri formam ſuper calvariam compreſſis, propter ipſorum alimentum dyſcraſia peculiari alteratum a communi potiſſimum regionis diſpoſitione. Quodſi ergo in vera Plica ſalia oleoſa minus volatiliſata ſed aſperam viſciditatem adepta in bulbis capillorum conveniant, ac inde per tubulos ſubintrent ad illam usque diſtantiam, quæ latiorem locum penetrationi concedit, ad extrema vero anguſtiora propter craſſitiem pervenire non poſſint, retardantur in via, & prope ſtipitem cum majori concurſu ſubſiſtentia, canalem in latum taliter extendunt, ut dilatatum capillorum fiſſile corpus tandem cum rima crepare faciant, unde reſinoſus liquor, haud ſecus ac ex arbore fauciata, emanat, qui combinatus cum illo ex cutaneis poris exiliente præ copia adaugetur. Extrema interim capillorum pars a ſubtili conſueta irradiatione non ſatis refocillata, paulatim extenuata exſiccatur. Atque hæc ſunt Plicæ primordia, quæ a capillis incipit ſimul agglutinatis in immediato limite capitis, dum eorum retortæ cuſpides adhuc a pileo vel jacendo compreſſæ, ut una cum ſtipitis viſciditate adhæreant, illuc admoventur, & duplicantur, inter quorum interſtitia multiplices aliæ interſectiones inſinuatæ variis nodis intricantur. Augmentum præbent modum veteres capilli, quia radice ſecedentes cum plicatu concatenati ſemper retinentur, & relictis bulbis, virtutem nova emittendi germina non amittunt, quæ tenellula vix foras exilientia inter adultorum tenacem transſudationem agglutinantur, & quia ex cute excreſcendo adhærentem extremitatem elongare nequeunt, ſed corpus contorquere debent in

ar-

arcum, cum aliis continuo ſuccedentibus irregulariter intermiſti deformibus & ſpurcisſimis connectuntur tricis. Remotam Plicæ cauſam rejicit Autor Clariſſ. in abundantes particulas ſulphureas cum ſalibus volatilibus non rite digeſtas nec ſubtiliſatas, ſed in aſperam & rancidam viſciditatem ad inſtar olei amurcæ concretas. Ab hujusmodi enim humorum dyſcraſia, fixam & continuam fovente mineram, heterogeneum illud, quoties ad fermentationis gradum exaltatur, toties ſub capitis cutem utplurimum deponitur, & in capillorum radices penetrando ſucceſſive foras amandatur. Sin amurca plicoſa intro retineatur, vel ob internam fermentationem minus attenuantem, nec ſatis concocta heterogenea expellentem, vel ob extrinſecam excisionem, quæ aeri cauſam præbeat condenſandi affluentem humorem, ad extrema relictorum crinium oſcula, tunc rancidus ſanguis evadere ſolet, qui vel effervescendo vel aſpere circulando modo has modo illas excitat turbas, quantas diverſa particularum heterogenearum combinatio in disſimilibus temperamentis commovere poteſt. Talia morborum fermenta, quæ ſemel in ſanguine radicata multiplicativam virtutem poſſident, eo difficilius de toto ſupprimuntur, imo non tantum cum ſeminali ſpiritu patris vel nutrimento materno ſpecificum idearum ordinem retinentibus, in filiorum hæreditatem transfunduntur, verum etiam expanſiva eadem efficacia per contactum pilei aut pectinis a plicoſo tractati ſano capiti communicantur. Ubi autem nullus contactus neque hæreditaria infectio conjectetur, nullam aliam procatarcticam cauſam dignoſcere poteſt Clariſſ. Bonfigli, quam ſpecificam aquam in hac ſingulari regione, craſſam ſcilicet & pinguedine refertam. In terræ Polonicæ enim viſceribus oleoſam materiam foveri, ex bituminibus, & petrolei ſcaturiginibus, fontibus, thermis, ac mineris ſulphureis atque montibus ignivomis, in multis locis patentibus, deducit. Cum autem hactenus Plica, quia raro aut difficulter ſanatur, inter morbos incurabiles reputata, & quia paucis & inefficacibus fulta eſt remediis, ſoli etiam prognoſtico quaſi deſperate relicta fuerit, pietate ſincera ductus Autor veram ejus medelam ſubminiſtrare non dubitavit. Quoniam macula ſanguinis oleoſa ſta-

tiam & facile deleri nequit, ideo placidis & appropriatis abstergentibus prius eadem præparari debet, quam purgantia lenia, balnea, sanguinem purificantia specifica adhibeantur, qualia hic variis sub formis commendata leguntur. Hisque præmissis Plica tuto abscindi & caput abrasum semel quotidie ablui potest spiritu vini aut frumenti rectificato, vel cum lixivio communi, in quo foliasa ponariæ, parietariæ, radix cyclaminis, & semina staphisagriæ fuerunt incocta. Quæ lotio non est dimittenda, quousque capillos excretos pectine possimus colere; imo mox a principio eadem conducet, dum Plicam a contagio timeamus. Et ne ullus remaneat scrupulus retentæ reliquiæ, canterium in brachio saltem ad tempus aperiatur. Contra inveteratam vero crudeliori symptomatum syndrome sævientem Plicam magis aptum & efficacius non datur remedium, quam suffumigium cinnabaris artificialis: dum enim hæc accenditur, mercurius minerale sulphur, a quo fixabatur, relinquit, & in corporis poros penetrans novam sanguinis sulphuream ranciditatem amplectitur, quam simul raptam placide cum sudoribus extrahit, absque ullo salivationis discrimine, dummodo tali methodo administretur suffumigatio, qualis ab Autore describitur. Sed quoniam plurimi inveniuntur, qui timent, ne Plicam contrahant, aut jam contraxisse *suspicantur*, præservativam & incipientis morbi eradicativam essentiam commendat, atque pro aquæ correctione in qualibet ejus olla pauxillum turionum seu strobilorum pineastri vel abietis bullire jubet, divitibusque singulis potibus parum de spiritu vini anisato vel de pulvere quodam composito addere commendat.

In secunda Dissertatione Clarissimus Bonfigli pestem definit per morbum endemicum, vehementissime acutum, malignissimum, & contagiosum, præcipitanter ex uno populo plurimos afficientem, quorum plerosque interficit, & sæpius intra quatriduum; ejusque causam procatarcticam acidum esse nitro-aereum languescens, a denso miasmatis extranei concursu subjugatum, dicit. Sive igitur a planetarum influxu inter se oppositorum, sive a putridis effluviis vel mineris venenosis aeris

aeris systema pervertatur, certum tamen esse putat, corpuscula, quæ aeris balsamicam constitutionem in pestilentem pervertunt, alia esse non posse, quam sulphurea, cum spiritu alcalico corrosivo ad putrefactionis gradum digesta, & taliter exaltata, ut arsenici volatilis superent indolem. Pestis enim formalitas consistit in motu tam intestino quam locali spirituum vitalium specifica putredinali alteratione perturbato ab alcali urinoso, sulphur pingue sanguinis dissolvente, & vinculum ejusdem balsamicum corrumpente, post acidi nitri volatilis depressionem. Inter phænomena, quæ in Polonica peste occurrebant, observavit Autor in primo morbi insultu faciem inflammatam, & oculos igneos, summam lassitudinem, vomitum, cephalalgiam, & viscerum ardorem, dum exteriora frigida convellebantur; deinde maximas anxietates, constrictivum cordis dolorem, deliquia, singultum, phrenitidem, petechias utplurimum solito latiores, lupini granum æquiparantes, maculas per cutem late extensas vibicum instar livescentes, bubones, & carbunculos. Quemadmodum igitur Autor Clarissimus, ut alia, quæ prognosin concernunt, nunc prætereamus, multiplici exemplo comprobatum refert, illos, qui cauterii aut habitualis ulceris aut hæmorrhoidum expurgatione fruebantur, vel scabie, aut morbo venereo, (propter acidum, etsi vitiosum, istis morbis prædominans) veneno pestis rarius fuisse obnoxios; ita, ut a peste præserventur homines, æthereum acidum, tam aeris quam spirituum vitalium præcipuum constituens, in statu suo naturali conservare ejusque inimicas dispositiones removere jubet. Præter munditiem igitur, annonam boni nutrimenti & laudabilem diætam, ignem luculentum, nitrosum, sulphuris suffumigia, aceti vaporem & odorem, interne Elyxir Proprietatis cum spiritu sulphuris paratum commendat; suffitus vero ex lignis odoriferis, resinis, aromatibus, fumum Nicotianæ per tubum haustum, Theriacam, Mithridatium, & similia, tanquam noxia: scuta, sacculos, odorata, & plurima periapta ac amuleta ex bufonibus, arsenico & mercurio paranda, ceu superstitiosa damnat. In curandis tamen ægris theriacalia quidem, sed cum acidulato liquore dissoluta,

ast

aſt in phlogoſibus, excandeſcentiis, nimiis hæmorrhagiis, & ſudoribus colliquativis caute, adhibenda permittit; venæ ſectionem vero & purgantia exulare jubet, in humorum tamen turgeſcentia & plenitudine ſtomachi emeticum ex croco metallorum ſtatim a principio conducere putat. Qua ratione vero acidum vitæ volatile ſuſcitari, & per ſudores id, quod vel corruptum, vel corruptioni proximum eſt, expelli debeat, ſymptomatibusque occurrendum ſit, variis adjectis formulis docet.

In ultima Diſſertatione; ubi de abuſu circa curam putridarum malignarumque febrium agit, eos taxat, qui in principio illorum morborum purgantia propinant, qui in augmento venam aperiunt, qui in ſtatu frictionibus ægros, cucurbitulis, veſicatoriis, epithematibus, cordialibus miſturis, confectionibus, pulveribus, julepis & mille aliis ingratis pharmacis vexare non deſiſtunt, iisque vel omnem potum denegant, vel gelidum concedunt, aut juſto citius ſudorifera propinant medicamenta; & qui in declinatione, ubi vires potius paulatim ſunt refocillandæ, has ſuperfluis catharcticis denuo peſſundant.

D. MARTINI SCHURIGII, PHYSICI Dresdenſis, Spermatologia Hiſtorico-Medica h. e. ſeminis humani conſideratio Phyſico-Medico-Legalis.

Francof. ad Mœn. apud Jo. Beckium, 1720, 4.
Alph. 4 pl. 8.

AUtor Experientiſſimus non novis commentis & rationibus Eruditorum ingenia laceſſere, ſed collectis Obſervationibus Phyſiologiæ capita præcipua illuſtrare conſtituit, in quo negotio ipſis Autorum verbis utitur, ut diverſe ſentientium mens eo melius dignoſcatur. Orditur nunc a Spermatologia, ubi Cap. I de ſeminis eſſentia & materia, modoque ſecretionis, item de præternaturali ejusdem colore, odore, conſiſtentia, petrificatione, vermiculis, defectu, involuntaria & vitioſa excretione &c. tractat. Cap. II ſeminis officinam ſecretoriam, nempe Teſtes cum eorum appendicibus & involucro proponit; ubi arteriarum

p. 41.

rum

rum & venarum Spermaticarum tam defectus, quam abundantia, Testiculorum varia denominatio, structura, statusque vitiosus considerantur. Ratione numeri quandoque apparenter tantum, vel revera alter vel uterque Testiculus, & quidem modo a nativitate, modo ex variis causis deest, quandoque etiam plures, quam ordinarie, in triorchidibus, tetrorchidibus, & pentorchidibus, annotantur; & interdum in nimiam molem excrescunt vel etiam contabescunt; nonnunquam dantur quoque Testiculi calculosi. Circa Scrotum consideratur ejus structura, magnitudo excessiva ejusque defectus ex variis causis, item calculi in eodem reperti. Caput III ea sistit, quæ circa Penem Anatomia, tum analogice, tum præter analogiam suppeditat: agitur scilicet de varia Penis denominatione, derivatione, structura, erectione, rigiditate in mortuis, satyriasi, priapismo, naturali & extraordinaria penis magnitudine, retractione, privatione a veneficio, defectu ex variis causis, abundantia, substantia ossea, de penis glande, & quæ circa ejusdem perforationem extraordinarie occurrunt; item de pene nigro in infante albo, & albo in nigro; ut & de mentula in fronte, in naso, occipite & mamma, ex matris impressione: denique de penis cultu. Cap. IV usum seminis tam ratione ipsius subjecti quam propagationis, atque diversas Autorum sententias de generatione, an scilicet ex vermiculis fiat, necne, considerat, adductisque conceptuum tubariorum & ovulorum impraegnatorum exemplis, generationem non ex Martini Nabothi, sed Testiculorum ovario derivat; ad quam virile semen non materialiter sed tantum ratione spiritus genitalis concurrat. Et quamvis ad generationem certa ætas requiratur, multa tamen tam puerorum, quam senum, liberos generantium, exempla ibidem adducuntur. Mediante autem semine non modo vita, sed etiam sanus atque morbosus parentum status, virtutes item atque vitia liberis communicantur. Quo pertinent etiam morbi hæreditarii, ibidem allegati, qui quomodo non modo in proximos filios, sed etiam, his intactis, in remotiores & nepotes descendant, ratio & modus adducitur. Quamvis etiam ex semine humano homines, & ex brutali bruta ejusdem speciei, secundum naturam generentur, nihilominus etiam

p. 89.

152.

contra naturam non solum a brutis differentes inter se species, sed etiam homines, imo ab ipsis quoque hominibus bruta producta leguntur in citatis exemplis; circa cujus rei causam dissentiunt, vel de veritate penitus dubitant nonnulli Autores. Cap. V

p 222. coitus necessitatem, differentiam, tempus & modum in brutis, & ratione hominis coitum adversum & aversum, utriusque sexus in coitu voluptatem, manustuprationem nimiamque salacitatem, flagrorum & urticationis ad venerem usum describit; deinde nimii coitus noxam ex amentia, cerebro exsiccato, apoplexia, cordis palpitatione, syncope, epilepsia, testiculi scirrho, memoriæ defectu, cœcitate, canitie, sudore unius lateris, febre acuta, podagra, cholera sanguinea, lue venerea & ipsa morte probat; e contra etiam a coitu intermisso anorexiæ, delirii, maniæ, impotentiæ, epilepsiæ ipsiusque mortis exempla allegat, ideoque coitum moderatum tam præservative, quam curative in catarrhis, dysenteria, nimio mensium fluxu, melancholia, passione hysterica, furore uterino, chlorosi, fluore albo, gonorrhœa & lue venerea, in testiculorum tumore, odontalgia, scorbuto, febribus, epilepsia, gutta rosacea proficuum allegat, atque dictam in venere, inter alia ob longævitatem, cujus plurima adducuntur exempla, commendat. Denique sequitur coitus gravi-

316. darum, anque sit licitus; item cohæsio in coitu. Cap. VI *signa ex* genitalibus, arteriis spermaticis, testibus, scroto, pene, item ex se-

327. mine desumenda exponit. Cap. VII primo spermatis virilis usum medicum ad impotentiam, insensibilitatem in tortura, ad philtra, menses nimios, Lapidem Philosophorum, item ad Homunculum Paracelsi; deinde usum testiculorum, tum variorum animalium, v. g. apri, asini, canis, cervi, equi, leporis, vulpis, lupi, galli, anseris, cati, tum ipsius hominis; demumque brutorum priapos hominisque penem pro variis scopis inservi-

358. re, ex Autoribus probat. Cap. VIII, cum plerique Herniotomi testiculos, tanquam seminis officinam, sæpissime absque urgente necessitate, castratione resecare soleant, de hac operatione, deque castratis, eunuchis & spadonibus prolixe hoc loco agitur, & primo quidem de variis castrationis modis, circa quam Autor sententiam suam, scilicet Herniotomiam absque castratione fie-

ri

ri posse, & quæstionem, an Eunuchi ab Ecclesia sint excludendi? annectit. Cap. IX aliquot quæstiones Medico-Legales, circa testiculos occurrentes, scilicet de castratorum, monorchidum, triorchidum, tetrorchidum & κρυψόρχιdum potentia generandi & matrimonio ventilat; quarum prima est, an castrati cum fœminis coire, sperma effundere atque generare valeant, atque ita ad matrimonium sint admittendi? II, an monorchides æque ad generationem sint habiles, ac alii duobus, tribus vel pluribus dotati testiculis? III, an triorchides & tetrorchides monorchidibus seu diorchidibus ad coitum& generationem sint potentiores? IV, an maritus, uxore ad coitum incepta, ob copiam seminis concubinam substituere possit? V, an κρυψόρχιδες ad generationem & matrimonium apti sint? Denique inquiritur, an maniaci, leprosi seu elephantiaci ac podagrici curationis gratia castrandi? Cap. X Quæstiones medico-Legales circa penem ventilandas continet, I, an Phimosis generationem librorum impediat? ubi Phimoseos species tam ratione præputii adhærentis, aut tumidi, aut nimis longi, quam frenuli, cum earundem cura, hacque occasione varia atretarum nihilominus concipientium fœminarum exempla recensentur. II, an viri, quibus penis non in glandis parte anteriore, sed vel circa frenulum, vel in media urethræ parte vel circa radicem perforatus est, coitum fœcundum exercere possint? III, an penis nimis magnus, & quantæ magnitudinis tam crassities ejus, quam longitudo, quarum hæc ob certam curam non æque ac illa divortium causatur, coitum, generationem atque matrimonium impediat? IV, an nimis parvus penis congressum & matrimonium impediat? ad quam quæstionem rationibus, autoritate & exemplis negative respondetur. An vero ex publica inspectione de penis magnitudine & parvitate, tam ratione longitudinis & brevitatis, quam crassitiei & gracilitatis, possit judicari, dubitat Autor. Cap. XI de circumcisione, recutitione, atque infibulatione agit, & primo quidem de circumcisionis ortu, scopo & modo. Deinde an Judæi seu circumcisi recte dicantur recutiti, & non potius repræputiati, dubium movet Autor, tum recutitionis seu repræputiationis modum seu operationem chirurgicam, possibili-

p. 387.

451.

528.

bilitatem & scopum, in decore, voluptate ac fraude consisten-tem, explicat. Ratione præputii annectitur quæstio, an ex ejusdem frenulo signum virginitatis virilis desumi possit? Cap. XII continet quæstiones coitum spectantes, an scilicet morbi cujusdam curandi gratia coitus indifferenter suadendus vel etiam dissuadendus sit? e g. cum uxore phthisi laborante, qui affectus contagiosus esse exemplis probatur. Cap. XIII varias Hermaphroditorum species & conditiones variaque utriusque sexus exempla comprehendit. An autem dentur Hermaphroditi perfecti seu utroque sexu perfecte instructi, ita ut utroque sexu potentes sint, plerique equidem negant, alii tamen per exempla, non modo in hominibus sed variis quoque brutis observata, affirmant. Porro de Hermaphroditorum caussis, Baptismi nominisque impositione, de masculi, fœminei & dubii seu incerti sexus signis, deque ipsorum matrimonio contrahendo, & Juramento circa sexus electionem deponendo, item de aliis quæstionibus Politico-Juridicis agitur. Huic materiæ denique annexa est quæstio: an detur conceptio hermaphroditica, sive an Hermaphroditus ex utroque sexu perfectus intra & per se ipsum, absque alterius personæ cohabitatione generare & concipere possit? Item, an Adamus fuerit Androgynus? Cumque secundum hactenus dicta, membra sexum alterutrum *distinguentia* quandoque ex occulto emergant, & in conspectum veniant, Tractatus hic materia de sexus permutatione concluditur.

De cetero cum Clariss. Autor varias, quas ipse fecit, observationes huic operi hinc inde insperserit, quasdam ex illis allegasse juvabit. Sic Nobilis cujusdam mentionem injicit, qui olim vix decimum tertium ætatis annum ingressus in veneris palæstra jamjam per tempus aliquod pro viribus fortiter exercitatus erat, idque mali inde sibi contraxerat, ut matrimonium ante aliquot annos meditans largam equidem seminis, nimis tamen fluidi & aquei, quantitatem tam per somnum, quam in aspectu virginum & amasiæ excerneret, citra tamen ullam voluptatem penisque erectionem, quippe quæ ipsi vigilanti etiam nunquam cum debita rigiditate contingebat, li-

p. 21.

cet

cet in optima ætate adhuc esset constitutus. Duo porro exempla allegat eorum, quorum scrotum in nimiam amplitudinem excreverat; unum Nobilis cujusdam, viri maxime proceri & quadrati, qui scrotum in talem magnitudinem tam ratione longitudinis quam latitudinis habebat expansum, ut genua attingeret, atque fovea illa, per quam urina excernebatur, visum omnino fugeret. E contra duo alia foramina seu sinus reperiebantur, materiam ichorosam adeoque corrosivam plorantes, ut non solum partes vicinas, sed & manus Chirurgi arroderet. Stilo hi cereo in ista foramina immisso magni ultra spithamæ longitudinem hinc inde currentes offendebantur; quorum uno aperto, denuo alii sinus versus latera in conspectum veniebant, ex quibus semper novus fœtor abominabilis exhalabat, a quo tandem Chirurgus morbum periculosum cum erosione & plurimis vesiculis corrodentibus per totum corpus sibi contraxerat. Hoc pondus Nobilis per multos annos fascia lata a collo suspensum gestarat. Alterum exemplum pistor quidam præbet, qui scrotum longe caput humanum, etiam maximum, superans, habebat, hancque horrendam osteocelen a principio ex sacci frumento repleti elevatione sibi contraxerat. Solere vero scrotum sphacelo corruptum & abscissum a natura restitui, binis aliis comprobat historiis. Phymosin describit in cive Budissino, qui a prima conformatione tanta præputii coarctatione laboravit, ut urinam vix ad culmi straminei crassitudinem reddere potuerit. Adultus demum operationem chirurgicam quidem admisit, in præputio tamen aliqualem adhuc angustiam retinuit, ut ad urinæ & seminis excretionem vix sufficienter glandem detegere potuerit, pater tamen in matrimonio quinque liberorum factus. Tandem cancrum penis contraxit, non alio modo quam per amputationem membri curandum, urinam interim per instrumentum ligneum mittens. De spermatis virilis usu dum loquitur, ad torturæ insensibilitatem illud facere, testatur, atque exemplo probat cujusdam patibuli candidati, qui rotulas ex semine & stercore proprio paratas proxime ante torturam deglutiens sub maximo etiam torturæ gradu,

p. 80.

84.

120.

327.

p. 365. du, cui aliquoties subjectus fuerat, nihil fassus est. In duobus herniosis post fata sectis observavit, in utroque latere vasa spermatica ad calami scriptorii crassitiem a disrupto peritonæi processu distantia, qui per se & sine horum vasorum contactu ligari atque constringi potuerint, ita ut castratione in hernia curanda non semper opus sit. Tandem cuidam in furto de-
515. prehenso vetulam obstetricem membrum virile ad duas tertias cultro abscidisse refert, qui postea nihilominus liberos generavit.

EXERCITATIO POLITICA DE LICENtia peregrinandi legibus circumscribenda & dirigenda in utilitatem summorum Imperantium & Reipublicæ. Adduntur monita quædam Virorum illustrium juventuti peregrinanti observanda, nunc maximam partem prima vice edita a GOTTLIEB SAMUELE TREUER.

Lipsiæ & Wolffenbütt. impressum Helmstadii, 1720, 4.
Pl. 24.

Occasionem, quæ ortum operi dederit, Cl. Autor in præfamine exponit; quod meditans de inconsulta peregrinandi licentia, partim Lansii assertis excitatus, partim edicto nuperrimo Potentissimi Borussiæ Regis, peregrinandi pruritum prudenter coercentis, motus, dissertationem hanc composuerit. Non placuit ipsi recepta apud plures prudentiæ scriptores vaga methodus, sine ordine ac regula, quæ occurrunt omnia consarcinandi, sed distincte, & quid emolumenti, & quid incommodi ex itineribus capiatur, explicat, ut utrumque una trutinantes, quorum hæc perpendere interest, eo felicius de legibus, quarum necessitatem Cl. Autor urget, statuere possint. Et ne vel inexperta res aliis videatur, aliis tædiosa sit lectio continuæ præceptorum seriei, singula fere, quæ affert, politicorum aliorumque qui de arte peregrinandi scripserunt, effatis & exemplis condit ac roborat. Ad calcem adjicit 1) Viri alicujus Illustris regulas in itineribus, ab ephoris imprimis juve-

num

num peregrinantium observandas, quas annotatis suis explicat ac illustrat. Tradidit illas Cel. Autori Suecus quidam, tanquam ex scriniis illustris familiæ Suecicæ commodatas, quas tamen Cl. Autor non spernendis argumentis in Germania natas suspicatur. 2) Generosissimæ matronæ institutionem filii unici in Academiam abiturientis, quas vel eo admodum commendari censet, quod ex voto parentis filium eruditissimum ac optimum virum reddiderint. 3) Institutiones Ministri status magni nominis ad agnatos suos. 4) Instructionem Dn. de *Seckendorff* ad ephorum agnatorum suorum. 5) B.D. *Mart. Geieri*, morientis, monita ad filium. Ipsius operis summa hæc est. Cum plurimis prudentium populorum exemplis constet, eas quoque actiones Legibus civilibus subjici, quæ alias indifferentes vocantur, peregrinationes certe, quoniam sæpe in damnum reipublicæ vergunt, juste a principibus lege circumscribuntur. His ut facem Cl. Autor præferat, 1. commoda, quæ in Rempublicam ex peregrinationibus civium redundant, exponit, 2. damna, quæ enascuntur inde, recenset. Monstrat itaque, quomodo ex diversarum gentium moribus, diversitate legum &c. politica prudentia eorum, qui clavo reipublicæ olim admovendi sunt, præclare augeri possit. (Obiter hic lectori indicamus, quod Cl. Autor in notis doceat, sibi Parisiis quondam versanti *P. le Long* narrasse, autorem libri: l'Espion dans les Cours des Princes Chrétiens, Marianam quendam Italum, magni ingenii sed infortunatum virum, fuisse. Docet &, quod nulla gens tam fera sit, quin ex vicinorum sapientia multum profecerit, licet contrarium de Danis in eorum odium olim asseruerit Molesworth. Quod ex itineribus, quæ Russorum Imperator vel ipse suscepit, vel aliis suscipienda injunxit, factum sit, ut in inculta illa antea regione scholæ erectæ, politia emendata, ipsa vestiendi ratio Russica cum Anglicana permutata, & horrida illa ac promissa barba, quam religiose hactenus coluerant Russi, Imperatoris nutu abrasa fuerit. Disci ex itineribus diversissimorum populorum indolem, cujus exquisita notitia ex libris hujus generis, quorum lectionem Autor non damnat, frustra speratur, cum

§. 1, 2.

3.

4.

5.

6.

Segni-

Segnius irritent animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

§. 7. Cum peregrinando, & cum aliis ſubinde hominibus converſando, incidamus ſæpe in eos, quibus prudenter indulgendum, mox in alios, quibus in loco reſiſtendum eſt, fieri, ut domeſtica & pluribus agnata animi ferocia jugiter exuatur. Ita enim aſſueſcimus neminem contemnere, cum experientia doceamur, fabulas eſſe, quæ de aliarum gentium abjectis moribus olim imbibimus. Et hac occaſione Cl. Autor, cum Dn. *de Callieres*, Gallis dicam ſcribit, qui propterea ſe ſolos ſapere credunt, quod fines ſuos raro egrediantur. Obſervat, idem in cauſa eſſe, ut Veneti ut plurimum Lombardiſmo laborent. Inde vero Cl. Autor pergens, recenſet detrimenta, quæ ex intempeſtiva peregrinatione naſcuntur, quorum primum facit,

8. quod peregrinantes juvenes liberrimum peccandi campum tunc ſibi pandi rati, corpus morbidum animumque rudem domum reportent, & cum mature muneribus dein admoveantur ac negotiis obruantur, illos ad perpetuos ignorantiæ carceres quaſi damnatos videri. Quod graphice Vayerius jam depinxit, licet ſceptico more ſuo omnem peregrinationem reprehendat.

9. Imbui præterea ex peregrinantibus multos vano de præſtantia formæ peregrini regiminis præjudicio, ut omnia *in exteris* probent, omniaque in patriis legibus nauſeent. Confirmari enim hoc exemplis Vononis Parthi, ex Tacito, exitioſos ſibi Romanorum mores domum afferentis; Ponceti cujusdam, deſpoticum Turcarum regimen in Gallia introducturi, quo magnatum animi ad illam Chriſtiano nomini indignam lanienam Pariſienſem præparabantur, tum & Comitis Arundelliani ac Dudleji apud Anglos.

10. Ita patriam religionem ſæpiſſime vel corrumpi vel exui a privatis, cum, qui multum ſunt peregrinati, aliis altius ſapere ſibi videantur. In Principibus vero ob neceſſarias ſæpe ſimulationes ac diſſimulationes, crebras commeſſationes, & rarum patriæ religionis exercitium, frigeſcere demum amorem hujus, imprimis cum accedant vaferrimæ peregrinarum gentium artes, quibus pertrahant in ſuam ſententiam Principes.

11. Mores ineptos ac thraſonicos, ex aliis regionibus, imprimis ex Gal-

Gallia sæpius afferri, qui teneras mentes incautas ad imitationem facillime alliciant. Et Machiavellum, si revivisceret, mentem haud dubie mutaturum, ac cum vel ideo præclare de Germanis statuisset, quod domi manserint, nec peste alienorum morum patriam inquinaverint, nunc longe alia omnia fieri. Ipsos Helvetos priscæ virtutis gloriam perdidisse, postquam cives apud exteros stipendia merentes domum redierunt, & Batavis nunc merito exprobrari, quod ad Gallorum mores prorsus se componere studeant. Multum æris temere exportari, ut, si quis calculum inire vellet; quantum excursionibus Germanorum quotannis impendatur, cum sæpe unus ex privatis 20 florenorum millia profundat, nihilque nisi vanam & ridiculam supellectilem domum reportet, ingentem argenti copiam inepte dispersam sit deprehensurus. Sentientes hoc Principes non nullos, modum isti peregrinandi libidini posuisse, vel expresse ejusmodi itineribus interdicendo, vel ludos equestres instituendo, ne quis vano prætextu morbum hunc palliare posset. Qua occasione prudentissimum Regis Borussiæ edictum integrum hic exhibetur. Easdem leges Neapolitanis, Anglis, Scotis, Danis & Suecis scriptas esse, ex Vayerio confirmatur. Acturus itaque curatius Cl. Autor de licentia peregrinandi, circumstantias gnaviter perpendere jubet. Esse enim triplicem hominum sortem; vel Magnates, vel medii, vel imi loci homines. Varias esse itinerum rationes, quæ magnates suscipiant ac principes juventutis, posse tamen & hos sæpe prudenter a peregrinationibus arceri, exemplis docetur. Ex mediæ sortis hominibus peregrinationem non cunctis sed illis duntaxat, qui publico olim prodesse possunt, concedi suadet. Ubi vehementer probat consilium Dn. *Veiras*, in Historia Sevarambica, nec non institutum Ludovici XIV, politicam Academiam A. 1712 erigentis, qua juvenes nobiles, qui defæcatioris sunt ingenii, ad gerenda negotia publica præparentur, archiva omnia ipsis pateant, & a docto Viro regni arcana explicentur, & sic eruditi peregrinas in regiones ablegentur. Unde & opificum excursiones plurimis in Germaniæ

§. 12.

13.

14.

15.

16.

regionibus usitatæ, imo sæpius lege injunctæ, penitus improbantur, cum fini illis proposito Principes ita commode medeantur, ut Gallorum Anglorumque exemplo solertes ac ingeniosos opificum magistros ad se alliciant, qui in patria juvenes

§. 17. instruant. Temporis rationem porro in concedendis peregrinationibus habendam esse monet, cum sæpe Reipublicæ intersit, ut cives sint præsentes, sæpe ne suspectæ fidei homines emigrent; quid? quod certæ conditionis homines, ministri status, medici, ac sacerdotes, vel pestis, vel alio turbulento tempo-

18. re, ut in patria maneant, cogi possint. Ætatem peregrinantium respiciens taxat, quod juvenes ante ablegentur, quam judicium ipsorum satis maturuerit, cum tamen ita nec rebus observandis pares, nec ferocientem animum continendi satis idonei

19. sint. Taxat tamen Platonem quamvis ante quadragesimum annum peregrinationem prohibentem, & Dn. *Veiras*, nolentem, ut quis excurrat, nisi tres minimum liberos tanquam reditus sui pignora reliquerit. Ea enim ætate vel corpus molestiæ itineris ferendæ par non amplius esse, vel emori homines, antequam publicæ rei iis, quæ addidicerunt, prodesse queant. Ætatem quidem aptissimam esse virilem vel juventuti proximam, quando & impetus juvenilis deferbuit, & judicium magis est confir-

20. matum. Hinc de provinciis quoque dispicit, quæ adeundæ sint peregrinantibus. Multos ideo iter in Italiam improbasse, quod speciosa sacrorum pompa animus tener facile ad castra Pontificiorum pertrahatur. Confirmat autem

21. Cel. Autor testimoniis ac exemplis, quod, nisi quis in superstitionem jam sit pronus, vix melior occasio occurrat, nauseandi Romanorum religionem, quam si quis Romam Romanumque clerum oculis lustraverit. Noster imprimis Germaniam

22. nostris commendat, cum ibi occasio sit Viros doctos compellandi, & bibliothecas exquisitas visendi, nec parum emolumenti ex notitia patriæ redundet. Finem denique, quem sibi præ-

23. fixere peregrinantes, attendendum studiose esse observat, ne muscarum instar hinc inde divagentur. Ubi denuo commendat Borussiæ Regis institutum, curiose ab iis, qui Rhenum

trans-

transcurrunt, ſcopum itineris requirentis; Regis Galliæ, doctos viros certo fine in diverſas terrarum oras ablegantis; ac Ruſſorum Imperatoris, multos ex peregrinantibus nobilibus certo fini deſtinantis, ſcilicet ut linguas, aut matheſin, aut nauticam artem &c. excolant. Noxios fines omnino amputandos eſſe cenſet, quo refert, ſi quis libidinoſi amoris ergo excurrat, circumvagationes item ſcholaſticorum, qui palantes vulgo vocabantur (quorum originem a Gallorum Druidis fabuloſe a Geſnero arceſſitam notat) & itinera ad diſcendam magiam ſuſcepta. Finem vero per ſe non illicitum ex circumſtantiarum ratione ſæpius poſſe prohiberi; ut ſi quis militiæ apud exteros faciendæ cauſa exeat, ubi patriæ bellum imminet, & quæ ſunt alia. Sic quoque legitime olim a Friderico Barbaroſſa interdicta fuiſſe itinera Germanorum Romam ſuſcepta, ut jus inde repeterent. Ultimo demum tempus peregrinantibus præfiniri a Principe poſſe ſtatuit, ne ætatem itineribus terentes, multa licet edocti, inutiles tamen patriæ, domum denique revertantur.

§. 24.

M. Johann Erhard Kappens Schauplatz des Tezelischen Ablaß-Krams, und des dawider streitenden sel. D. Martini Lutheri.

h. e.

COLLECTIO, VARIA INDULGENTIArum diplomata, & D. Martini Lutheri diſputationem de virtute indulgentiarum &c. exhibens; opera M. JO. ERHARDI KAPPII.

Lipſiæ, impenſis Jo. Chriſtiani Martini, 1720, 8.

plag. 8½.

QUam Cl. Autor ante triennium ſub hoc titulo ediderat Collectionem variorum indulgentiarum diplomatum, eam nunc rogatu Bibliopolæ emendatiorem ſiſtit & locupletiorem. In præfatione nova poſt varia de utilitate ex ſcriptis occaſione Jubilæi Evangelici impreſſis monita, variasque de prima hujus collectionis editione obſervandas circumſtantias ſigillum, quo Albertus Archiepiſcopus Moguntinus & Guardianus fratrum

Ordinis Minorum Conventus Moguntini, Leonis X Commissarii, indulgentiarum diplomata sua munire soliti sunt, explicavit. Pendet illud pyxidi inclusum & ceræ rubræ impressum filo serico a membrana & S. Petrum, qui dextra clavem, sinistra vero librum tenet, exhibet, sub quo triplex Pontificis corona supra duas decussatim superimpositas claves conspicitur, cum hac inscriptione: S. FABRICE S. PETRI DE VRBE. Hujus enim Basilicæ reparatio causa esse tunc jactabatur *inauditarum apostolicarum facultatum & largissimarum dispensationum a Leone X gratiose concessarum*, uti hæ indulgentiæ in *Instructione Subcommissariorum* Alberti extolluntur. At Leonem pecuniam ex indulgentiis his collectam dictæ Basilicæ non impendisse omnem, ex *Francisci Guicciardini*, historici coævi & gravissimi, *Historia Italiæ, Venet. 1592, in 4* hetrusce edita, probat, qui *p. 395 b.* ingenue fatetur, Pontificem Magdalenæ sorori suæ emolumentum & exactionem indulgentiarum multarum partium Germaniæ donasse. Quod Guicciardini testimonium ab argumentis *Philippi Quorlii, in Historia Concilii Tridentini Petri Suavis Polani ex authorismet assertionibus confutata, Panormi 1664 in 4 edita, p. 368* propositis alio loco prolixius se vindicaturum esse promittit Autor, & vindicat vel nunc, dum evincit ex novo & adhuc incognito testimonio, verbis scil. ipsius Leonis X, *eum pecuniam indulgentiarum non soli reparationi hujus Basilicæ, sed* aliis quoque rebus impendisse. Scripsit nimirum Pontifex hic die 26 Novemb. 1517 ad dictum Albertum, ut Joanni Heytmers de Zonvelben, Diacono suo & Apostolicæ sedis ad inclitas nationes Germaniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ & Gothiæ, *pro inquirendis* dignis & antiquis *libris*, qui temporum injuria periere, *Commissario*, postquam ab eo librum *trigesimum tertium Titi Livii de Bello Macedonico* acceperit, *solvat seu solvi faciat centum quadraginta septem ducatos auri de Camera*, ex pecuniis indulgentiarum concessarum per illius provincias in favorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, quam pecuniæ summam in computis Alberti cum Camera Apostolica communicandis admittere vellet. Habemus igitur confitentem reum, ut aliis argumentis idem demonstrantibus supersedere

 pos-

possimus, quorum unum & sigilli, indulgentiarum diplomatibus appendere soliti, mutatio esse posset. Idem nempe Albertus d. 24 Jun. 1519 Ecclesiæ Mariæ Magdalenæ monasterii S. Augustini Francofurdiæ indulgentiarum concessit diploma, cujus sigillum pyxidi quoque inclusum & rubræ ceræ impressum, rubro filo pendet & tres Sanctos seu Patronos juxta se positos, S. Martinum Moguntinensem, S. Mauritium Magdeburgensem, & S. Stephanum Halberstadensem repræsentat, sub quibus insignia Cardinalis exhibentur, cum hac inscriptione: ALBERTUS TIT. S. CHRISOGONI. S. R.E. PBR. CARDINAL. ARCHI. MAGUNT. ET. MAIGDE. PRIN. ELEC. ET PRIMAS. Quod tamen argumentum Autor ob rationes in præfatione adductas suo loco relinquit.

Collectio ipsa exhibet N. I *Alberti Diploma indulgentiarum* Gœttingæ d. 1 Jul. 1517 distributum cum sigillo in fig. ænea. N. II ejusmodi Diploma *Johannis Tetzelii* Subcommissarii *Joannis Angeli* [illegible]*boldi*, Wurzenæ d. 24 Apr. 1516 subscriptum. III Diploma indulgentiarum *Tetzelii* generalis Sub-Commissarii *Alberti*, d. 5 Octob. 1517 Berolini venditum. N. IV Excerpta ex *Tetzelii Summaria Instructione Sacerdotum ad prædicandum indulgentias*. N. V *Rhythmos* indulgentiariorum *Biturigibus* in templo Cathredrali Divi Stephani ad altare Cardinalis *lapidi antiquo inscriptos*. N. VI *Martini Lutheri disput. pro declaratione virtutis indulgentiarum*, d. 31 Oct. 1517 templi O. O. Sanct. Vitemb. affixam, ut alia taceamus. Hisce singulis, quæ & in vernaculam nostram translata sunt, præmisit Noster introductiones, Lutherique theses de indulgentiis variis annotationibus illustravit, ex quibus nonnulla speciminis loco adducenda sunt. Observat e. g. Autor contra *Cl. Jo. Jac. Vogelium*, primum indulgentiarum diploma Alberti a Celeberr. *Hardtio* Faculæ suæ Philologiæ non insertum, nec formulam illam vexatissimam: *occasione aluminum tulfæ Apostolicæ*, in eodem diplomate occurrentem, (de qua Nostri quoque Epistola mense Jul. *Novorum Litterariorum* variorumque ad eam re-

p. 17.

 spon-

p. 24. ſponſiones menſe Auguſto conferri poſſunt,) a *Vogelio* jure quodam in illam: occaſione *aluminum ſanctæ eccleſiæ Apoſtolicæ* mutatam eſſe, nec alterum hujus collectionis diploma, ab Arcimbol-
25. di Subcommiſſario Tetzelio datum, in Bibliotheca Paulina Lipſienſi inveniri. Ibidem animadvertit, ſe „Aviſamenta, Inſtructio„nes & Statuta reverendi Patris Domini Joannis Angeli Arcim„boldi, Juris Utriusque Doctoris, Prepoſiti de Arciſate Sedis A„poſtolice Prothonotarii: Nec non ſanctiſſimi in Chriſto Patris „& Domini Leonis Pape decimi Referendarii ac ad Coloni„enſem, Treverenſem, Saltzburgenſem, Biſuntinenſem, Bremen„ſem & Upſalenſem provincias. Illarumque ac Cameracenſem, „Tornacenſem, Morinenſem, Attrebatenſem & Caminenſem, „civitates & diœceſes. Nuncii & Commiſſarii, ad publicandum „& exequendum indulgentias & facultates pro fabrica baſilice „principis apoſtolorum de Vrbe, que prefatus dominus Com„miſſarius mandat inviolabiliter obſervari, ſub penis in *Bulla* „Apoſtolica indulgentiarum hujusmodi contentis, & a Sanctiſ„ſimo domino noſtro Papa decretis & fulminatis ab infra ſcri„ptis Subcommiſſariis & ſubdeputatis ſuis: Nec non ab univer„ſis & ſingulis predicatoribus & presbyteris pro confeſſionibus „audiendis in negotio ſacrarum indulgentiarum ante dictarum „deputatis & deputandis, duabus plagulis in 4 Romæ *aut in alia* Italiæ urbe impreſſa in Bibliotheca Ampliſſ. Senat. Lipſienſ. inveniſſe, quæ, quantum ipſi quidem conſtat, nulli adhuc Reformationis hiſtoriæ ſcriptori ne fama quidem nota fuerunt. Et quum hæc Aviſamenta Arcimboldi huic indulgentiarum negotio maximam accendant lucem, Noſter apud animum ſuum ſtatuit, illa cum erudito orbe communicare. Idem & in eadem ſupellecti-
26. le libraria non minus magni faciendum & ab omnibus pro de-
96. perdito habitum documentum, Inſtructionem Subcommiſſariorum Alberti invenit, cui quum varias Lutherus in diſputatione de indulgentiis oppoſuerit theſes, merito clavis illarum a No-
88. ſtro appellatur. Reſeravit quoque ſenſum nonnullarum ope hujus clavis feliciter ut 33, 35, 37, 53, 59. En theſin 35 Lutheri: *Non Chriſtiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas*

vel

vel confessionalia non sit necessaria contritio. Circa hanc observavit *Kappius*, illam verbis Instruct. Summar. §. 37 C. oppositam esse, quæ ita sese habent: *Nec opus est, quod contribuentes pro animabus in capsam sint corde contriti & ore confessi.* Unde & *Sylvester de Prierio* confutatur, qui in primo scripto contra Lutherum existimavit, nullum concionatorem tam stulte docuisse, quæ tamen ipsa fuit doctrina Alberti. Thesi 53 scripsit Lutherus: *Hostes Christi & Papæ sunt ii, qui propter venias prædicandas verbum Dei in aliis Ecclesiis penitus silere jubent.* Hic opinatur Autor, Lutherum Instruct. Summar. §. 10 contradixisse, ubi inter alia ita Albertus: *Volumus etiam, quod sub eisdem horis alibi non predicetur &c.* Quæ explicatio si menti Lutheri exacte respondet, uti omnino videtur, aliorum Theologorum explicationes sua sponte cadent.

p. 95.

Ceterum L. B. significamus, Cl. *Kappium* hanc *Instructionem Subcommissariorum* cum aliis huc spectantibus scriptis & diplomatibus indulgentiarum partim adhuc ἀνεκδότοις prælo jam commisisse.

JO. CASP. LOESCHERI, S. THEOL. D. ET Superint. Pastorisque Rochlitz. Parergorum Sacrorum Exercit. IX & X, cum Præfat. & Indice totius Decadis.

Rochlitzii, typis J. P. Langii, 1719, 4.
Plag. 9.

DE Exercitatione IV, V, VI, VII, & VIII mense Januario præsentis Anni dictum est; restat, ut de IX & X, quibus Decas prima Parergorum absolvitur, exponamus. Nona igitur exercitatio versatur circa hoc argumentum, ut de cœlo, singulari gentium idolo, differat, ubi Autor cap. I ex antiquitate & historia originem & historiam erroris de *divinitate* cœli eruit, & capite II, ut erroris gentilium, cœlum *materiale* divino cultu prosequentium, argumenta excutiat, nervumque horum

horum incidat, operam impendit. Nec omittit ea, quæ errantibus præsidio esse videntur, quæ statim refelluntur. Hanc ordine excipit X Exercitatio, commento Socinianorum speciosiori: *Resurrectionem Servatoris plus momenti ad salutem hominum attulisse, quam ejus Passionem & Mortem*, opposita, in qua eandem tractandi rationem sequitur, &, ut reliqua silentio prætermittamus, evincit, quæstionem hanc plurimum in recessu habere, tantum abesse, ut negligenda, aut Socinianis concedenda sit. In gratiam Lectoris copiosum indicem annectere placuit. Ceterum latere nolumus lectorem benevolum, non dissimulasse Autorem in Præfatione, animum sibi esse, quam cœpit hactenus telam, altera Exercitationum Decade, si summo Numini ita visum fuerit, pertexendi.

NOVA LITTERARIA.

Venetiis Hermolaus Albritius, Hieronymi Fil. vastis operibus imprimendis insudat. Postquam enim *Cornelii a Lapide* Commentarios in Scripturam S. quos pater Hieronymus impresserat, secunda vice, singulari cura adhibita novisque Indicibus additis, prelo absolvit, & *Lorini* Comm. in Psalmos tomis IV, tum & *Pineda* in Jobum tomis II, & e Patribus D. *Laurentii Justiniani* Opera, novis additionibus & ad marginem citationibus ornata, tomis II impressit; nunc in eo est, ut & *Alph. Tostati* Opera, & ipsa *Biblia Sacra e Vulgata editione, Latinisque translationibus, Romana nimirum ex LXX in Vetus Test. & Guid. Fabricii Boderiani ex Syriaco in Novum concinnata, ad optimorum exemplarium fidem, potissimumque Vaticani, quod ad Vulgatam pertinet, recognita*, duobus Tomis folio regio edat. Accedent huic editioni, tum variorum Scriptorum, Gagnei puta, Estii, Menochii, Tirini, Sa, Du Hamel, notæ literales, tum aliæ Historico - Geographicæ & Chronologicæ, ad Lubini, Adrichomii, Bonfrerii & Sansonii mentem, nec non plurima insigniorum rerum schemata, e Villalpando, Aria Montano, Bibliis Polyglottis Philippi II, Lami, Relando, Braunio aliisque ab ipso Albritio deprompta & collecta. De quo instituto uberius diximus in Novis Literariis, singulis mensibus in forma octava apud nos Latino idiomate prodeuntibus, Calendis Novembris hujus Anni.

(o)

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris, Anno MDCCXX.

ܦܣܘܩܐ
ܡܢ ܟܬܒܐ ܕܬܫܡܫܬܐ ܕܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ
ܕܚܫܐ ܦܪܘܩܝܐ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ

h. e.

LITURGIÆ SYRIACÆ SEPTIMANÆ passionis Domini nostri Jesu Christi excerptum, editum ac notis illustratum a JOANNE CHRISTIANO CLODIO, Haynensi, J. Cand.

Lipsiæ, literis Bernh. Christoph. Breitkopfii, 1720, 4.
Plag. 6.

CUm inter Orientales libros nulli rariores sint, quam qui Christianis autoribus sunt scripti, in eorum tamen numero rursum major copia est ecclesiasticorum, quam eorum, qui historiam & controversias clericorum explicent. Idcirco Josepho Asinano, diligentissimo indagatori haruince rerum, maximam habebimus gratiam, si talium inprimis librorum enarrationem nobis dabit. Interim nec ecclesiastici negligendi sunt, quorum aliquos habemus Romæ a Maronitis editos, Syriacos præcipue & Arabicos. In quibus editionibus tamen more Romano nonnumquam haud sincere versati sunt, æque ac in Bibliorum illa Arabica, quæ Congregationis de propaganda fide typis deformata ac deturpata, correctore indigebat Maraccio, intelligentissimo Arabicæ linguæ. Manu autem scripti codices raro a nostris videntur. Qui deinde exstant, illorum vix spes est aliqua nos editionem visuros. Tanto magis

gis

gis Clodii, eruditiſſimi Viri, amamus diligentiam, cum nobis MSti Lipſienſis partem quandam explicatam ac illuſtratam dedit. De manuſcripto pæne præſtat nihil dicere, quam non omnes ejus laudes ſimul comprehendere. Primus ex eo aliquid edidit Theophilus Sigefridus Bayerus in libro de Eclipſi Sinica p. 17, quo loco dicit: *Equidem ſi per me ſtaret totam* [illegible] *TAXIN dimidiæ diei paraſceves ederem, ſed quia longula eſt, tantummodo, quod ad illam diei caliginem pertinet, evulgabo.* Illa ipſa pars a Clodio verſa eſt. Cujus autem eccleſiæ ſit ordo, Clodius non attigit, Bayerus, dum prodit, fluctuat. In catalogo librorum orientalium bibliothecæ Lipſienſis, & in libro de eclipſi, Jacobitarum eſſe dicit: ſed in obſervatione de elegantia manuum eruditarum p. 303 dicit, ſe officium illud totum deſcripſiſſe ac multa loca reperiſſe, ex quibus Jacobiticos errores cognoſcere ſibi videretur, titulum tamen ſequi malle, qui Maronitis tribuat. Conſtat nobis eum in recenti memoria ejus manuſcripti lectionem habentem, vera ediſſe, aliquanto tempore autem poſt, cum hæc ſcriberet, titulo non accurate inſpecto, & Tavernirio attendentem, qui monaſterium S. Crucis Maronitis habitari ſcribit, deceptum eſſe. Id ut magis conſtet, totum extremum folium MS. ita peſſime habitum, ut multa conjiciendo ſuppleri oporteret, hic adjungemus cum verſione noſtra - - - -

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

ܠܬܫܒܘܚܬܐ ܘܡܝܩܪܘܬܐ ܕܐܠܗܐ ܡܫܒܚܬܐ ܫܡܗ ܠܡܫܒܚܢܘܬܐ
ܠܥܠܡ. ܒܫܡ ܐܠܗܐ ܘܡܫܒܚܢܘܬܐ ܘܡܫܒܚܢܘܬܐ
ܕܐܠܗܘܬܗ ܣܓܝܕܬܐ. ܒܫܡ ܐܒܐ ܘܒܪܐ
ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܡܫܒܚܝܢ ܒܟܠ ܙܒܢ ܕܐܠܗܐ.
ܐܬܪܗܘܢ ܕܝܢܐ ܘܡܣܬܒܪܢܐ ܒܫܡܗ ܕܡܪܢ
ܘܡܫܝܚܐ ܒܪ ܒܬܘܠܬܐ ܕܡܪܝܐ ܡܫܝܚܐ . .
ܡܪܢܝܬܐ ܦܬܚ . . . ܗܢܐ ܡܢ ܩܘܕܫܐ ܕܒܝܬܐ ܒܪ
ܠܐܠܗܐ ܕܐܒܘܢ ܩܡ ܘܒܗܘܢܐ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ.
ܒܝܕܐ ܩܡ ܕܐܠܗܐ ܐܒܐ ܕܒܪܝܬܐ ܒܥܒܪܘܬܐ
ܠܒܪ ܡܢ ܡܫܝܚܘܬܐ ܘܒܬܘܠܬܐ ܠܒܘܬܐ ܠܒܪ
ܡܢܗ ܠܐܒܐ ܘܒܪܐ ܐܝܟ ܡܫܝܚܐ ܚܕ ܝܚܝܕ ܒܪܘܚܐ
ܡܪܒܝܬܐ ܕܐܠܗܘܬܗ ܕܚܝܐ ܕܩܘܕܫܐ ܡܫܒܚܢܘܬܐ.
ܘܠܒܪ ܗܘܝ ܘܐܬܦܫܛ ܘܐܬܩܛܠ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ
ܕܒܐܠܗܘܬܗ ܘܒܫܒܬܗ ܘܒܝܬܗ ܘܡܫܒܚܢܘܬܗ
ܘܡܢ ܡܪܝܐ ܕܐܬܐ ܠܗ ܫܒܚܐ ܠܐܠܗܘܬܐ
ܒܫܡܗ ܐܒܐ ܘܗܘ ܕܒܪ ܢܒܝܐ ܘܒܗܘܢܐ ܐܝܬܘܗܝ
ܘܒܝܬܐ ܐܒܐ ܦܠܟܐ ܕܗܘܐ ܐ . . ܐܡܝܢ
ܘܐܢܝܫܐ ܘܢܒܝܐ ܠܗ ܒܫܡܐ ܗܘܝܐ ܕܠܒܪܬܐ ܐܝܟ
ܕܠܦܘܠܘܬܐ ܘܒܪܢܫܐ ܒܝܬܐ ܕܢܒܝܗ ܘܐܬܒܪܟ
ܒܫܡܝܐ ܐܒܪܗܡ ܕܒܝܬ. ܘܗܠܝܢ ܒܬܪܝܢ
ܐܒܫܘܒܚܐ ܕܒܪܢܫܐ ܦܬܘܪܐ ܕܠܗܘܢ: ܕܩܘܡ
ܒܒܝܬܐ ܢܦܠ ܒܟܠ ܚܝܘܬܐ ܕܒܠܒܝ ܘܒܟܠ ܐܒܘܗܘܢ
ܘܐܝܩܪܘܢ ܘܡܫܒܚܝܢ. ܕܒܪܝܫܝܢ ܕܩܘܡ.
ܠܐܠܗܐ ܚܝܐ ܐܠܗܝܬܐ ܠܒܪܟܬܗ ܡܫܒܚܢ.

In laudem, honorem, gloriam, exaltationem & - - - - *(divinitatis adorandæ*, ut conjicio) & - - - - *quæ est, tres personæ* & (forte ܘܩܢܘܡܐ quod idem significat) & tria *nomina adoranda, Pater, Filius & Spiritus S. unus Deus Sanctus, unus Deus verus,*

rus, cui soli supplicatio - - - - - & gloria ab omnibus creaturis, quæ fuerunt, sunt, & erunt, superioribus & inferioribus, in secula seculorum. Amen. Perfectus, perductus ad umbelicum & obsignatus est liber hic sanctus, πινακίδιον septimanæ sanctæ & dominicæ, passionis salvificæ & liberationis Dei Verbi Jesu Christi Domini nostri. Anno millesimo octingentesimo decimo & nono Alexandri Græci. Manu hominis peccatoris & miseri & indigentis misericordia Dei, Abrahami noti & nuncupati nomine Monachi & Presbyteri bar Bahnam monachi - - - - ex Tur Abdin, qui est ex disciplina monasterii S. & venerabilis Domini Gabriëlis in monasterio Sanctæ puræque Crucis, quod in insula Cypro extra Leucosiam urbem magnam, extra quam versus aquilonem unum milliare admodum ad latus oppidi Marpithi, quod & monasterium Syrorum Jacobitarum. Et sunt consignata & conscripta ob exactionem & petitionem & precationem & solicitudinem studiumq; præceptum deniq; & divinam bonitatem, quæ ei contigerunt per manus Presbyteri venerandi & sacerdotis illuminati & reverendi Domini nostri Melchisedeci; qui est - - - ejus, qui perfecit & composuit ei hunc librum precum velut in pignus amicitiæ & in recordationem bonam (in precibus) *mortuorum & parentum Presbyteri Abrahami peregrini. Idque accidit in diebus Episcopi Gabrielis Maronitæ, qui illorum est* (scil. Episcopus.) *Qui inciderit ac legerit, Deum oret, pro peccatore, qui scripsit & pro patribus & fratribus & mortuis, qui animam efflarunt. Deo autem gloria perpetua in æternum.* Ita, ut hæc versio, ipse Syriaci scriptoris sermo obscuræ interpretationis est, ad eum locum, ubi de monasterio Jacobitarum agit. Sed ex eo quod Episcopum Maronitam non vocat aliquo honoris titulo, nec ܕܝܠܢ dicit, (sicuti Bayerus fortassis legit) sed ܕܝܠܗܘܢ, tota controversia conficitur. Possumus quoque affirmare, alicubi de processione Spiritus S. ita nos legisse in libro illo, ut nostrorum opinio est. Constat autem Jacobitas nobiscum consentire. Denique super nomine Bar Bahnam aliena manu ܡܥܩܡܐ ܣܘܪܝܝܐ, quod gravissimum argumentum est. Interpretamur autem *Perversus Syrus* seu *Jacobita*. Accurata est versio Clodii. Nonnulla

nulla aliter legit ac interpretatur, quam Bayerus in ea pericope, quam uterque edidit. P. 17 lin. 9 ܣܒܠܬܐ scribi debere apparet & lin. 14 ܕܡܬܓܒܠܢ Pag. 18 lin. 9 ܡܢ ܒܠܕ ܕܕܢܘܗܝ ܒܕܝܢܐ ܠܗܘ ܕܝܢܐ ܕܕܝܢܐ ubi in versione omissum est *judices*. Bayerus: *judicarunt illum judicio extremo condemnatum*, vocalibus aliis substitutis. Sed Clodii lectionem MStum probat. Et melior prorsus est. Lin. 21 Bayerus multo rectius ܗܘܝܘ ܐܠܗܘܬܗ ܡܪܐ ܕܟܠܗܘܢ ܒܪܝܬܐ *is omnium creaturarum dominus esset.* ܒ & ܡ in MS. sæpe non admodum diserte scribuntur, ut etiam attendentem fallant Quod p. 19 discrepantiam creavit ܠܡܪܝܐ Bayerus rectius ܠܡܬܪܘܚܐ ib. lin. 5 ܕܢܬܒܘܢ *ut sederent*, Bayerus *ut resipiscerent*. Ille rectius, quamquam & hoc non male. Ib. lin. 6 ܢܫܢܘܢ Bayerus habet, & ita in MS. est. Linea 11. Hæc melius distinxit & convertit Bayerus: *Sol in medio die occidit ei, sicut unigenitum flebit eum totus Israel.* Additque Symeonem Logothetam eadem pæne verba habere. Lin. 16 ܡܒܟܝܐ Bayerus. Sine omni dubio παρόραμα. Lin. 16 Bayerus ut in MS. ܡܪܢܣܡ p. 20. 5. ܒܡܥܡܘܠܗ Bayerus ܒܡܥܡܠܗ sic enim dubitanter in MS. Illud omnino melius & rectius. Lin. 8 ܡܫܝܠܝܢ Bayerus *mutuum habent*. Lin. 15 ܠܓܢܘܢܐ, *in thalamum*, Bayerus *in paradisum*. L. 21 ܒܠܒܐ ܕܝܡܡܐ *in cor marium*. Enimvero Bayerus, nota plurali scribæ errori relicta, interpretatur rectius *in medium diem*. Chaldæis frequens ימבא. Lin. 23 locus difficillimus a Bayero corrupte editus, a Clodio admodum obscure versus, & veremur ut rem attigerit. Accedunt notæ Clodii paucæ quædam, sed probæ. Unum in primis optandum, ut Codicis quoque scripturam adjunxisset, sicuti Cellarius Samaritanorum rationem exarandi literas epistolis ad Ludolfum adjecit. Possit quispiam in eum modum, ut Mabillonius & Montfauconius Græcarum Latinarumque literarum historiam per seculorum decursus enarrarunt, ita quoque

Hebraicarum ceterarumque, ut ex ea natæ sunt, quandam genealogiam concinnare. Habemus vetustissima exempla Hebraicarum literarum in veteribus quibusdam numis, sed antiquiora multo in rupibus Arabicis, quæ Petrus a Valle se vidisse ad Jo. Morinum scribit. Et fides habenda est ei, utpote cum Cosmæ quoque Ægyptio Indicopleustæ in Topographia Christiana memorentur. Athanasius Kircherus & ex eo Wagenseilius tentarunt literarum istarum interpretationem. Sed non ita vano conatu hic labor sumendus est. Sequuntur deinde Phœnicii numi & Palmyrenæ inscriptiones, tum Syriaci codices antiqui & ex iis Cuficæ literæ, & Mauritanicæ, quarum exemplaria Berolini & alibi in bibliothecis exstant, sed multo venustissimum in Lipsiensi inter Acoluthi codices. Rogandi quoque Romani essent, ut nobis reliquias turris Turpianæ & cavernarum Granatensium concederent, quas Maraccius, qui inter inquisitores fuit, Arabice perscriptas fuisse testatur. Excipient has literæ Mugallorum, quas ex Arabsiade & aliunde constat a Syriacis sumtas esse, cum Christiani in illis locis versarentur. Et Hebraicorum codicum ingens numerus est, qui secundum ætates digeri possent. Inter Josephi Scaligeri manuscripta alphabetum est admodum diversum ab hoc quo utuntur hodie. In Habessinia & media Asia sollicitandi Judæi essent. Tum quoque appareret, controversiam de Samaritanis literis, ortam esse illorum culpa, qui literarum veram historiam non norunt. Inepte satis in partes Rabbini vocantur, quos in Criticis disputationibus, præsertim talibus, quæ historias comprehendunt, delirare merito dicas. Multo plura in animum venient ei, qui tam eximiam partem Criticæ exornandam sumeret. Ad quam rem haud scio an quisquam in Germania sive per ætatem, sive eruditionem magis sit idoneus Jo. Christoph. Wolfio Past. Hamburgensi. Hoc sane MStum vel maxime inter Syriacos, ut diximus, meretur typum ejus ætatis præbere. Præterea aliud quoque MS in bibliotheca Lipsiensi est: Rituale baptismi, Severo Alexandrino autore. Editum jam est a Fabricio Boderiano. Sed hic codex sæpe ab illo differt, qui editus est. Scriptus est in charta bombycina Halepi anno Seleucidarum CIƆ IƆ CCC XVIII, ut ducentis annis non multo sit major.

Idem

Idem quoque in bibliotheca Orphanotrophei Halensis exstat, per Gasparem Malabarem Indum scriptus, de quo Bayerum in observatione de eruditarum manuum elegantia legant, qui plura cupient scire.

BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS SEPAREZ &c.

i. e.

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM A COETU Ecclesiæ Romanæ separatorum seculi XVII; Autore LUDOV. EL. DU PIN, Doctore Sorbonico.

Tomus II.

Parisiis, apud Andr. Praland, 1719, 8 maj.

Alph. 2 pl. 14.

ETsi rebus humanis superiore anno ereptus est Cel. in Gallia Doctor *Ludov. El. Du Pin*, reliquit is tamen Bibliothecæ autorum, qui separatos a Romana Ecclesia cœtus instituere, Tomum secundum, continentem eos, qui ab anno MDC usque ad annum 1650 in vivis fuerunt, ac scriptis inclaruerunt. In præfatione indicat, se ea expositurum esse tempora, in quibus Doctores, quibus non conveniat cum Ecclesia Rom. a rigore suorum antecessorum multum remiserint, synodus Dordracena colloquiumque Phil. Mornæi & Cardinalis Perronii sit habitum, & viri omni doctrina eruditi, Hugo Grotius, Jacobus I Rex Angliæ, Georgius Abbot, Forbesius & Josephus Scaliger vixerint. Eos qui Martini Lutheri dogmata tuentur, P. IV c. 1 recenset, inter quos primum locum dat *Urbano Regio*, qui missa religione Pontificia Augustæ Vindelicorum doctrinam Lutheri amplexus sit, & quanquam in Zwinglii sententiam discesserit, tamen cum Luthero fecerit, & post reditum Smalcaldia Cellæ ex hac vita discesserit; qui in suis scriptis quædam Romano-Catholicæ Ecclesiæ falso tribuat, simul tamen quædam afferat, quibus ejus doctrina stabiliatur. Cui subjicit *Vitum Dietericum*, *Bartholom. Westhemerum*, *Justum Menium*, *Erhardum Schnepfium*, *Franciscum Lam-*

Lambertum, Avenionensem, Doctorem Marpurgensem, cujus liber de causis excœcationis multorum seculorum sit perrarus; *Casp. Pencerum*, qui defensione catechismi, sacramentariorum errores complectentis, Electoris Saxoniæ gratia exciderit, ac in carcerem conjectus duodecim annos misere vixerit, *Ægidium Hunnium*, *Cyriacum Spangenbergium* & *Zachariam Schilterum*. Digni tum ei visi sunt & *Lucas Osiander*, in cujus judicio considerando paulisper commoraretur, & interjectis *David Rungio*, *Christophoro Pezelio*, *Salomone Gesnero*, *Wolfgango Amlingio*, *Jo. Kuchlino*, *Georgio Mylio*, *Henrico Majo*, *Luca Bacmeistero*, *Polycarpo Lysero*, *Jo. Pappo*, *Stephano Gerlachio*, *Conradus Rittershusius*, cum suo libro de asylis, & post *Conradum Graserum*, *Jo. Mulmannum*, *Marcum Velserum*, *Marquardum Freherum*, *Sethum Calvisium*, cujus opus chronologicum continuationem mereatur, *Philippum Nicolai*, *Jo. Conradum Schlusselburgium*, *Urbanum Pierium*, *Andream Osiandrum*, *Jo. Regium*, *Leonhardum Hutterum*, *Barth. Coppenium*, *Christophorus Helvicus*, chronologiæ & Ebrææ linguæ perita clarus, cum suis dissertationibus, quos aliquo studio contemplatur. Leviter deinceps tangit *Davidem Hœschelium*, *Samuelem Huberum*, *Albertum Grauerum*, *Phil. Heilbrunnerum*, *Matthiam Hafenrefferum*, *Jac. Heilbrunnerum* & *Jo. Asselmannum*; *Henrici* vero *Eckardi* librorum de ordine Ecclesiastico & descensu Christi ad inferos summam itidem exhibet. Postquam de *Balth. Menzero*, *Casp. Finckio*, *Paulo Tarnovio*, *Laurentio Lelio*, & *Barthol. Batto* commemoravit, in medium producit *Erasmum Schmidium*, cum libello de Sibyllis Sibyllinisque libris, & *Jo. Gerhardum*, cui post Melanchthonem inter Lutheranos primas defert, & ideo, quod linguas egregie calluerit, & in interpretatione sacrarum literarum lectioneque veterum Ecclesiæ doctorum præclare versatus fuerit, maximopere laudat, atque libere fatetur, nullum fuisse Bellarmino adversarium, a quo magis quam ab hoc ei fuerit metuendum. Cui subjungit *Matthiam Mysforum*, *Jo. Himmelium*, libris, qui inscripti sunt *Anti*, clarum, *Georgium Albrechtum*, *Matthiam Hoe*, *Jo. Behmium* & *Jacobum Martini*, exquisita doctrina præditum. Quibus ita commemo-

rati

ratis conjunctim exhibet complures Lutheranos Theologos, de quorum unoquoque, ut de superioribus, separatim agere ei non lubet, sistitque ferme tantum nomina *Andr. Volani, Danielis Hoffmanni, Fridr. Petri*, *Euseb. Altkircheri*, *Bened. Thalmanni*, *Jo. Færsteri*, *Fel. Bidembachii*, *Petri Piscatoris*, *Andr. Althammeri*, *Paul. Crellii*, *Augustini Eleutheri*, *Martini Rolani*, *Melch. Sprecceri*, *Justi Eckardi*, *Jo. Mettingeri*, *Fridr. Rungii*, *Pauli Frigii*, *Andreæ Libavii*, Medici, scripto contra Gretserum noti, *Georgii Kilii*, *Dan. Lobechii*, *Jo. Dinckelii*, *Georgii Nigrini*, *Sebastiani* seu *Cornelii Beckeri*, *Martini Crusii*, *Othonis Casmaani*, *Georgii Bersmanni*, *Philip. Marbachii*, *Christophori Fischeri*, *Danielis Arcularii*, *Jac. Schopperi*, *Georgii Weinrichii*, *Jo. Taufreri*, *Jo. Hesselbenii*, *Jo. Jac. Bernhardi*, *Conr. Kircheri*, autoris non nisi ex opere concordantiarum, quo se immortalem reddiderit, noti, *Jul. Conr. Ottonis*, *Jo. Georgii Sigwarti*, *Eilhardi Lubini*, *Jo. Arndii*, *Gerb. Elmenhorstii*, *Jo. Schræderi*, *Justi Meieri* JCti Argentor, *Joach. Stephani*, JC. Gryphiswald. *Conr. Aslaci*, *Benedicti Carpzovii*, JC. Wittebergensis, *Jo. Wolderi*, *Jer.* & *Zach. Vietorum*, *Balth. Meisneri*, *Casp.* & *Jo. Vogeliorum*, *Helvici Barthii*, *Joach. Zechneri*, *Jo. Olearii*, *Jo. Georg. Leopardi*, *Jo. Zangeri*, *Jo. Winckelmanni*, *Georg. Rostii*, & *Jo. Tarnovii* &c. Nec aliter se gerit in recensendis *Guil. Alardo*, *Antonio*, *Aarone* & *Nic. Burchardis*, *Theoph. von Alen*, *Melch. Volscio*, *Christoph. Andr. Fischero*, *Phil. Arnoldo*, *Jac. Werenbergio*, *Petro Alberto*, *Jo. Crellio*, *Laz. Theodoro*, *Mich. Rothard*, *Jo. Schopfio* seu *Schopfero*, *Antonio Albizi*, *Thoma Weinrichio*, *Jo. Corbero*, *Barth. Mayero*, *Conr. Deckero*, *Henr. Boethio*, *Fridr. Fischero*, *Jacobo Schmidio*, *Helvico Gorthio*, *Barthol. Sculteto*, *Andr. Schoppio*, *Jo. Webero*, *Sebast.* & *Jo. Leonhardis*, *Georg. Zeæmanno*, *Theod. Thummio*, *Jo. Thummio*, *Is. Fraccisenio*, *Jo. Oliviero*, *Jo. Gisenio*, *Nicol. Hunnio*, *Herman. Sambn* seu *Samson* & *Conr. Hornejo*. Extremo fatetur, adhuc plures Theologorum Lutheranorum enarrandos restare, quos tamen studio prætereat, cum controversias sine fructu tractent.

Confert se hinc P. V ad Sacramentarios & C. I, ubi duorum *Scaligerorum* vitas adjectis elogiis delineavit, multis agit de

Gomari Arminiique controversiis, quæ Belgium afflixerunt, refertque ea, quæ Synodum Dordracenam antecesserunt, quæ in ea gesta sunt, quæque eam sunt secuta, imprimis qua ratione Reformati in Gallia ejus decreta receperint, nec præterit, cum Arminianos tum Gomaristas inter se dissensisse, finitque in horum autorum & animi characteribus & scriptis. Ab hoc certamine transit ad *Casaubonum*, quem eximia laude ornat, ac indicat, filio in cœnobium abeunti ac sibi valedicenti dixisse: Mi Fili, nec ego te, nec tu me condemnes, uterque nostrum coram tribunali Jesu Christi compariturus est; cui subnectit *Jo. Drusium*, Ebrææ linguæ pergnarum, *Jo. Jac. Grynæum*, *Danielem Chamierum*, qui in suis scriptis parum scientiæ multum vero odii in Romanam Ecclesiam præ se ferat, *Conr. Vorstium*, & *Davidem Pareum*. Persequitur tum plura de *Philippo Mornæo*, ejusque cum Episcopo Ebroicensi, postea Cardinale, Perronio de erroribus in adducendis veterum doctorum scriptis in libro de eucharistia commissis coram Rege Galliæ habito colloquio, qua ratione se etiam gerit, interjectis *Thoma Erpenio* & *Jac. Capello*, cum *Ludov. Capello*, *Johanneque Camerone*, & post *Jo. Piscatorem*, cum *Marco Antonio de Dominis*, cui Romam revertenti & iter per Venetias facienti, quid mali ibidem obventurum sit, Paulus Sarpius prædixerit, & *Rudolpho Hospiniano*, de quorum scriptis pluribus differit. Ac cum hic imaginum cultum Romano-Catholicis exprobraverit, suarum partium esse judicat, indicare, se suosque neque adorare imagines, neque honorare telam ac lignum, sed potius iis ad excitandas sacras meditationes in animis credentium uti, & conspecta cruce & imaginibus cum Christi tum martyrum, illum adorare, hos vero venerari. Sequuntur hos ordine *Benedictus Turretinus*, Luca oriundus, Professor Genevensis, *Guilielmus Amesius*, *Sixtinus Amama*, contra quem Autor sententiam Concilii Tridentini, qua vulgata latina authentica pronunciatur, ita tuetur, ut statuat, eam hac ratione nec originali textui prælatam, nec ab erroribus immunem judicatam, sed ad eam dignitatem erectam, ut ejus verba ubique in prædicationibus ac disputationibus adducenda sint, *Ludovicus Crocius*, *Jacobus Laurentius*, *Jo. Meursius*, *Abr. Scultetus*, *Matth. Martinius*, *Jo. Buxtorfius*

fius, Pater & Filius, *Melchior Goldastus*, quem maximopere laudat, *Jo. Henr. Alstedius*, in cujus scriptis plus diligentiæ quam judicii appareat, *Lud. de Dieu* & *Sim. Episcopius*, cujus institutionum Theologicarum dat summam. Tandem ea omnia affert, quæ ad cognoscendum prædicandumque & *Hugonem Grotium*, cujus scripta etiam percurrit, & *Christophorum Justellum*, cujus filius Bibliothecam Juris Canonici veteris publicavit, faciunt, post quos *Constantinus L'empereur* & *Fridericus Spanhemius* comparent.

C. II commemorat scriptores religionis Anglicanæ, qui sunt *Laur. Humfredus*, *Rogerius Widrington*, *Guiliel. Perkinsius*, *Thomas Cartwright*, *Eduard Livellejus*, *Jo. Raynoldus*, *Albericus Gentilis*, *Robertus Abbot*, *Henr. Savilius*, *Guil. Camdenus*, *Jacobus I* Rex, cujus Donum Regium sit dignum, quod laudetur, gallice vertatur & ab omnibus principibus perlegatur, *Nicol. Fullerus*, *Georgius Abbot*, *Guil. Forbesius*, cum *Patricio Forbesio*, cujus in apocalypsin extat commentarius, & *Jo. Forbesio*, cujus sunt institutiones historico-Theol. non confundendus, *Joseph. Made*, *Thomas Morton*, *Lancelottus Andrews*, cui cum Petro Molineo de distinctione Episcoporum & Presbyterorum fuerit controversia, *Jo. Bastwick*, Medicus, qui ideo quod pro eadem distinctione scriptis pugnaverit, ad perpetuos carceres fuerit damnatus, *Jo. Davenantius*, *Richardus Montacutius*, *Eduard. Herbertus*, *Robertus Cocus*, cujus censura scriptorum merito in pretio habenda, & *Jo. Prideaux*.

C. III complectitur scriptores Socinianos, *Raphaelem Ritterum*, Anglum, *Everhardum Spangenbergium*, Antverpiensem, *Andream*, *Stanislaum*, & *Christophorum Lubienskios*, quorum medii quædam scripta tantum sint impressa, *Christophorum Ostorodum*, *Georgium Enjedinum*, *Jo. Licinium*, *Ernestum Sonerum*, *Jo. Volkelium*, in cujus libro de vera religione, qui Amstelodami igne combustus fuit, quid contineatur, Autor exponit, *Valentinum Smalcium*, *Thomam Pisecium*, *Hieronymum Moscorovium*, *Adamum Goslavium* & *Jo. Crellium*, qui autori occasionem præbet enarrandi cathechismum ecclesiarum Polonicarum, cum in eo emendando occupatus fuerit.

In P. VI edisserit Autor certamina, quæ inter se habuere ii, quibus cum Ecclesiæ Rom. non convenit, notatque, nec Gomaristas & Arminianos Synodo Dordracena, nec Lutheranos & Calvinianos Synodis Sendomiriensi, Rupellensi, Charentonensi, nec conventu Francofurtano ad unionem perduci potuisse, præterea dissidia inter Episcopales, Presbyterianos, Independentes, Conformistas, Non-conformistas, & Antinomos in Anglia permansisse, imo crevisse indicat, & addit tandem, ad Socinianos e Polonia ejiciendos curam ac studium susceptum esse. Extremo subjunguntur huic etiam Tomo non tantum duæ tabulæ chronologicæ, cum rerum in cœtu Dei ab A. M DC usque ad annum M D C L in Ecclesia gestarum, tum scriptorum ab autoribus commemoratis editorum, sed etiam triplex index, quorum primus argumenta seu locos theologicos in enarratis libris pertractatos, secundus scriptores secundum ordinem Alphabeticum, tertius notabiliora hujus libri continet.

Quanquam vero, ubi recensendo I Tomo hujus bibliothecæ superiore anno finem imponeremus, ea votorum nostrorum fuerit summa, ut hic II Tomus majori diligentia elucubratus aut a viro rei literariæ perito emendatus prodiret, tamen votis nos excidisse, & hunc etiam erroribus mendisque scatere ex ejus lectione deprehendimus. Vitæ Autorum sunt utplurimum nimis concisæ & parum aut nihil præter dies natales & emortuales continent, in quibus tamen certo notandis etiam Autor sæpe hæret, siquidem de *Barth. Batto* scribit, mortuus est vel A. 1634 vel 1639 & de *Georg. Weinrichio*, mortuus est vel A. 1587 vel 1617. Atque hæc omnia eadem ratione in tabula chronologica, quæ ante Autorum scripta comparet, communiter repetuntur. Fatendum tamen est dissentire inter se quandoque narrationem priorem & tabulam chronologicam, id quod fit in *Adamo Osiandro*; nam junior *Lucæ* filius natus A. 1562 & mortuus 1616 in libro, in tabula vero chronologica *Adamus* Senior, qui natus A. 1498 & mortuus est 1552, cum suis scriptis sistitur. In libro *Helvicus* natus est A. 1587, in tabula 1581, in illo *Phil. Heilbrunnerus* mortuus est 1618, in hac 1616, in illo natus *Jac. Heilbrunnerus* A. 1541, in hac 1548, in illo præter *Carpzovium* JC.

JC. Wittebergensem est alius, cujus opus sunt definitiones ecclesiasticæ, sed in indice est harum definitionum autor Wittebergensis, qui A. 1624 diem supremum obiit, in illo comparet *Jo. Schopf*, Professor primum Lipsiensis & postea Dantiscanus, in hoc vero mutatus est in Andream Schopfium, & ultimum in illo *Stanislai Lubienski* libros extare dicitur, qui vero in tabula chronologica cum ipso Autore desiderantur. Miram præterea tenet artem Dupinius & multiplicandi & contrahendi personas seu scriptores. Alius enim ei est *Helvicus Barthius* p. 95, qui in Prophetam Habacuc commentatus est, alius p. 100 *Helvicus Gorthius* seu secundum tabulam chronologicam *Garthius*, qui itidem in Prophetam Habacuc commentatus est; siquidem unus idemque est *Helvicus Garthius* qui Offitii, Fribergæ, tandemque Pragæ puram evangelii doctrinam docuit. At contra eidem unus est *Jo. Olearius*, qui sub initium & finem superioris seculi vixit, Halæ supremus Ecclesiæ minister & Lipsiæ Professor fuit, A. 1623 diem supremum obiit, & centuriam diversarum lectionum in commentarium Heinsii in Jesaiam Hal. 1617, observationesque philologicas in epistolas Dominicales ib. 1611 & Lipf. 1672 reliquit. Sic pro uno habet *Polycarpum Lyserum*, Seniorem & Juniorem, ac illi tribuit duas decades disputationum de Sacramentis, Wittebergæ, non 1633 sed 1613 habitarum, quæ sunt hujus junioris, qui primum Wittebergæ extra ordinem Theologiam docuit, ac postea A. 1613 Lipsiam ad munus Theologiam tradendi est vocatus. Eodem modo errat in *Luca Osiandro*, unumque tantum agnoscit, & enchiridion controversiarum patris opus dicit, cum sit filii, e controversia cum Giessensibus de omnipræsentia Christi in statu exinanitionis noti, tametsi non diffitendum sit, eundem errorem a Kœnigio, Wittenio, aliisque commissum esse. Ab eodem Lutherani habentur *Jo. Kuchlinus*, *Wolffg. Amlingius*, & *Henricus Majus*, qui Sacramentariorum partibus studuerunt, idemque scriptis declararunt. Ubi ad finem perduxit narrationem de scriptoribus Evangelicis, plures adhuc commemorandos superesse, sed illos controversias sine fructu tractasse censet. Verum suo instituto melius consuluisset Autor, si obscuros viros a claris segregasset, & loco Theophili von Alen,

len, Andr. Schopfii, Casp. Vogelii, aliorumque, quorum labor saltem in homiliis edendis versatus est, Fridr. Balduinum, Henr. Hœpfnerum, Conr. Dietericum, Dan. Cramerum, Christophorum Crinesium, Jac. Reyhingium aliosque commemorasset. Præterea censuram in eo meretur, quod tradit, Affelmannum impugnasse omnipræsentiam carnis Christi, quam potius contra Lampadium defendit, Fridericum Guilielmum fuisse Electorem Saxoniæ, qui Dux solum fuit & provincias Electoris Christiani II, antequam id ei per ætatem liceret, moderatus est, Andream Schopferum & Paulum Nagelium, Chiliasmi patronum, fuisse Professores Lipsienses, quorum hunc privatum fuisse matheseos medicinæque cultorem constat. Quis vero omnia non levioris momenti errata ab hoc viro commissa enarret? Id adhuc monendum, Jo. Olivier non esse alium quam Jo. Cluverium, id quod ex subjectis ejus scriptis patet.

Merckwürdige Schrifften etc.

hoc est,

SCRIPTA MEMORABILIA, JUSSU ET AUtoritate Serenissimæ Walliæ Principis ab Illustri LEIBNITIO & D. CLARKIO de selectis religionis naturalis capitibus exarata, & partim ex Gallico, partim ex Anglico idiomate in Germanicam linguam translata, ac cum præfatione C. WOLFII, p. t. Rectoris Academiæ Fridericianæ, & Responsione LUDOVICI PHILIPPI THUMMIGII ad quintum scriptum Clarkianum, edita ab HENRICO KOEHLERO.

Francofurti & Lipsiæ, sumtibus viduæ Meyerianæ, 1720, 8. Plag. 19.

DE hac Schedarum *Leibnitianarum* & *Clarkianarum* collectione authentica diximus in Actis A. 1717 p. 440 & seqq. cum primum in Anglia prodiissent. Cl. Interpres, cum in Academia Fridericiana studiorum causa commoraretur, Principiis

Wol-

Wolfianis innutritus, quorum cum *Leibnitianis* consensus ex Actis A. 1719 p. 122, 123 & Anni præsentis p. 371 & seqq. colligitur. Egit deinde cum *Leibnitio* Viennæ per omne tempus, quo Vir Illustris ibidem commoratus, atque cum eo de materiis philosophicis, præsertim metaphysicis, sæpius locutus. Scripta tandem, antequam verteret, *Leibnitiana* & *Clarkiana*, non perfunctorie legit atque relegit. Cel. *Wolfius* in præfatione non invidet Metaphysicæ magnifica elogia, quibus eam cumularunt Scholastici, cum in ea explicentur notiones ac propositiones fundamentales, unde omnes disciplinæ lucem ac evidentiam mutuantur, notionibus singulis in metaphysicas notiones atque demonstrationibus singulis tandem in principia metaphysica resolubilibus, ut adeo, ipso judice, in disciplinis ea non expectanda sit certitudo, quam in Mathesi laudamus, nisi distincta principiorum metaphysicorum cognitio in potestate fuerit. Quamobrem cum jam olim in Actis Anni 1694 p. 110 monuerit *Leibnitius*, Metaphysicam tenebris esse involutam; ejus emendationem commendat. In eam incubuisse *Leibnitium*, nec infeliciter, per specimina passim, in Theodicæa imprimis atque præsente collectione, data probat, etsi systema non dederit, nec ad cujusvis captum, quæ dedit, explicaverit, immo plurima quasi ænigmatice proposuerit. Se in Meditationibus metaphysicis, de quibus diximus in Actis hujus anni p. 371, veritatum metaphysicarum systema dedisse, ac tum *Leibnitianis* cogitatis aliquid solidi subesse satis superque didicisse. Quod ex suis meditationibus dogmata *Leibnitiana* lucem hauriant, eorum exemplo probat, quæ in præsenti collectione occurrunt, quamvis cum nemine contendere velit, utrum dogmata sua cum *Leibnitianis* ex asse conveniant, quoniam veritatem tantum, haud quaquam consensum cum aliis curæ cordique habet. Monet hac data occasione, quod cum *Leibnitio* de materiis philosophicis parum aut nihil communicaverit, & uno alteroque exemplo novum analyseos mathematicæ seu Algebræ usum in notionibus metaphysicis illustrandis commonstrat: quam inprimis viam illis commendat, qui ulterius progressuri novis inventis Metaphysicam ditare student.

Super-

Supereſt ut nonnulla de reſponſione *Thümmigiana* ad ultimum ſcriptum *Clarkianum* dicamus. Cum *Leibnitius* diem obierit ſupremum, antequam illud a *Clarkio* conſignaretur, ipſemet reſpondere haud quaquam potuit. Ejus itaque partes in ſe ſuſcepit Cl. *Thümmigius*, in Matheſi ac Philoſophia intimiori apprime verſatus. Eleganter is oſtendit, ſimile a libra petitum ad naturam libertatis illuſtrandam apprime facere. Neque enim, quod *Clarkius* facit, comparationem inſtitui debere inter libram & ſpiritum, ſed inter pondera & motiva. Quemadmodum ſcilicet fieri non poſſit, ut in ſtatu perfecti æquilibrii motus naſcatur, cum nulla ſubſit ratio cur unum potius, quam alterum deſcendat: ita ſimiliter per motiva excitari non poſſe appetitum, ſi utrinque fuerint ejusdem ponderis, cum nec hic ulla ſubſit ratio, cur unum potius vincat, quam alterum. Nil itaque ad rem facere, quod libra paſſive, anima vero active ſe habeat, cum principium rationis ſufficientis non minus in paſſionibus, quam actionibus locum habeat. Non probat, quod *Clarkius* motiva conſideret tanquam externa reſpectu animæ, quæ in eam impetum quaſi faciant: talia enim non concedi niſi ab iis, qui imaginationi indulgentes nimis craſſe adhuc in metaphyſicis philoſophentur. Miratur etiam, quod principium actionis a motivis diſtinctum non diſtinctius explicaverit, ſi quidem tale (quemadmodum ipſe aſſerit) detur. Affert notatu digna de diſcrimine actionum & paſſionum animæ & de poſſibilitate caſus modorum agendi æquivalentium. Cognitioni univerſi admodum limitatæ tribuit aſſertum de poſſibilitate partium ſimilium in eodem univerſo, atque adeo fruſtra diſceptari ſtatuit, utrum Deus eas producere poſſit, nec ne. Inſuper ab hiſce hominibus haberi, quod tam ratione ſpatii, quam temporis omnia ſint inter ſe connexa, nec attendi, quænam ex hoc nexu conſequantur. *Wolfium* in Meditationibus metaphyſicis demonſtraſſe, idque ex natura univerſi, independenter a ſapientia divina, impoſſibilitatem ſimilium in eodem univerſo. Atque per eandem demonſtrationem apparere, quod *Leibnitius* ſibi non contradicat, dum aſſerit, duo entia ſimilia fore revera duo entia diverſa, alibi tamen prætendit, ea principio individuationis deſtitutum iri,

immo

immo fore unam eandemque rem sub duplici nomine. Nimirum si duo similia in abstracto spectemus, non unum ens sunt, verum duo. Quamprimum vero ut actualia considerantur, ex contingentium natura demonstratur, quod unum idemque ens sub duplici nomine repræsentetur, quia principium individuationis, quod juxta *Wolfium* in omnimoda determinatione eorum, quæ rebus insunt vel adsunt, consistit, mente separatur. Cum enim contingentia determinentur per infinitum nexum cum ceteris universi, sive tempus, sive spatium spectes, idem fore principium individuationis, si entia in eodem universo fuerint similia. Non absimili modo ab aliis contradictionibus Ill. *Leibnitium* liberat *Thümmigius*, quæ a *Clarkio* ipsi imputantur. Spatium non posse esse attributum Dei monstrat, quia Deus ens simplex, spatium vero, utpote ex partibus constans, compositum. Partium enim præsentia, non earundem divisibilitas & mobilitas compositionem efficit. Ceterum quoniam partes in spatio nonnisi numero differunt, erit id ens compositum similare, adeoque vi principii indiscernibilium imaginarium & intellectui incomprehensibile. Ostendit deinde nævos in prætensa demonstratione de spatio, attributo divino, notans inter alia a *Clarkio* confundi infinitum imaginarium, quod nonnisi modus loquendi est, notante *Leibnitio* alicubi in his Actis, cum reali a *Wolfio* in Meditationibus metaphysicis primum definito. Eleganter autem docet, quomodo spatium imaginarium ut infinitum seu illimitatum concipiatur, quia in abstracto consideratum destituitur principio individuationis, unde limites resultant, perinde ac materia in abstracto limitibus destituitur. Mittimus absurda, quæ ex spatio Dei attributo deducuntur. Monet præterea, *Clarkium* nimis adhuc sensibus ac imaginationi indulgere, atque adeo *Leibnitii* meditata in ratione fundata non assequi. Motum totius universi de loco in locum gratis assumi urget, atque *Leibnitii* demonstrationem pro contradictoria allatam distinctius evolvit, ad objectionem de impetu variato una respondens. Quod ordo sit quantitatis capax, ex ipsius natura monstrat. Rationibus autem dum quantitatem attribuat *Leibnitius*, id quidem ad hominem fieri, cum celebres Mathematici, quos inter

Gregorium a S. Vincentio & *Wallisium*, Anglum, laudat, talem admiserint. In genere notat, *Leibnitium* sæpius, præsertim ubi cum aliis disputat, ad hominem loqui, quæ non confundenda sint cum ceteris, quæ ex animi sententia profert, nisi in contradictiones incidere velis. Principium repræsentativum, quod animæ tribuit *Leibnitius*, a *Clarkio* & aliis conterraneis non agnosci, ambabus largitur, ex *Wolfii* tamen Metaphysica patere ait, quod non sint voces inanes. Negat, absolutam necessitatem ex negato animæ in corpus influxu sequi; contrarium apparere, ubi notiones necessitatis, contingentiæ, libertatis &c. sufficienter fuerint explicatæ. Prolixe notionem miraculi, quam a *Spinosa* cum *Lockio* hausit *Clarkius*, refellit, atque ostendit, *Spinosam* vi suarum hypothesium non potuisse aliam admittere, id tamen absque ratione a *Clarkio* fieri, qui hypotheses *Spinosæ*, rationis hujus fundamenta, non probet. Sufficiat hæc speciminis loco delibasse, ut constet, *Leibnitium* nactum esse defensorem principiorum ipsius ac Metaphysicæ verioris apprime gnarum.

CORNELII NEPOTIS, QUÆ EXSTANT, omnia.

Patavii, excudebat Joseph. Cominus, 1720, 12.
Plag. 14.

Cornelius Nepos, qui stylo quidem simplici & plano, terso tamen nitidoque vitas excellentium imperatorum exposuit, tam iniqua in Italia fata expertus erat, ut, quemadmodum Cl. Vulpii in præfatione narrant, post Andream Asulanum, Aldi Manutii socerum, nemo quisquam inter Italos reperiretur, qui huic eleganti scriptori admoveret manus, & de edenda illius historia cogitaret. Quam ob causam sine dubio magnam a civibus suis, & præsertim juvenibus Latinæ linguæ studiosis gratiam inibunt Cl. Vulpii, quando post varia ab ipsis edita illustrium scriptorum monimenta, Cornelium Nepotem, dignum Augusti ætate historicum, novo elegantique habitu in publicum prodire jubent. Equidem liber mole admodum exiguus est, sive tamen typorum nitorem, sive chartæ munditiem, præsertim autem textus emendatioris rationem spectemus, nihil sane illi, quod

quod ad libri alicujus ornatum facere videtur, deesse merito existimamus. Nam post præfationem, qua instituti ratio paucis exponitur a Cl. Vulpiis, autorum, qui Cornelii Nepotis uspiam meminerunt, judicia & testimonia afferuntur, cumque iis conjunguntur, quæ celeberrimus Fabricius in Bibliotheca Latina de Cornelio Nepote retulit, & textus, ut in præstantissimis codicibus Schotti potissimum & Savaronis legitur, emendatus exhibetur. Quæ autem in antiquissimis Nicolai Jensii & Aldi Manutii exemplis, quæ Alphonsus Alvarottus, doctus Patavinus patricius, suppeditavit editoribus, minus arridere iis visa sunt, & commode recipi haud potuerunt, ea in fine libri variarum lectionum nomine seorsim posita conspiciuntur post fragmenta, quæ ex deperditis Cornelii Nepotis monimentis ad nostram ætatem pervenerunt. Ceterum Titi Lucretii Cari de rerum natura libros, quos post indicem satis luculentum rerum phrasiumque in Cornelii historia occurrentium Cl. Vulpii eruditis promittunt, eo avidius exspectamus, quo certiora de laudabili Cl. Vulpiorum in optimos quosque autores studio argumenta reipublicæ literariæ huc usque innotuerunt.

I. *PYTHAGORÆ CARMEN AUREUM, Græce & Latine, cum Analysi Critica & Ethica, imitationibus item Græco-Latinis.*

II. *Casp. Barlæi Orationes II patheticæ, una Elegiaca, altera Epica, cum Analysi Rhetorica, Paraphrasi, Tropologia & formulis loquendi selectis.*

III. *Miscella quædam, Carmina, Inscriptiones, Epistolas, Testimonia &c. complexa. Cum Indice in Pythag. gemino. Opera & studio M. JO. CHRISTIANI KNAUTHII, Schol. Dresd ad D. Crucis Coll. III.*

Argentorati, sumtibus Joh. Beckii, 1720, 8.

Alph. 1 pl. $4\frac{1}{2}$.

INtegram dedimus hujus libelli scholastici inscriptionem, ut quæ cognoscendo toti operi fere sufficiat. Analysin carminis Pythagorici Criticam appellat doctissimus Autor, quia disquisitiones nonnullæ etymologicæ, Ethicam, quia sententiæ quæ-

dam morales hinc inde breviter inspersæ resolutionem vocum Grammaticam comitantur. Ex orationibus Barlæi prior Josephum, cum lasciva Potipharis uxore expostulantem, quæ est Elegiarum Lib. I El. VII, altera Carolum M. sistit, actum filiæ suæ Emmæ, humeris Eginhardum portantis, dolentem, *ex Virgine* Ἀνδροφόρῳ Lib. 10 Heroicor. a verbis. *Heu, quam dura meas &c.* In Epistolis, quæ inter Miscella habentur, duodecima historiam templi & Scholæ Dresdensis ad D. Annæ, XLV vero vitam & fata Autoris exhibet. Habentur etiam ibi Epistolæ quædam Schurzfleischianæ hactenus ineditæ, quarum secunda commenta de Fausto & Ludovico saltatore explodit, reliquæ historica nonnulla eorum annorum, quibus scriptæ sunt, & alia privata complectuntur; subjunctis ejusdem Viri brevibus quibusdam concionibus, quas vocant, civilibus, ad imitationem priscorum autorum comparatis: quemadmodum & paulo post exhibentur orationum hujusmodi civilium ideæ quædam, Cl. Autori ab eodem Schurzfleischio, cum ædium illius esset inquilinus, communicatæ. Reliqua, licet styli puritate se commendent, domestica potissimum ac talia fere complectuntur, quæ hic transmittere nos posse arbitramur.

p. 255.
289.
296.
314-355.

BURCARDI GOTTHELFF STRUVII SYNtagma Juris Publici Imperii nostri Romano-Germanici. Editio secunda auctior longe & emendatior.

Jenæ, sumptibus Jo. Fel. Bielckii, 1720, 4.
Alph 8 pl. 18.

CUm primum A. 1711 opus hoc publicis usibus edidisset Autor Celeberrimus, justam ejus recensionem dedimus in Actis A. 1712 p. 79; quare non est ut de altera hac editione, quæ eodem ordine instituta est, multa dicamus. Illud tantum monere Lectorem decebat, plusquam altero tanto, quod ajunt, auctiorem nunc exstare, quandoquidem Autor Acta publica atque fontes alios denuo magna sollicitudine perlustravit, & controversias passim ab illo tempore motas diligenter sub examen vocavit, eoque insertis ubique novis paragraphis & capitibus, Systema nobis

bis dedit locupletissimum; quod iis facile manifestum erit, qui utramque editionem paulo curatius inter se componere velint. Accessit & Editioni huic index utilissimus, quem qui de juribus Principum aliisque rebus ad publica Germaniæ jura spectantibus consulent, facile laboris sui compendium facient.

Erläuterte Teutsche Reichs-Historie etc.

h. e.

HISTORIA IMPERII ROM. GERMANICI illustrata, Autore BURCARDO GOTTHELFF STRUVIO, Principum Saxo-Ernestin. Consil. & Historiographo, March. Brandenb. Consil. Aulico, & Professore Juris ac Hist. Jen. E Latino idiomate in Germanicum transtulit P. Z. V. N.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1720, 4. Alph. 8.

ETsi de opere ipso, Latino primum idiomate a Cel. Autore edito, dictum jam sit in Actis A. 1717 p. 126, attamen non omnino nullam versionis hujus Germanicæ mentionem faciendam putavimus. Etsi enim ab ipso Autore haud adornata sit, dedit tamen operam Interpres, quicunque is fuerit, ut cuncta plano & æquabili stylo exponeret, quo non ingratam rem fecit Germanis nostris, qui in Latina editione Scriptorum, præstantium, mediocrium, barbarorum, loca, quæ Autor, veritatis studio, continuo operi infarsit, quodammodo nauseabant. Ceterum nihil operi præter brevem duorum triumve annorum historiam, & Indicem haud spernendum accessit.

ERRATA.

P. 107 lin. 13 lege *quam*, p. 108 lin. 16 *adjectum*, p. 110 lin. 29 *εἰμι*, p. 113 lin. antepen. *§. 25*, p. 119 lin. 10 *tam*, p. 120 lin. 10 *12. 13*, p. 365 lin. 10 *quem*, lin. 25 *denegat*, p. 475 lin. 34 *impiæ*, p. 476 lin. antepenult. *Mannichæorum*, p. 494 lin. 22 *L. 13, 42*, p. 497 lin. 1 *T. 24, 17*, p. 500 l. 8 *Ejusdem*, lin. 17 *φιλότητος*, lin. 22 *τήν*, p. 502 l. 12 *L. 70*, p. 504 lin. 19 *συναλλαττόντων*, lin. 27 pro *pertineat*, lege *pertimeat*.

❀)(○)(❀

INDEX AUTORUM,

Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Ludo-

II. Libri Juridici.

Eccar-

III. Libri Medici & Physici.

Mar-

IV. Libri Mathematici.

V. Libri Historici & Geographici.

Gual-

VI. Libri Miscellanei.

INDEX AUTORUM.

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumen obviarum.

Sub

Bru-

Cir-

Cypri-

Diplo-

Eli-

Finis

Godz.

Hordei

In-

Kir-

Loti

Nucleo-

Plane-

Reli-

Sine-

Sub-

Vul-

F I N I S.



